NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
8 E
12/1
3
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# DISPVTATIO QVADRIPARTITA DE MODO CONIVNCTIONIS CONCVRSVVM DEI ET CREATVRÆ

ad actus liberos Ordinis naturalis; præſertim autem ad prauos;

*ADVERSVS PRÆDETERMINANTIVM & Aſſertorum Scientiæ Mediæ Modernorum opiniones.*

ctore R. P. FR. LVDOVICO A DOLA Burgundo equano, Ordinis S. Franciſci Capucinorum in Prouincia Comitatus Burgundiæ Miniſtro Prouinciali, & antehac in Studio Dolano Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſore.



DOM. PROF. ROM. IHS BIBL.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi & Petri Proſt fratr.
M. DC. XXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

# DISPVTATIO QVADRIPARTITA

*DE MODO CONIVNCTIONIS Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis, præſertim autem ad prauos, in qua oſtenditur.*

I. PRæcipuas Aſſertorum Scientiæ Mediæ, & Prædeterminantium Controuerſias ortum habuiſſe ob exiſtimatam à pleriſque eorum immediationem, identitatémque realem Concurſuum Dei,& Creaturæ.

II. Non poſſe defendi Concurſum Dei proximum, immediatum, & identificatum ad ſingulos actus noſtros bonos,ac malos beneficio Sciētię Medię.

III. Deum non concurrere nobiſcum ad actus ordinis naturalis, præſertim prauos, Prædeterminatione Phyſicâ,atque inſuper Concurſu identificato,& ſimultaneo.

IV. Concurſum generalem Dei ad actus ordinis naturalis, præſertim prauos,non eſſe proximum,immediatum, & identificatum, ſed remotum, mediatum, & ab actu creaturæ ex natura rei diſtinctum;ídque in Concilio Tridentino ſeſſ.6.can.6. videri definitum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sereniſſimo Principi,

# FERDINANDO HISPANIARVM INFANTI, ARCHIDVCI Auſtriæ, S. R. E. Cardinali; Philippi IIII. potentiſſimi Hiſpaniarum, Indiarúmque Regis Fratri Vnico.

ETSI mea conditio non eſt eiuſmodi, SERENISSIME PRINCEPS, vt licitum mihi putem venire, aut ſcribere ad TE; ſingularis tamen in omnes humanitas, quæ vel in ipſa TVA elegante, & ad omnem clementiam compoſitâ facie præclarè lucet,

¶ 3 necnon

Digitized by Google

necnon propenſus in addictiſſimos, fideliſſimóſque Sequanos tuos amor, plurimùm mihi bonæ ſpei addidit, quòd SERENISSIMA CELSITVDO TVA hoc qualecunque mei erga illam cultus & obſeruantiæ ſymbolum eâ quâ ſolet gratiâ morúmque ſuauitate eſſet ſuſceptura.

Neque verò ſanè continere me potui, quin in hac omnium communi lætitiâ, feliciſſimum aduentum TVVM in Prouincias TIBI à potentiſſimo Rege noſtro commiſſas expectantium, munuſculum iſtud SERENISSIMÆ CELSITVDINI TVÆ fidentiſſimè conſecrarem; non eo quidem propoſito vt captatâ occaſione, prolixam laudum TVARVM narrationem inſtituerem; quemadmodum ferè librorum Scriptores ſolent: Dum enim Hiſpaniarum Infantem, Archiducem Auſtriæ, & Philippi Quarti Fratrem Vnicum nominaui, & prædicaui ſatis, & dixiſſe mihi videor TE nihil à Maiorum tuorum Prudentia, Fortitudine, Catholicæ Religionis Zelo, ac Pietate deflectere; ſed eas virtutes omnes, ac præ cæteris Pietatem, ipſo Rege Iudice, agnitas in TE ſplendeſcere, de quibus hoc fama carmen euulgauit,

*Hinc regna Auſtriacis & latè gloria ſurgit:*

Quæ magnifica vtique, ac vera laudatio eſt, propter quam

quam dicturus iure quilibet mecum videatur, ſatis præconij, vel in TVO ſolùm NOMINE, à quo etiam Cardinalitia dignitas decorem accipit, contineri.

Non igitur eâ potiſſimùm mente dicatum SERENISSIMÆ CELSITVDINI TVÆ munus offero, vt laudibus illud exornem tuis, qui iam adeò laudabilis es, vt & omnem laudationem ſuperes, & quot homines, tot laudum tuarum præcones habere debeas: ſed vt obſeruantiſſimum Burgundiæ Tuæ, noſtríque Capucinorum Ordinis erga TE animum quàm poſſum teſtatiſſimum faciam; ac prætereà vt liber hic meus non modò protectionem, & ornamentum ex Auguſtiſſimo TVO NOMINE referat; ſed vt TVVM etiam, ſi placet, iudicium ſubeat, qui eo polles ingenio, vt auditis quæ vel circa maximas difficultates, & quæſtiones propoſita fuerint, æquiſſimam valeas pronuntiare ſententiam: Hæc enim Diſputatio mea, ſi TVÆ CELSITVDINI non inuiſa fuerit, tam præclaro ſuffulta iudicio, facilè poterit quorumlibet allatratorum òdia, & inſectationes ſuperare.

Faxit Deus vt SERENISSIMAM CELSITVDINEM TVAM, omni fœlicitatis genere locupletatam, maximo totius Eccleſiæ & Catholici ſtatus bono diutiſſimè habeamus incolumem: Hæc enim

ſunt

ſunt enixiſſima vota quæ Deo Optimo Maximo deuotè nuncupat.

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Obedientiſſimus, humillimúſque Seruus,
Fr. *Ludouicus à Dola*, Capucinorum Comitatus Burgundiæ Miniſter Prouincialis.

Dolæ, in libero Comitatu Burgundiæ Kalendis Maij 1634.

Digitized by Google

## *FACVLTAS ET APPROBATIO ILLVSTRISSIMI, ac Reuerendiſſimi D. Archiepiſcopi Biſuntini.*

NOS FERDINANDVS DE LONGVY DICTVS DE RYE, Dei & Apoſt.ſed. gratiâ Archiep. Biſunt. S. Romani Imperij Princeps. Attento plurimorum inſignium Theologorum Secularium Regulariúmque iudicio, atteſtantium ſe Opuſculum à Reuerendo Patre Ludouico Bereur Dolano PP. Capucinorum Burgundiæ Prouinciali, & antehac Theologiæ Scholaſticæ Prælectore compoſitum, diligenter examinaſſe, cuius titulus eſt. *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis, præſertim autem ad prauos*: nihilque in eo reperiſſe quod ſit puritati fidei Orthodoxæ, bonis moribus, aut ſanctæ ſedis Apoſtolicæ decretis contrarium: vel quod Doctorem Catholicum aliquem poſſit offendere; ſed potius librum eſſe prælo digniſſimum, atque omnibus Scholaſticæ Theologiæ ſtudioſis profuturum. Permittimus vt typis mandari, atque in lucem prodire poſſit. Datum Dolæ die vigeſima ſexta menſis Nouembris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo.

FER. ARCHIEPISCOPVS BISVNTINVS.

locus ſigilli.

De mandato Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Præfati.

Roy.

## *APPROBATIONES.*

SEntentiam de Concurſu Diuino cum cauſis ſecundis, non tam falſitate, aut improbabilitate, quàm vetuſtate obſoletam, & veluti antiquatam ſuo ſplendori, & auctoritati reſtituere fœliciter aggreſſus, eſt R. P. Ludouicus Bereur Dolanus Sacri ordinis Capucinorum in patriæ ſuæ Conuentu Guardianus, Sacræ Theologiæ benè meritus Profeſſor, in opuſculo, quod pro ea inſcripſit, *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis, præſertim autem ad prauos.* In quo cùm modeſtè, doctè, piè, & ſine aliarum ſententiarum quas impugnat, graui nota, quid de tanta difficultate ſentiat, publicæ exponat Theologorum, & Philoſophorum vtilitati: Cenſeo Ego nihil in eo eſſe quod contrà fidem, bonos mores, aut Eccleſiæ Catholicæ Romanæ Decreta iudicari, aut cenſurâ vllâ reprehendi ac notari poſſit; quin potius opus prælo dignum, & quod Doctorum manibus teratur iudico. Idque manuali hoc meo ſigillo ſignatum volo. In conuentu Arboſiano Sacri ordinis minimorum. Die tertia Maij. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo.

FR. PHILIPPVS PATORNAY Epiſcopus Andreuilenſis

¶ ¶ *Diſpu*

D*iſputationem Quadripartitam de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis, præſertim autem ad prauos* à R. P. Ludouico Bereur RR. PP. Capucinorum in Burgundia Prouinciale, & aliàs ſacræ Theologiæ lectore compoſitam, explicandis tricis, & ſoluendis nodoſis emergentibus hinc inde circa nonnulla fidei noſtræ myſteria difficultatibus vtiliſſimam. Ego infraſcriptus Abbas Luxouienſis, quondam Rector Collegij D. Hieronymi Dolani ordinis Cluniacenſis & Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſor, quâ potui attentione legi, in eáque nihil reperi quod non ſit Orthodoxæ fidei & Doctrinæ conforme: Proindéque, cùm nobis non conſtet aliquod emanaſſe Decretum à Sancta Sede Apoſtolica, quo prohibeatur aliquid ſcribi & in lucem emitti circa Diuinum auxilium & influxum naturalibus creaturæ operationibus, de quibus hîc agitur, accommodatum, dignam cenſeo, & rei literariæ proficuam, vt typis poſſit mandari. Datum Luxouij. 22. Aprilis. Anni Domini. 1634.

D. Hieronymus Coquelin Abbas Luxouienſis.

VIdi & quâ potui diligentiâ examinaui tractatum eruditum quem R. in Chriſto P. F. Ludouicus Bereur de Dola ordinis Capucinorum Prouincialis in Burgundia, *de celeberrima hoc æuo inter Prædeterminantes & Aſſertores ſcientiæ Mediæ quæſtione*, compoſuit: In quo multa reperi ad vnguem elaborata & clarè explicata in re tam difficili & obſcura Eius autem doctrinam ab omni hæreſeos & erroris in fide labe immunem iudico, & viam oſtendere quâ Diuina ſanctitas & prouidentia cum libertate arbitrij concilientur. Veſontione 10. Octobr. 1632.

Cl. Fr. Sonnet Canonicus & Theologalis Eccleſiæ Biſuntinæ.

EGo Infraſcriptus ſacræ facultatis Theologiæ in Alma Vniuerſitate Dolana Profeſſor Regius, atque eiuſdem Vniuerſitatis Rector, legi accuratè & denuò ſedulò examinaui ex mandato Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini huiuſce Biſuntinæ Diœceſis Archiepiſcopi, opus conſcriptum à Reuerendo Patre Ludouico Bereur ordinis Capucinorum Theologiæ in Conuentu Dolano Profeſſore, cui titulus eſt *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ* &c. Et totum illud opus iudicaui non modo Orthodoxæ fidei; aut bonis moribus nihil habere contrarium; ſed & verá, ac ſanam continere doctrinam, non modò aptiſſimam, verùm etiam penè neceſſariam ad ſuperandas difficultates grauiſſimas, quæ in Philoſophia, ac Theologia circa concordiam creatæ libertatis cum neceſſitate diuini Concurſus ad omnes actiones eius ex tali præſuppoſita neceſſitate conſurgunt. Quapropter idem opus prælo digniſſimum cenſeo & id ſi fiat eiuſdem Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudioſis magnopere profuturum Datum Dolæ die 25. Septembris 1632.

D. Faulquier.

EGo infraſcriptus Vidi & attentè perlegi opus à Reuerendo Patre Ludouico Bereur Dolano ordinis Capucinorum Theologiæ lectore compoſitum, cui titulus eſt *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ*, &c. In quo quidem opere tametſi ſententia quam auctor amplectitur prima fronte videatur à ſcholis aliena; tamen quia nihil continet quod fidei Orthodoxæ aut bonis moribus vllo modo aduerſetur & quia non tam eſt noua quam ex veteribus inſtaurata ac renouata & abundè ſaluat ſupremum Dei in Creaturas dominium & faciliùs expedit difficultates plurimas ſummè in Theologia controuerſas: propterea iudicaui tractatum iſtum in quo non agitur de auxiliis gratiæ, ad publicam Theologorum vtilitatem imprimi ac publicari poſſe ac debere. In cuius rei fidem, &c. Veſontione die 29. Ianuarij 1632.

Fr. Guilielmus Bauoux ordinis minimorum in Prouincia comitatus Burgundiæ Prouincialis & quondam ſacræ Theologiæ Profeſſor.

D*Iſputationem Quadripartitam de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ*, &c. Compoſitam à Patre Ludouico à Dola Capucino Sacræ Theologiæ Profeſſore, cùm accuratè perlegerem, non modo nihil reperi quod ſit fidei, pietati, ac bonis moribus diſſentaneum, ſed & librum prælo digniſſimum iudicaui eò quòd præfatus auctor diligenter in eo ſtabiliat ac illuſtret nonnulla principia quibus ſcholaſticæ lites grauiſſimæ terminentur, quæ aliâ nullâ ratione terminari poſſe videantur; ob quam etiam cauſam cum præcedentibus binis Philoſophiæ curriculis oppoſitam ſecutus fuerim opinionem, quam fateor hac tempeſtate eſſe valde communem: nunc tamen antiquo iterùm concluſus ludo, re maturiùs inſpecta atque perpenſa, neceſſarium planè exiſtimo, vt fateamur diuinum Concurſum immediatum, proximum atque identificatum ad ſingulas actiones noſtras ordinis naturalis, de quibus hic agitur, minimè eſſe neceſſarium, ob rationes in præfato libro perſpicuè declaratas, vt ſic præcipua tot difficilium controuerſiarum radix amputetur. ita cenſeo Dolæ die ſecunda Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſecundi.

Ego Fr. Claudius Clement Ordinis Minimorum Theologus Philoſophiæ tertiùm lector.

QVod Deus non concurrat proximè, immediatè, & identicè, atqui ſolum remotè, & mediatè cum cauſis ſecundis ad actus naturales, turpes præſertim, & inhoneſtos voluntatis, vti eruditè eruditus Pater Ludouicus à Dola Prouincialis Miniſter in Prouincia Burgundiæ fratrum minorum ordinis Capucinorum nuncupatorum in erudito ſuo opuſculo ab eodem ſuper hac re nunc primùm edito, ſicut ab eodem neruosè probari, eiuſdem quartæ partis lectioni incumbens reperi: ſic nil non ſanæ fidei conſonum, nil non pietati conforme, nil non moribus conſentaneum, nil non controuerſiis Prædeterminantium, & aſſertorum ſcientiæ mediæ ſedandis magna ex parte idoneum continere perſpexi. Quapropter eandem quartam partem quam ſolam legere & examinare mihi per otium

licuit,dignam cenſeo, quæ quantociùs imprimatur. In cuius fidem hæc manu mea ſubſcripſi, & conſueto officij mei ſigillo muniui. Dat. Romæ in noſtro conuentu immaculatæ Virginis conceptionis in comitiis Generalibus. Die ſecunda Iunij M. DC. XXXIII.

Fr. Marcus Antonius à Carpenedulo Brixienſis indigniſſimus Prouincialis Fratrum Capucinorum Prouinciæ Brixiæ, aliàs Lector.

OPus iſtud egregium, *De modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ*, &c. à Reuerendo Patre Ludouico à Dola Capucinorum in Comitatu Burgundiæ miniſtro Prouinciali & quondam Theologiæ lectore compoſitum, & à præclaris Theologis viſum, laudatum & approbatum; à me quoque infraſcripto accuratè perlectum, & examinatum, luce digniſſimum cenſeo; Doctrinámque in eo contentam & explicatam, non modò fidei Orthodoxæ boniſque moribus conſentaneam, verùm etiam Theologicis Scholis ad euacuandas terminandáſq; difficultates præcipuas quæ inter Prædeterminantes & Modernos ſcientiæ mediæ Aſſertores noſtro ſæculo motæ ſunt, perutilem & accommodatam iudico; in cuius rei fidem propria manu ſubſcripſi Dolæ die viceſima nona Ianuarij anni 1634.

Ego Fr. Deſideratus Ledonenſis Capucinus in Prouincia Comitatus Burgundiæ Exprouincialis, olim Philoſophiæ & Theologiæ Lector.

SEntentiam P. Ludouici à Dola Prouinciæ Burgundiæ Capucinorum Prouincialis, quòd ſcilicet Deus non concurrat cum cauſis ſecundis ad actus earum phyſicos, & præſertim ad materiale praui operis Concurſu proprio per ſe, immediato, & identifico, diligenter inſpexi, & examinaui, & quia ipſam reperi non ſolùm fidei, & pietati Chriſtianæ conſonam, verum etiam ſtylo facili, elocutione perſpicua, & ſubtili doctrina vndequaque refertam, & valdè accommodatam ad immortales lites dirimendas, quæ ad concordiam liberi arbitrij creati, & diuinæ cauſalitatis à multis iam temporibus ortæ ſunt. Ideo ego infraſcriptus illam tanquam probabiliſſimam, & valde vtilem approbo; & cùm non repugnet alicui, quod ſciam, Decreto ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, dignam typis iudico. Romæ in Comitiis Generalibus die 3. Iunij 1633.

Ego Fr. Baſilius à Florentia Capucinus & Sacræ Theologiæ Profeſſor.

EGo Fr. Leo Romaricomontanus Ord. Minorum Capucinorum nuncupatorum, nuper Sacræ Theologiæ Lector, ſumma attentione & voluptate perlegi ſemel & iterùm hunc Tractatum à R.P. Ludouico eiuſdem Ordinis Theologiæ Lectore compoſitum; in quo ſanè tanta ſoliditate, ſubtilitate refelluntur tùm Prædeterminantes, tùm inuentores & defenſores Scientiæ Mediæ, quatenus conueniunt in aſſerendo Concurſu diuino proximo, & identificato ad omnes actus noſtros, vt nihil deſiderari poſſe videatur. Sententia verò negans Deum concur

concurrere ad omnem actionem Concurſu proximo, immediato, & indiſtincto tam firmis fundamentis & rationibus ſtabilitur, vt iis ſeriò examinatis & ponderatis hanc vnâ ſententiâ verâ exiſtimem, licèt reuerà cõtrariam aliàs defenderim mordicùs & publicè docuerim, à qua tamen nunc recedo viſis tot in contrarium longè probabilioribus argumentis: Propter quod etiam ſpero hoc opus ſingulari elaboratum & perfectum ingenio, plurimum vtilitatis, & lucis Theologiæ ſtudioſis allaturum, in diſcuſſione multarum, grauiúmque quæſtionum quæ tam in Philoſophia quàm in Theologia agitari, & ingenia torquere ſolent. His & aliis titulis digniſſimum cenſeo vt typis mandetur. Datum in Conuentu noſtro Barroducæ 13. Calend. Ian. 1632.

Frater Leo qui ſuprà.

EGo Fr. Theodoſius Xaronualleus Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorũ in Prouincia Lotharingiç S. Theologiæ Lector, fidem facio perlegiſſe me & attentè examinaſſe Tractatum à R. P. Ludouico eiuſdem Ordinis S. Theologiæ olim Lectore & iam Prouinciali meritiſſimo compoſitum, contra Prædeterminantes & defenſores Scientiæ Mediæ, quatenus conueniunt in aſſerendo Concurſu diuino proximo, & identificato ad omnes actus noſtros, nihilque in eo me reperiſſe non modò Catholicæ fidei, alicui decreto Eccleſiaſtico, aut bonis moribus repugnans, ſed cuncta potiùs ſingulari quâdam doctrina & exquiſitâ eruditione referta; háncque opinionem negantem Deum concurrere ad omnem actionem Concurſu proximo, immediato & indiſtincto eſſe veriſſimam, licèt hucuſque contrariam defenderim & publicè docuerim Magiſtrorum meorum inſiſtendo veſtigiis, plurimúmque lucis & vtilitatis allaturam tum Philoſophis, tum Theologis ad innumeras penè difficultates, quæ nobis interdum tum in tractatu de Prædeſtinatione, tum de formalitate poſitiuâ peccati, & alibi interuenire, nóſque mirificè torquere ſolent, diſſoluendas, diſcutiendáſque exiſtimo. Quare cenſeo opus iſtud ſingulari elaboratum & perfectum ingenio, merito ſuo illis debere eſſe commendatiſſimum, digniſſimúmque vt ad communem omnium vtilitatem in lucem & publicum prodeat. Datum in Conuentu noſtro Nanceiano nono Calendas Ianuarij 1633.

Fr. Theodoſius qui ſuprà.

EGo infraſcriptus præfatum Opuſculum cui titulus *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ* &c. à R. P. Ludouico à Dola Sacræ Theologiæ Lectore compoſitum, quâ potui diligentiâ iteratis vicibus perlegi, nihilque in eo Orthodoxæ fidei contrarium, nihil à veritate alienum, nihil bonis moribus aduerſum reperi, imò ſolidis fundamentis innixùm ſingulari doctrina refertum, maturo iudicio elaboratum deprehendi, dignúmque luce publica iudicaui. Datum in noſtro Conuentu Salinenſi die 20. Aprilis anni 1632.

Fr. Martinianus Fraxinenſis eiuſdem Conuentus Guardianus licèt immeritus, & quondam Moralis Theologiæ Lector



Digitized by Google

# *FACVLTAS ADMODVM R. P. Generalis Capucinorum.*

NOS FRATER ANTONIVS A MVTINA Fratrum Capucinorum Generalis Miniſter, licèt immeritus, facultatem impertimus vt opuſculum, cui titulus eſt, *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus liberos Ordinis naturalis, præſertim autem ad prauos*, à R. P. Fratre Ludouico à Dola Ordinis noſtri Presbytero, Theologo, ac Prouinciali Miniſtro in Prouincia Burgundiæ exiſtente, elucubratum, ac à quibuſdam ex noſtris, quibus demandauimus, recognitum & approbatum, typis mandari poſſit, obtentâ tamen priùs aliorum etiam quorum intereſt, licentiâ. In quorum fidem hæc manu noſtrâ ſubſcripta, ac officij noſtri ſigillo ſubſignata, dedimus. Datum Soræ die 28. menſis Septembris 1633.

Fr. ANT. A MVTINA Miniſter Generalis.

EGo Frater Andreas Thizienſis Ordinis Capucinorum in Prouincia Lugdunenſi Prouincialis, & anteà in Sacra Theologia Lector, *Diſputationem Quadripartitam de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ* &c. compoſitam à R. P. Ludouico Dolano Prouinciali Prouinciæ Comitatus Burgundiæ, & antehac Theologiæ Lectore, de mandato Reuerendiſſimi Patris Noſtri Generalis, vidi & examinaui diligenter, nec inueni in ea aliquid fidei Catholicæ, pietati, aut bonis moribus diſſentaneum, imò potiùs doctrinam rectam, ſolidam, & ad euacuandas varias graues, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ difficultates aptiſſimam; Quare illam iudico dignam quæ in lucem prodeat pluribus profutura, in cuius rei fidem teſtimonium hoc Sigillo meo manuali ſubſcriptum dedi. Lugduni die 20. Octobris anni 1633.

Fr. Andreas qui ſuprà.

DE mandato Reuerendi admodum Patris noſtri Generalis legi accuratè, & examinaui ſedulò egregium Opuſculum R. P. Ludouici à Dola Prouincialis Capucinorum in prouincia Comitatus Burgundiæ & Theologiæ anteà Profeſſoris, cui titulus eſt *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ* &c. in quo non modò non reperi aliquid fidei Catholicæ diſſonum, pietati, aut moribus bonis contrarium, verùm etiam doctrinam in eo ſolidam, claram, ſuúmque intentum optimè probantem detexi; Propter quod tametſi ſententiam affirmantem Concurſum Dei proximum & identificatum ad ſingulos actus noſtros eſſe neceſſarium in duobus Theologiæ curriculis hactenus docuerim, conuictus tamen argumentis quæ in hoc opuſculo continentur adhæreo deinceps firmiter oppoſitæ ſententiæ neganti Concurſum illum proximum & identificatum; digniſſimúmque opus iudico vt prælo mandetur, omniúmque

Digitized by Google

omniúmque maximè verò doctiorum manibus teratur ; in cuius rei fidem, &c. Lugduni die 6. menſis Auguſti 1633.

Fr. Bonauentura Lingonenſis Capucinus Theologiæ Scholaſticæ in maiori noſtro Conuentu Lugdunenſi Lector.

EX mandato admodum Reuerendi P. noſtri Generalis, librum, cui titulus eſt, *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuũ Dei & Creaturæ, &c.* authore R.P. Ludouico à Dola Prouinciali Capucinorum Prouinciæ Comitatus Burgundiæ necnon quondã Sacræ Theologiæ Lectore, diligenter perlegi, & accuratè examinaui, nihilque in eo bonis moribus aduerſum, nihil à veritate alienum, nihilque Orthodoxæ fidei contrarium reperi, imo ita ſubtilibus ac ſolidis fundamentis innixum cenſui vt licet contrariam & vulgarem aliàs opinionem de Concurſu Dei docuerim, tamen re iam maturiùs diſcuſſa eruditi lumine huius opuſculi, perſuaſus, neceſſarium exiſtimem ad multas amputandas cùm in philoſophia, tum etiam in Theologia difficultatum fibras, iſtã ex veteribus inſtauratam ac renouatam hoc tractatu ſententiam amplecti, qua de cauſa opus illud ad publicam Philoſophorum & Theologorum vtilitatem prælo digniſſimum cenſeo, in cuius rei fidem hæc manu mea ſubſcripſi. Datum Lugduni in noſtro conuentu S. Franciſci die 7. Auguſti 1633.

Fr. Laurentius Diuionenſis S. Theologiæ Lector.

EGo Fr. Stephanus Molin Carmelita Doctor Pariſienſis perlegi ſubtiliſſimum hunc tractatum R. P. Ludouici à Dola Prouincialis Capucinorum in Prouincia Comitatus Burgundiæ, *de modo coniũctionis Concurſuum Dei & Creaturæ*, & cum Prædeterminantium nec mediam ſcientiam aſſerentium opinionem amplectatur ſed aliam à fide minimè alienam, lucem videre poteſt. Datum Lugduni die 28. Iulij 1634.

Fr. Stephanus Molin Carmelita in Conuentu Lugdunenſi Prior.

IN hoc *Tractatu (in quo oſtenditur finiri non poſſe controuerſiam earum omnium maximam quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte & Modernos Aſſertores ſcientiæ mediæ ex altera, nec ſaluari libertatem Creaturæ aut diuinam innocentiam ac ſanctitatem, niſi inficiata neceſſitate diuini Concurſus identificati & ſimultanei ad quamlibet actionem noſtram bonam ac malam)* nihil ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ fide alienum, aut bonis moribus aduerſum teſtamur compeRiſſe. Lugduni V. Cal. Auguſti 1634.

DE VILLE.

*CONSEN*

# *CONSENSVS.*

TRactatum P. Ludouici Bereur à Dola Capucini, *de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ* typis hac in vrbe ſubiici, donarique luce Iacobi Proſt Bibliopolæ Lugdunenſis ſumptibus ego Regis in Lugdunenſi Præfectura, Procurator non impedio. die vltima Iulij 1634.

PVGET.

# *PERMISSIO.*

NOs Petrus De Seue Dominus & Baro de Fleſcheres Conſiliarius Regius locúmq tenens generalis in Seneſchalia & Sede Præſidiali Lugdunenſi, librum qui inſcribitur *Diſputatio Quadripartita de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ* &c. Compoſitum à R. P. Ludouico Bereur à Dola Ordinis Capucinorum, permittimus in lucem edi à Iacobo Proſt Bibliopola Lugdunenſi, ac ſimul ne quis citra datam ei poteſtatem denuò excudat interdicimus. Datum Lugduni. 1. Auguſti 1634.

DE SEVE.

Lectori

Digitized by Google

# SERIES CAPITVM.

## Prima pars Tractatus.

*IN qua iaciuntur quædam veluti fundamenta & præambula, plurimùm lucis allatura ad aperiendas, ac deinde in progreſſu dirimendas controuerſias, quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Scientiæ Mediæ Aſſertores ex altera: oſtenditúrque eas omnes originem habuiſſe ex putata ac præſuppoſita immediatione, identitatéque Concurſuum Dei & Creaturæ.*

### CAPVT I.

*Continens argumentum Opuſculi, ordinem, ac breuem ſummam in forma ſyllogiſmi; & quænam fuerit radix controuerſiarum quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera.*

### CAPVT II.

*In quo explicatur titulus Opuſculi, & aperitur qualis Dei Concurſus ad actus noſtros, iuxta noſtram ſententiam, ſit admittendus.*

### CAPVT III.

*An ſit in Deo Scientia Conditionata per quam certò & infallibiliter cognoſcat omnia futura contingentia ſub conditione congrua, & cauſali.*

### CAPVT IV.

*Quid ſit Prædeterminatio phyſica, à qua Prædeterminantes appellati, & quomodo à præfinitione diſtinguatur.*

### CAPVT V.

*In quo oſtenditur diſſenſionem quæ eſt inter Prædeterminantes, & eorum Ad-*



Digitized by Google

*uerſarios circa ſcientiam conditionatorum, ortum habuiſſe ex eo quòd vtraque factio putarit ad ſingulos actus noſtros eſſe neceſſarium Concurſum Dei proximum, immediatum, & ab operatione noſtra indiſtinctum.*

CAPVT VI.

*Aduerſarios ob exiſtimatam immediationem, & identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ, diuiſos fuiſſe ab inuicem in præclara illa quæſtione, An Deus cognoſcat futura libera in aliquo decreto ſuæ voluntatis.*

CAPVT VII.

*Qualiter in explicanda infallibilitate prouidentiæ Dei circa actus noſtros liberos, non obſtante eorum contingentia; Prædeterminantes diuiſi fuerint ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, ob exiſtimatam ab vtriſque identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ.*

CAPVT VIII.

*Prædeterminantes ob putatam immediationem, & identitatem Concurſuum Dei, & Creaturæ; diuiſos fuiſſe ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, in concilianda humana libertate, & diuina ſanctitate cum decreto concurrendi nobiſcum ad omnes actus Ordinis naturalis, bonos & malos.*

CAPVT IX.

*Controuerſiam de modo quo Deus vniuersè coniungitur ad cooperandum Creaturæ abſtrahendo à Concurſu ad actus naturales, aut ſupernaturales; earum omnium eſſe maximam quæ ſunt inter Prædeterminantes, & Aſſertores Scientiæ Mediæ, nihilque in particulari eſſe dicendum de auxiliis gratiæ.*

SECVNDA PARS TRACTATVS.

*IN qua diſputatur aduersùs illam Theologorum aciem, quæ exiſtimat beneficio Scientiæ Mediæ ritè explicari poſſe difficultates omnes quæ moueri ſolent*

Digitized by Google

*ſolent occaſione coniunctionis, identitatiſque Concurſuum Dei & Creaturæ ad quamlibet iſtius operationem.*

## CAPVT I.

*Continens argumentum, & ſcopum huius ſecundæ partis.*

## CAPVT II.

*In quo refelluntur qui dicunt, obiectum Scientiæ Mediæ quâ Deus dirigitur ad decernendum, prouidendúmque Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, eſſe determinationem eiuſdem creatæ voluntatis.*

## CAPVT III.

*Refelluntur qui exiſtimant Deum vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, per Scientiam Mediam explorare actum ipſum conditionatè futurum; videlicet, ſi non deſit Concurſus Dei.*

## CAPVT IV.

*Refelluntur qui dicunt Deum vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, priùs intuitiuè cognoſcere futuram actionem Creaturæ in ſeipſa, ac deinde cognoſcere eandem in cauſa veluti abſtractiuè.*

## CAPVT V.

*Refelluntur qui dicunt, Deum vt decernat Concurſum voluntati creatæ exhibendum, conſulere circumſtantias, cauſaſque morales, & propenſionem voluntatis inde conſequentem.*

## CAPVT VI.

*Refelluntur qui dicunt, Deum conſulere relationem rationis, aut connotationem realem in creata voluntate conſurgentem ex futuritione actus ſui.*

## CAPVT VII.

*Refelluntur qui exiſtimant, Deum vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, conſulere determinationem virtualem eiuſdem creatæ voluntatis; aut creatam voluntatem vt ſe accingentem ad operandum.*

## CAPVT VIII.

*Refelluntur qui dicunt, Deum reſpicere ad Concurſum creatæ volutatis, vt ratione diſtinctum à Concurſu ipſius Dei.*

## CAPVT IX.

*Refelluntur qui dicunt, Deum vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, intueri per ſcientiam Mediam actum eiuſdem voluntatis ſub generica ratione actionis: itemque illi qui recurrunt ad mutuam prioritatem, poſterioritatemque actus liberi, & decreti concurrendi ad illum.*

## CAPVT X.

*Refelluntur qui dicunt, Deum attendere ad actum quem creata voluntas faceret, ſi permitteretur operari ſola, quemadmodum Deus permittere poterat; aut ad eum quem faceret, ſi per impoſsibile, operaretur abſque proximo, & immediato Concurſu Dei.*

## CAPVT XI.

*Refelluntur qui confugiunt ad immediatum Concurſum Dei non quidem identificatum cum influxu Creaturæ: ſed diſtinctum ab eo realiter, ſimultaneum tamen & comitantem.*

## CAPVT XII.

*Refelluntur, qui cum admittant neceſsitatem Diuini Concurſus identificati, negant tamen in Deo volitionem abſolutam, & efficacem concurrendi nobiſcum certo, peculiari, ac determinato Concurſu; ſolamque admittunt conditionatam, ac diſiunctiuam.*

## CAPVT XIII.

*Refelluntur, ac diluuntur alia quædam argumenta, & exempla, quibus ſolet ab aduerſariis confirmari voluntas concurrendi indifferens, & diſiunctiua.*

---

# PARS TERTIA
## TRACTATVS.

*In qua diſputatur aduersùs alteram Theologorum aciem, quæ conciliare nititur Diuinam innocentiam, & creatam libertatem, aliaſque difficultates, quæ in coniunctione,*

*iunctione, identitatéque Concurſuum Dei, & Creaturæ fundantur, explicare cum præuia motione, ac præterea cum immediato, atque identificato Dei Concurſu; qui omnes ſub communi Prædeterminantium nomine confutantur.*

CAPVT. I.

*Continens argumentum, & ſcopum tertiæ partis huius opuſculi.*

CAPVT. II.

*Refellitur Prædeterminatio phyſica, quibuſdam Scripturæ locis, & ex humana libertate.*

CAPVT. III.

*Refelluntur Prædeterminantes; quia ſequeretur nos nihil poſſe operari, niſi quod de facto actualiter operamur.*

CAPVT. IV.

*Refelluntur Prædeterminantes; quia Deus prædeterminaret nos ad peccata.*

---

## QVARTA PARS TRACTATVS.

*IN qua examinatur Quæſtio partim Philoſophica partim etiam Theologica, Vtrùm voluntas creata, præter collationem conſeruationemque exiſtentiæ ſuæ, virtutis agendi, & propenſionis ad actum quam habet à Deo; indiſpenſabiliter indigeat actuali eius Concurſu immediato, proximo, ſimultaneo, & identificato ad quamlibet actionem ſuam, bonam, ac malam.*

CAPVT. I.

*Continens argumentum, & ſcopum huius poſtremæ partis opuſculi.*

CAPVT. II.

*In quo ſententia negans Concurſum immediatum & indiſtinctum Dei ad actiones creaturæ, à Sanctorum Patrum teſtimonio, præſertim verò à Beatorum Auguſtini & Anſelmi auctoritate commendatur.*

CAPVT III.

*In quo oſtenditur, Sanctum Thomam nomine motionis quâ Deus applicat creaturam ad agendum, nec prædeterminationem phyſicam intellexiſſe, nec Concurſum immediatum, ſed influxum duntaxat remotum, ac mediatum.*

## CAPVT. IV.

*In quo amplius oſtenditur, Sanctum Thomam non ſtetiſſe à partibus Concurſus ſimultanei, proximi, & indiſtincti: & explicantur aliqua illius teſtimonia in contrarium.*

## CAPVT. V.

*In quo producuntur Auctores multi ex ſacro ordine Minorum Sancti Franciſci pro eadem ſententia; Alenſis, Bonauentura, Scotus, Aureolus, Pelbartus, Scotellus, Bonetus, Palanterius, Sarnanus, Bocherius & alij.*

## CAPVT. VI.

*In quo promiſcuè cumulantur Philoſophi ac Theologi pro noſtra ſententia, Plato, Ariſtoteles, Durandus, Armacanus, Petrus Pomponacius, Raynerius de Piſis, Præpoſitiuus, & alij plures.*

## CAPVT. VII.

*In quo oſtenditur, ſententiam negantem Concurſum Dei proximum ad ſingulos actus noſtros, bonos, ac malos, non modò non eſſe Pelagianam, Nembrotheam, aut Manichæam; ſed nec alterius cuiuſcumque cenſuræ notâ reprehendi à ſcholaſticis potuiſſe, niſi prorſus iniquè, ac per ſummam iniuriam.*

## CAPVT. VIII.

*In quo oſtenditur, multitudinem recentiorum Aſſertorum Concurſus proximi, & identificati qui aduersùm nos producuntur, non eſſe nobis hac parte admodum formidandam.*

## CAPVT. IX.

*In quo oſtenditur falſitas ſententiæ Aduerſariorum ex eo quòd in Concilio Tridentino definitum fuerit, actum realem & phyſicum peccati, ſeu ſubſtratum malitiæ, vt vocant, de facto non produci à Deo nobiſcum operante per ſe ac propriè.*

## CAPVT. X.

*In quo oſtenditur falſitas ſententiæ aſſerentis neceſſitatem Concurſus diuini proximi, & indiſtincti ad ſingulos actus noſtros, ex eo quòd Deum*

*producere*

Digitized by Google

*producere immediatè & proximè actus prauos repugnet puriſſimæ illius ſanctitati.*

CAPVT XI.

*In quo confirmatur noſtra ſententia argumento petito ex impeccabilitate Chriſti Domini; & ex eo quòd Deus non poſſit eſſe nobis cauſa peccandi.*

CAPVT XII.

*In quo ſoluuntur argumenta quibus probari poſſe videbatur, non repugnare diuinæ Sanctitati vt Deus concurrat proximè, & identificè ad actus prauos.*

CAPVT XIII.

*In quo reiicitur ſententia affirmans Concurſum proximum & identificatum ad omnes actus noſtros, ex eo quòd, tametſi inuita ac nolens, humanam violet libertatem.*

CAPVT XIV.

*In quo ſoluuntur inſtantiæ quibus probari poſſe videbatur, Concurſum Dei proximum, & identificatum, non repugnare libertati noſtræ.*

CAPVT XV.

*In quo cumulantur aliæ quædam rationes pro noſtra ſententia.*

CAPVT XVI.

*In quo oſtenditur, Scripturæ loca à Concurrentibus pro ſe adduci ſolita nihil minùs ſignificare quàm Concurſum Dei proximum, & identificatum ad ſingulos actus noſtros.*

CAPVT XVII.

*In quo proponuntur ac diluuntur aliquot argumenta Aſſertorum Concurſus proximi, & identificati.*

CAPVT XVIII.

*In quo diluuntur duo alia ex præcipuis argumentis Aſſertorum Concurſus proximi, & identificati.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIX.

*In quo refelluntur aliæ quædam rationes adferri ſolitæ contra noſtram ſententiam.*

CAPVT XX.

*In quo diluuntur cætera argumenta Auctorum Concurſus proximi & identificati.*

*Concluſio Opuſculi.*



Digitized by Google

# Lectori Salutem.

EDIDI, iam ferè tertius annus eſt, per fruſta temporis, quæ mihi ex ordinariis integro ſeptennio prælectionibus philoſophicis ac Theologicis ſuperfuerunt, Tractatum de modo coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus Ordinis naturalis, præſertim prauos; in quo quidē opuſculo conatus ſum oſtendere reformandam eſſe, & corrigendam propoſitionem philoſophicam, quâ aſſerebatur neceſſitas Concurſus diuini proximi, immediati & identificati ad quemlibet actum noſtrum, bonum, ac malum; eámque demonſtraui eſſe falſiſſimam, cùm tamen à pleriſque exiſtimata fuerit eſſe de fide, vt mirandum non ſit quòd huiuſmodi propoſitio radix & ſcaturigo fuerit maximæ illius diſſenſionis, quæ eſt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Scientiæ Mediæ Aſſertores ex altera; atque adeò etiam deceptionis vtrorumque.

Et quidem ſtatueram Tractatum non publicare, aut certè non tam citò, memor illius Horatiani,

*ſi quid tamen olim*
*Scripſeris; in Metij deſcendat Iudicis aures,*
*Et Patris, & noſtras; nonúmque prematur in annum*
*Membranis intus poſitis, &c.*

Et quia tametſi plurium annorum ſpatio in eius opuſculi compilatione laboratum eſſet, res tamen adeò grauis & ardua

¶¶¶¶ appa

apparebat; vt non modò non feſtinandum, ſed nequidem omnino de publicando opuſculo cogitandum videretur, donec ſententia noſtra & frequentiſſimæ diſputationis calore cocta, & multorum iudicia & cenſuras eſſet experta; eò vel maximè quòd liber hic meus, à me non in rem vnam attento elaboratus, ſed in varias occupationes diſtracto ſæpiſſimè interceptus, atque in manus meas iterùm pluries reſumptus fuerat; minimè tamen ad exitum vſque perductus.

Intelligebam præterea, difficilem omnino prouinciam ſuſcipere eum qui aggreditur anticipatam ſententiam de mentibus hominum, validiſſimis licèt rationum machinis, excutere; neque reperiri plurimos tantæ facilitatis homines, vt velint ſequentibus ſcriptis, atque ſententiis, præſertim alio admonente, emendare id quod in prioribus aliquando fortè errauerint; & vel Auguſtinum, vel Hippocratem, aut Ciceronem imitari, qui quædam olim à ſe publicata nouis ſubinde editionibus damnauerunt.

Periculum etiam ſubeſſe intelligebam, ne aliquorum calamos, aut fortè etiam animos aduersùm me acuerem; & ne labore multo non aliud à me comparatum eſſet præter odium; & quidem eorum quos ob communem Theologicæ facultatis profeſſionem ſummoperè optarem habere amantes mei ac beneuolos; & quorum vel ipſum nomen, atque auctoritatem ſentiebam maximo mihi in honore ac reuerentia eſſe debere.

Hanc ſanè ob rem preſſiſſem adhuc libentiſſimè in plures annos opuſculum meum, niſi quod verebar accidiſſet: nimirũ non defuerunt qui ſe quaſi capitaliter læſos arbitrati, eo quòd diuerſam ab eorum ſententia opinionem amplexus eſſem, eam mihi libertatem ademerunt, premendi ſcilicet diutiùs tractatus mei; hunc enim me inſcio, & prorſus inuito, ac maximè

Digitized by Google

ximè nolente, cum magna iniuria mea habuerunt, eiuſdemque ita ſublati tranſſumptum exemplar fieri curarunt; quâ arte,& quibus modis effecerint vt veniret in ſuas manus, nihil neceſſe eſt me hîc edicere;dicam autem dum denuò ſub incudem reuocabitur, ſi me neceſſitas, aut rationabilis cauſa ad narrandum compulerit.

Vnum tamen interim dicam, non parum moleſtiæ animo meo attuliſſe quòd illi rumorem ſparſerint,ſententiam meam tractatu iſto contentam, quam etiam ſuperioribus annis docuiſſe me nouerant in Studio noſtro Dolano cui tum præerâ, eſſe infamem,implicitè hæreticam,proximè diſpoſitam vt ab Eccleſia damnaretur tanquam expreſsè hæretica, & cenſuris contra illam agendum eſſe potiùs quàm argumentis;& quòd alia eius generis multa aduersùm me pacis alioqui cupidiſſimum in vulgus emiſerint.; propter quod amici moram illam & ſuſtentationem meam longiorem eſſe non ferentes,impendio à me efflagitarunt vt Tractatum deinceps ego ipſe publicarem, quem nondum à me in lucem editum, ab aduerſariis deſcribi,atque inſuper verbo,& ſcripto impugnari cernebant, nonnullis etiam falsò mihi attributis, quæ nec dicta vnquam à me fuerant, nec cogitata quidem: atque idcirco conſultiùs fore monebant, vt ſententiam meam iiſdem quibus eam intelligo verbis, ac ſenſu ego proponerem, vt qui fortè contrà ſcribere aut dicere vellent,aliquid certi haberent,quod veluti à me ſcriptum,aut dictum ego agnoſcerem.

Acquieui itaque amicorum conſiliis,& volens nolens fœtum immaturum prodire paſſus ſum, inſertis tamen quatuor aut quinque in locis nonnullis præfatiunculis, aut ad quaſdã Aduerſariorum obiectiones, & falſiſſimas imputationes reſponſionibus;non quidem aculeatis, ſed, vt mihi quidem vi-

ſum eſt, placidiſſimis; atque omnino ad me cum moderamine inculpatæ tutelæ defendendum neceſſariis: Spero autem me, ſi vita comes & otium adfuerint, facili negotio in altera editione additurum, vel detracturum, aut etiam immutaturum ea quæ cùm mihi, tum aliis viſa fuerint appendiculæ alicuius, aut recognitionis indigere.

Atque illam ſanè fateor eſſe vnicam, aut certè potiſſimam excuſationem quam adducere audeo publicati nunc à me tractatus mei, tametſi nondũ abſoluti, nec conſummati: quãquam enim ab illo perfectiùs elaborando euidentiſſimũ mihi impedimentum attulerit impoſitũ mihi Prouinciæ miniſterium, & neceſſaria in Italiam profectio ob generalia Ordinis noſtri Comitia; nullam tamen inde, ſi aliæ defuiſſent rationes, excuſationẽ prætexere valeo; cùm mihi iure obiici poſſet, debuiſſe me ſilere potiùs, quàm cogente nemine quidpiam edere adeò imperfectum, vt illius venia eſſet mihi ipſo ſtatim initio deprecanda: quòd autem eâ quam dixi laceſſitus iniuriâ, & neceſſitate compulſus Tractatum tametſi paulò immaturiorẽ ediderim, nemo, vt opinor, vitio mihi daturus eſt, qui æquus Iudex ac Cenſor eſſe voluerit: quin vereor potiùs ne dicant aliqui me ſoluiſſe cunctantius, quod ſubitò præſtandum erat, & ne meritò mihi obiiciant illud eiuſdem Horatij;

*Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?*

Vtpote qui poſt concitatam aliquam de Tractatu noſtro exiſtimationem, quæ ex diuturna editionis dilatione ac mora in multorum animis magis magiſque in dies creuit, ſentiam tamen me nihil eâ expectatione dignum adferre poſſe.

Sed vt ad rem veniamus: fateor me non prorſus enixiſſimã dediſſe operam in excogitandis nouis argumentis, & rationibus, ſiue contra Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ; ſiue cõ-

tra

tra Auctores motionis phyſicè prædeterminantis; ſatis enim argumentorũ alij contra alios hactenus adinuenerunt, quæ in eorum libris, cùm manuſcriptis, tùm editis reperta vnũ in locum cumulare volui; eóſque mutuis armis ſeſe adinuicẽ confodientes ante Lectoris oculos ſtatuere; ſperans facilè inde euenturum, vt ambæ factiones mutuam vim eneruantes ſententiam noſtram redderent veriſimillimam, ſeu potiùs omnino certam.

Quin etiam interdum ſollicitus non fui, vt quæ ab aliis dicta mihi arridebant atque in vſus meos transferri poterant, mutatis Auctorũ verbis quemadmodum pleríque ſolẽt, mea facerem; ſed quorum ſententiis vti placuit, ipſamet quoque eorum verba interdum vſurpare volui, Auctoribus quidẽ ferè ſemper nominatis tametſi loco interdum minimè indicato; quòd ſi etiam aliquando nullâ expreſsâ mentione Auctorum factâ, pauca quædam ab eis mutuatus ſum: non eâ profectò intentione id à me factum fuit, vt debitum eis honorem ſubtraherem, hæc enim fuiſſet iniquitas maxima, ſed eâ potiſſimùm ex cauſa, id effectum eſt quòd liber hic meus eo primùm conſilio inchoatus, & conſcriptus fuerit, vt per eum mihi vni ſatisfacerem: dum autem poſtea de publicando illo cogitatum eſt non tantum mihi contigit otij, quod ſatis eſſe poſſet ad libros omnes ex quibus aliqua decerpſiſſem, iterùm euoluẽdos. Atque id ſanè eò feci liberiùs, quòd ſciam ius mihi, & vniuerſis eſſe in libros omnes quos ab Auctoribus in lucem editos, ipſi qui conſcripſerunt publici iuris eſſe voluerunt, vt proficere ex eis poſſet quicunque vellet: quo minus curãdus mihi eſt nõnullus, qui cùm ſibi Tractatum hunc noſtrũ oppugnandi laborem ſuſcepiſſet biennio priùs quàm de illo euulgando cogitaſſem, quodam in loco obiecit me ex Patre Ruizio pro-



Digitized by Google

feciſſe, & nonnulla illius verba vſurpaſſe, quaſi me in furto deprehendiſſet: quid de me, rogo, ille dixiſſet; ſi librum eiuſdẽ Patris Ruizij nondum publici iuris ab ipſo Auctore factum legiſſem? quid ſi Auctore ipſo inuito, & nolente ſublatũ habuiſſem? quid ſi aliqua minimè ab eo dicta falsò affinxiſſem? næ ſcriptor ille recordari debuerat, illos ipſos à quibus Tractatum meum, mendoſiſſimè quidem deſcriptum habuerat, vix aliter factum illud ſuum excuſare poſſe, quàm quòd ipſi fortè putauerint charitatem omnia facere communia; propter quod cogitare etiam potuiſſet, me æquiùs multo eâdem excuſatione vti poſſe, quippe qui profecerim ex P. Ruizij libro iampridem publici iuris facto, & iam in lucem edito, eúmque in finem vt ex eo proficerem comparato; profeci autẽ deſumptis ab eo, atque in vſum meum accommodatis binis, aut ternis, & non ferè ampliùs quod ſciam, argumentis, quibus ipſe Ruiz non ad idem propoſitum, ſed alterius cuiuſdam rei probandæ gratiâ minùs appoſitè vtebatur.

Orationis elegantiam minimè quæſiui; tum quia cùm primùm huic operi calamum admouerem, exiſtimabam me vni mihi, & non etiam aliis ſcribere; tum quia in re Theologica ſermonis ornatus non eſt admodum neceſſarius, quem etiam fateor me etiamſi quærere maximè voluiſſem, minimè tamen præ imperitia conſequi potuiſſe; Curaui autem quoad potui, vt ſermo mihi contingeret non obſcurus, ſed dilucidus, ac perſpicuus.

Conatus ſum in opuſculo debitâ cum reuerentiâ nominare eos quorum ſententias impugnare neceſſarium fuit, vt nullus ex me poſſit offendi; æquum enim eſt hominem Religioſum in omni diſceptatione literaria filios Iſraël imitari, de quibus Scriptura teſtatur, quòd ad pugnandum proceſſerunt

mente

mente pacificâ: Sanè id præcipuum in votis ſemper habituri ſumus,vt non ſcripta modò, ſed & noſmetipſi flammis tradamur libentius, quàm vt diſceptatio literaria ignem illũ charitatis extinguat,de quo dixit Dominus IESVS,*Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?*

Cæterùm quos in Tractatu iſto habemus Aduerſarios,cùm in duas ferè diuiſi ſint acies,partem eorum vnam appellamus Aſſertores Modernos Scientiæ Mediæ; alteram autem effictо ab eorum ſententia breuiore vocabulo, Prædeterminantes; & quia vtrique conueniunt in aſſerenda neceſſitate Concurſus proximi,identificati,& ſimultanei; dum coniunctim de vniuerſis ſimul ſermo nobis eſſe debet, quatenus ipſi in ſententia illa conueniunt; breuitatis ergo appellare eos potuiſſemus, Concurrentes; niſi veriti fuiſſemus ne aliquis inde occaſionem acciperet ſuſpicandi, nos qui Concurrentibus aduerſaremur nullum omnino Dei Concurſum ad actus noſtros admittere, quemadmodum aliqui nobis affingere viſi ſunt, quò maius ſententiæ noſtræ conflare poſſent odium; cùm tamen Concurſus Dei non negetur à nobis abſolutè, ſimpliciter, & ſine addito; ſed Concurſus duntaxat proximus, immediatus, & ab operatione noſtra indiſtinctus.

Atque ab illis quidem vniuerſis, nimirum Aſſertoribus diuini Cõcurſus proximi,immediati, & identificati hoc vnum iure ac meritò poſtulare volumus,vt dum ad hæc legenda acceſſerint(ſi qui modò ea legere voluerint)ſepoſitis non ſolùm affectibus, ſed opinionum etiam quas antehac fortè imbiberant præiudiciis;ſententiam noſtram excipiant;neque ſe de illorum numero eſſe patiantur, qui per eas perſuaſiones quibus à principio ſunt imbuti,ſine diſcuſſione vlla, de rebus omnibus pronuntiare,ac definire aſſueſcunt;quibus,ſi ſepoſito affectu illo,atque præiudicio veritatem inquirerent,prior ſua ſen-

Digitized by Google

ſententia interdum diſpliceret, pro quâ tamen non minus quàm pro aris & focis pugnare ſtatuerant.

Hi ſanè, ſi nos in hac cauſa à placitis ſuis recedentes atque omnino ſibi aduerſos repererint, vt profectò reperient; quanquam ſunt eruditione præſtantiſſimi, & numero plurimi, non debent id moleſtè accipere, cùm nulla eſſe poſſit mortalium multitudo, quæ non aliquando fallere, & falli poſſit; (exceptâ vtique Eccleſiâ Sanctâ Dei in re ad fidem pertinente) non debent etiam ſubitò noſtra damnare; ſed lentè feſtinare, de nobis non niſi cauſâ patienter cognitâ, & maturè diſcuſsâ iudicare; rationes ſuas cum noſtris comparare & committere, noſtrámque ſententiam idoneâ aliquâ, ſi poſſunt argumentatione refellere, ſi non poſſunt nobiſcum in eam deſcendere, ac Deum benedicere, aut ſaltem integram nobis deligendarum in pace opinionum quas conſcientia veriores eſſe perſuaſerit, facultatem, libertatémque permittere: Nam & ego viciſſim gratiſſimè accepturus ſum, atque illicò emendaturus, ſi me eorum aliquis falſam habere ſententiam, vel Pontificum definitionibus, vel Conciliorum teſtimoniis, vel firmiſſimis aliquibus è Philoſophorum, Theologorúmque penu repetitis argumentis efficaciter in Spiritu lenitatis oſtenderit; vt verò ſine robuſtioribus argumentis, quàm quæ hucvſque pro communibus illis Prædeterminantium, Aſſertorum Scientiæ Mediæ, aliorúmque Auctorum Concurſus proximi & identificati ſententiis allata ſunt, ſolâ me aſſeueratione, & Doctorum huius ætatis numero perſuadeat, fieri certè vix poterit; neque enim grauiſſima iſta quæſtio numeratis recentiorum ſuffragiis, ſed auctoritate Scripturæ, & Conciliorum, ac Patrum, pondere argumentorum; & momento rationum dirimenda. Vale.

PRIMA

# PRIMA PARS TRACTATVS,

## IN QVA IACIVNTVR QVÆDAM veluti fundamenta, & præambula plurimùm lucis allatura ad aperiendas, ac deinde in progreſſu dirimendas controuerſias, quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Scientiæ Mediæ Aſſertores ex altera, circa coniunctionem influxus Dei & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis, oſtenditúrque eas omnes originem habuiſſe ex putata ac præſuppoſita immediatione, identitatéque concurſuum Dei & Creaturæ.

### CAPVT PRIMVM.

*Continens argumentum opuſculi, ordinem, ac breuem ſummam in forma ſyllogiſmi, & quænam fuerit radix Controuerſiarum quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera.*

AGGREDIOR diuino fretus auxilio, propriiſque diffidens viribus, arduam tractationem, in qua tamen difficultas, vti ſpero, vtilitate compenſabitur: neque enim hæc eſt arguta tantùm, & ſpinoſa diſputatio, quæ ſine fructu Theologorum fatiget ingenia, ſed ſolida, neceſſaria, maximéque ad vſum pietatis accommodata, quam vt aggrederer, non ſtudium conten- I.

 tionis,

Digitized by Google

tionis, aut mundanæ exiſtimationis quærendæ, ſed animus inueſtigandæ veritatis cupidus, atque hæc vna me potiſſimùm ratio impulit, quam hîc ſubiicio.

Nimirum, cùm animaduerterem duas, præ cæteris, peſtilentiſſimas Sectariorum hæreſes, quibus & humana libertas impetitur, & peccatum noſtrum Deo auctori adſcribitur, præcipuum erroris ſui fundamentum poſuiſſe in quadam propoſitione philoſophica, qua communiter ab modernis aſſeritur indiſpenſabilis neceſſitas diuinæ cooperationis immediatæ, proximæ, & identificatæ ad omnes & ſingulos actus noſtros, bonos, ac malos.

Cúmque ſimiliter aduerterem pleroſque dicendi modos, quibus vti ſolent vniuerſi penè huius tempeſtatis Theologi ad conciliandum vtrumque illum articulum fidei, ſcilicet humanæ libertatis, ac diuinæ ſanctitatis cum prætenſa illa neceſſitate huiuſmodi concurſus diuini, proximi & indiſtincti, non modò eſſe inutiles quietandis iuuandíſque hæreticis, ſed & interminabiles lites, iurgia, & contentiones peperiſſe inter ipſos etiam Catholicos Theologos, qui omnes in duas per extremum contrarias acies, ac veluti factiones literarias diuiſi ſunt; quarum vna eſt eorum qui à phyſica præmotione, ac prædeterminatione communiter ferè Prædeterminantes appellantur. Altera eorum qui reiectâ phyſicâ iſtâ prædeterminatione, exiſtimant beneficio Scientiæ Mediæ ſeu Conditionatæ abſolui negotium poſſe, ac debere.

Applicui animum ad inueſtigandum diligenter, prout mea tulit tenuitas, an non ſupereſſet aliud aptius medium, cùm ad iuuandos, reducendóſque hac parte hæreticos, tum ad finiendam maximam iſtam Theologorum à quinquaginta plus minus annis aduersùm ſe inuicem pugnantium diſſenſionem, eámque ob rem cogitare, atque apud me ſtatuere cœpi, fieri poſſe, vt vtraque illa Theologorum acies errore aliquo decepta eſſet, ob malè prouiſum aliquod commune fundamentum, cui forſitan vtrique plus æquo adhæſiſſent: & quemadmodum qui in ramis arboris aliquid ineſſe vitij animaduertunt, cuius cauſa non apparet, inueſtigare eam ſolent in radice; ita mihi quoque faciendum eſſe duxi, nimirum vt rem ipſam pacato, ſedatóque animo à primis vſque initiis & fundamentis eruerem.

Cúmque

Digitized by Google

Cúmque per omnia in vniuerſum loca, materiáſve Theologi- II.
cas quæ ad maximam iſtam quæſtionem pertinent,oculos circumferrem,conquiſitis vndique quantùm mihi licuit ſiue Prædeterminantium,ſiue aliorum illis aduerſantium libris Theologicis ac Philoſophicis, cùm manuſcriptis, tùm editis, habitâ etiam frequenti diſputatione cum eruditiſſimis hominibus, facilè deprehendi ſcaturiginem & radicem maximæ iſtius controuerſiæ hanc eſſe vnicam,aut certè potiſſimam;nimirum,quia ambæ illæ Theologorum acies, etiamſi de modo diuini concurſus aliter, & aliter ſentiant, ſupponunt tamen tanquam veriſſimam propoſitionem vnam philoſophicam,quam, ſaluâ illorum dilectione,& honorificentiâ, exiſtimo eſſe falſam, atque adeo reformandam, & corrigendam; Ea verò propoſitio eſt, qua vtrique, (exceptis valde paucis,qui exiſtimant Deum concurrere quidem immediatè ad quemlibet effectum,ſed non eadem actione, )aiunt voluntatē humanam,& quamlibet creaturam,præter conſeruationem exiſtentiæ ſuæ, & virtutis propenſioniſque ad agendum quam habet à Deo, indiſpenſabiliter indigere actuali eius concurſu proximo,immediato & identificato ad quamlibet actionem,bonam,aut malam,ſeu,quod idem eſt, influxum,cauſalitatem,& concurſum Dei proximum, immediatum, & indiſtinctum, tantâ neceſſitate requiri ad hoc vt creata voluntas,aut alia quælibet creatura vel minimum actum bonum,aut malum poſſit elicere,vt ea ſit conditio inexcuſabiliter neceſſaria, contradictionemque implicet creatam aliquam virtutem operari Deo non concurrente ad eandem indiuiſibilem actionem proximo, immediato,ſimultaneo,& indiſtincto influxu phyſico,ſicut contradictionem implicaret creaturam exiſtere ſi non exiſteret Deus.

Hanc dico fuiſſe ſcaturiginem, & principium ex quo omnis ferè profecta eſt contentio, & à quo plurimæ omnino grauiſſimæ quæſtiones pendent, vti fatebitur quiſquis candido, ſynceróque animi propoſito de hac re iudicare voluerit.

Sanè quotieſcumque modernis aſſertoribus Phyſicæ prædeter- III.
minationis, aut eiuſdem inficiatoribus incidit ſermo de coniunctione concurſus diuini cum cooperatione creaturæ,aut de cōtrouerſiis affinibus,& quæ in illa fundantur, vt exempli gratia de prouidentia indefectibili, de voluntate efficaci & cauſalitate quam



Digitized by Google

Deus habet erga actus noſtros liberos, aut de eorundem, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè futurorum præſcientia & cæteris ſimilibus; perpetuum recurſum habent ad Prædeterminationem phyſicam, aut ad Scientiam Mediam, reſpectiuè, quarum beneficio hęc omnia rite explicari poſſe ac debere arbitrantur.

Legat, cui otium & facultas adfuerit, eruditiſſimos illos Prædeterminationis phyſicæ Aſſertores Dominicum Bañes, Didacum Aluarez, Raphaëlem Ripam, Nazarium, &c. eiuſdémque Prædeterminationis inficiatores Molinam, Suarium, Leſſium, Diotaleuiũ, Maſcareñas, & alios, comperiet profectò eos in omnibus iſtis materiis iſtiuſmodi ratiocinatione vſos eſſe.

Vt duæ voluntates liberæ coniungi & conuenire poſſint ad eandem communem actionem ſimul, & ſemel immediatè, & proximè ab vtraque indiuiſim eliciendam, idque non caſu, & fortuitò, ſed infallibiliter, & tam certò, vt contradictionem implicet vnam ſine altera talem actionem elicere: vel ambæ à quadam præpotente cauſa ſuperiore coniungi debent ad eandem actionem eodem puncto temporis eliciendam; vel vna illarum præuideri debet operabunda, aut aliquid habens in ſe ipſa, vt altera ex tali præuiſione veluti obiectiuè, atque ex pacto excitetur ad illi conſentiendũ, ſeu, quod idem eſt, ad ſe cum illa coniungendum ad eandem numero actionem: vel denique tertiò vna debet alteram efficacitate ſua præmouere, ac prædeterminare vt ſecum operetur, eandemque numero operationem eliciat.

Atqui impoſſibile eſt vt diuina, & humana voluntas ab alia quadam ſuperiore cauſa coniungantur, ac ſimul trahantur ad eandem numero actionem, vt ſatis conſtat: ergo vt earum influxus conuenire & coniungi poſſint ad eandem numero actionem neceſſe eſt id fieri alterutro ex duobus poſterioribus modis, nimirum, vel Deo præuidente quid creata voluntas in qualibet occaſione actura, & in quam contradictionis partem ſeſe determinatura ſit, vt inde veluti obiectiuè determinatus concurſum ſuum in eandem partem dirigat atque determinet; vel inconſultâ & minimè exploratâ voluntate humana per ſeipſum antecedenter ſtatuendo vt talis quædam actio à ſe, & à creatura fiat, & concurſum ſuum prædeterminantẽ deſtinãdo ad eam dũtaxat actionem, & ad nullã aliam.

Equidem

Equidem propoſitio quæ ex allata ratiocinatione reſultat communi vtriuſque factionis calculo & conſenſu recepta eſt, & nos etiam admittimus eandem vt certiſſimam, ac neceſſariam; ſcilicet quòd ſi duæ illæ voluntates liberæ, diuina, & humana coniungi debent ad eandem numero actionem, illa coniunctio concurſuum fieri debeat alterutro ex his poſterioribus duobus modis; & meritò ſanè, quia concurrere expectatâ, & conſultâ per Scientiam Mediam & Conditionatam voluntate noſtra, & concurrere eâ non conſultâ, neque expectatâ, ſed potius efficaciter præmotâ atque prædeterminatâ contradictoriè opponuntur, & ſunt duo modi concurrendi ita ſe habentes adinuicem, vt, ſi Deus identificè concurrit nobiſcum, neceſſe ſit eum concurrere alterutro ex his duobus concurrendi modis; alioqui, ſi daretur aliquis alter probabilis modus explicandi coniunctionem illam concurſuum, iampridem ille à tot tantiſque ſolertiſſimis ingeniis adinuentus, excogitatuſque fuiſſet, neque neceſſe fuiſſet (quod tamen accidiſſe cernimus) vniuerſos ferè huiuſce ætatis Theologos tantis premi anguſtiis, vt ad alterutram ex his duabus opinionibus cogerentur; præſertim cùm hic ſit punctus in quo fortaſſe pluſquàm in vllis aliis materiis Theologicis excitata, & exercitata fuit doctorum ſæculi decurrentis induſtria.

Itaque hæc eſt propoſitio certa, neceſſaria, & communis Prædeterminãtium, Aſſertorum Scientiæ Mediæ, noſtra, atque, vt vno verbo abſoluam, omnium penè, ſed in eligendo alterutro ex duobus illis concurrendi modis magna diſſenſio fuit; ſiquidem Prædeterminantes rati impoſſibile eſſe, vt ſtante veritate iſtius propoſitionis qua aſſeritur neceſſitas concurſus proximi, & identificati ad quamlibet actionem noſtram, Deus voluntati humanæ proximè & immediatè cooperaturus, & concurſum illum ſuum eidem coniuncturus, exploret, ſcrutetur, expectet, & conſulat voluntatem Creatam, vt præuidens quid ipſa ſit operatura, decernat concurrere ad eam ipſam operationem, eo quòd ante decretum concurrendi voluntas creata non appareat in conſpectu Dei niſi qualis eſt de ſe, ſcilicet impotens, prorſuſque inſufficiens ad operandum, intrepidè dixerunt Deum coniungere indefectibiliter concurſum ſuum concurſui Creatæ voluntatis præmouendo eam, ac prædetermi- IV.

nando in quam contradictionis partem ipſe voluerit,ſeruata tamen incolumi libertate.

Aſſertores contrà Scientiæ Mediæ rati, ac certi opinionem Prædeterminantium exiſtimantium Deum phyſicè præmouere,ac prædeterminare voluntatem noſtram,ac deinde cum illa concurrere influxu proximo,immediato,& indiſtincto, ſtare non poſſe cum humana libertate,& diuina ſanctitate, illico intulerunt neceſſe eſſe vt Deus Concurſum ſuum voluntati Creatæ coniuncturus, per Scientiam Mediam præuideret quid Creatum arbitrium in ſingulis occaſionibus facturũ eſſet prius ratione quàm ipſe aliquid in particulari ſtatueret de concurſu ſuo,& ex illa præuiſione obiectiuè, & veluti ex pacto excitatum decreuiſſe dare Concurſum huius potius quàm illius ſpeciei; vt diuinæ prouidentiæ indefectibilitas conſtet, ſimúlque imputetur electioni noſtræ quòd Deus nobis coöperatus fuerit ad vnam potius quàm ad aliam actionis ſpeciem.

Ego verò cùm animaduerterem vtramque factionem bene oppugnaſſe,confutaſſéque ſententiam partis aduerſæ, & falſitatem illius luce meridiana clariùs demonſtraſſe,eâdem quidem argumentatione vſus,aliter tamen concludendum iudicaui, in hũc modum: Vel Deus non coniungit concurſum ſuum proximè, & immediatè ad eandem numero actionem cum humana voluntate:vel, ſi coniungit,neceſſe eſt eũm id facere alterutro ex his duobus mõdis, videlicet iuxta modum dicendi Prædeterminantium, vel iuxta eum quem Aſſertores Scientiæ Mediæ tenuerunt,quæ maior,vt iam iterum dixi,communis & recepta eſt apud omnes huiuſce tempeſtatis Theologos cuiuſcumque ſint conditionis,familiæ, aut inſtituti, nóſque illi pro exili captu noſtro copioſiorem adhuc lucem allaturi ſumus totâ primâ parte huius opuſculi.

Minor autem ita ſe habet:Sed neque Deus id poteſt facere iuxta modum dicendi Aſſertorum Scientiæ Mediæ, quos innumeri penè Theologi,nimirùm vniuerſi Aſſertores Prædeterminationis phyſicæ,ac multi inſuper alij refellunt,& nos hic in ſecunda parte impugnabimus : Neque iuxta modum dicendi Prædeterminantium, quemadmodum innumeri inficiatores eiuſdem Prædeterminationis,& vniuerſi Aſſertores Scientiæ Mediæ pro comperto habent, & nos etiam in tertia parte præſentis opuſculi oſtenſuri ſumus.

Ergo

Ergo in bona dialectica arguendo ex deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis,concludendum eſt, id quod nos in quarta & poſtrema parte manifeſtum relinquemus ; Deum non ſe coniungere cum creata voluntate ad eandem numero actionem proxime,immediatè,atque indiuiſim producendam;ſed Concurſum generalem quem Deus præbet Creaturæ eiuſmodi eſſe debere,vt ſit aliquid diſtinctum, & ſeparabile ab operatione Creaturæ,præuium,& antecedens eandem, ac per modum principij, quo poſito,etiam in ſenſu compoſito, voluntas minimè impedita poſſit operari ad libitum,aut ab operatione deſiſtere.

Maiorem dixi eſſe omnium communem,certam,ac neceſſariam: Minor, apud me quidem, certiſſima eſt quoad vtrumque illius membrum; Apud alios verò qui de præſenti diſceptatione æquis animis iudicare voluerint, ad minimùm probabilis exiſtimari debet, tametſi aliæ deeſſent rationes, vel propter ipſam innumerabilium teſtium nubem, ac multitudinem aduersùm ſe inuicem hinc, & inde pugnantium, quorum vna pars membrum vnum iſtius minoris docet, & alia alterum : ex quo ſequitur concluſionem noſtram apud alios quidem, vt minimùm, exiſtimari debere probabilem,apud me verò,eſſe certiſſimam ac neceſſariam;notum eſt enim Concluſionem legitimè deductam ex maiore certa,& minore probabili,eſſe probabilem, deductam verò ex vtraque præmiſsa certa, ac neceſſaria ſimiliter eſſe certam,ac neceſſariam.

Propter hoc, tractatus iſte in præcipuas quatuor partes diuiditur, in quarum prima iaciuntur quædam veluti fundamenta, & præambula plurimùm lucis allatura ad aperiendas, ac deinde in progreſſu dirimendas Controuerſias quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Scientiæ Mediæ Aſſertores ex altera, oſtenditúrque eas omnes originem habuiſſe ex putata immediatione,identitatéque Concurſuum Dei,& Creaturæ. V.

Secunda pars contra eos diſputat qui exiſtimant beneficio Scientiæ Mediæ explicari,& conciliari debere humanam libertatem, & diuinam ſanctitatem,aliáſque difficultates affines cum immediato, proximo, atque identificato Concurſu Dei ad omnes actus noſtros, bonos, & malos.

Tertia pars refellit aliam aduerſariorum turmam, qui exiſtimant

mant Deum inconſultâ, & minimè exploratâ voluntate noſtrâ, decreuiſſe concurrere præuiâ quadam motione phyſicâ, atque inſuper concurſu identificato, & ſimultaneo ad ſingulos actus noſtros, qui omnes ſub communi Prædeterminantium nomine confutantur.

Quarta, & poſtrema pars, maximi momenti quæſtionem diffuſiùs examinat, vtrum neceſſe ſit Deum concurrere ad ſingulos actus noſtros influxu proximo, idẽtificato, & ſimultaneo: prçferturque opinio negatiua & multiplici argumentorũ genere ſtabilitur.

VI. Atque hinc ſanè liquidò patet diſputationem de Concurſu Dei mediato, aut immediato, tametſi philoſophica ſit, maximi omnino momenti in Theologia eſſe debere, cùm ab ea plurimæ grauiſſimæque difficultates prorſus dependeant, vt mirum ſit nonnullos, alioqui eruditiſſimos homines, obiicere nobis potuiſſe quæſtionem iſtam de prædicto Concurſu Dei ita eſſe alienam à controuerſiis quæ ſunt inter Prædeterminantes, eorùmque aduerſarios, vt nullâ ratione eam attingat, neque ſentẽtiam noſtram tametſi vera eſſet, ad finiendas lites illas commodi quidquam, & vtilitatis adferre poſſe; quod quàm immeritò nobis obiectum fuerit, eruditus, ac prudens Lector æſtimare facillimè poterit, ſi meminerit.

Patrem Suarium, cùm in opuſculis ſuis acturus eſſet de ſcientia Dei futurorum, tam abſoluta quam conditionata, & de auxilio efficaci, ac de Prædeterminatione phyſica, vt rem à primis initiis ac fundamentis erueret, priùs agendum exiſtimaſſe de motione, & Concurſu Dei tanquam cauſæ primæ ad actus omnes cauſæ ſecundæ, & de vera eſſentiali ſubordinatione, ac dependentia quam humanum arbitrium tanquã cauſa ſecũda habet à Deo veluti à cauſa prima, propter quod in opuſculorũ proœmio prope medium ſic ait. *Quare quamuis huius diſputationis præcipuũ caput ſit auxilium efficax, tamen quia hoc ipſum connexũ implicatumque eſt cũ generalibus principiis de primæ cauſæ Concurſu, ac prouidentia, & quia de actibus liberis aliqua alia dogmata permiſta eſſe cernimus, commodum nobis viſum eſt totum hoc opus tribus libris comprehendere, quorum primus ſit vniuersè de modo concurrendi Dei cum cauſa ſecunda libera; Alter verò de his quæ pertinent ad actus ordinis naturalis tam bonos quàm malos: Tertius deinde de his omnibus quæ ſpectant ad gratiam efficacem & prouidentiam ſupernaturalem.* Ecce qualiter, Patre Suario

Digitized by Google

Suario iudice, tractatio de Cōcurſu Dei radix eſt, fundamentúmque pręcipuum iſtiuſmodi controuerſiarum quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Aſſertores Scientię Medię ex altera.

Franciſcus quoque Diotaleuius Sancti Angeli Epiſcopus in præclaro ſuo opuſculo de Concurſu Dei ad actus liberos creatæ voluntatis, ipſo ſtatim prœmio, *Celeberrima eſt*, inquit, *inter Catholicos nonnullis abhinc annis orta controuerſia, quæ à diuinis auxiliis nomen ſibi vendicauit; ea verò licet complures contineat quæſtiones; omnes tamen, vel ſaltem quæ præcipuæ ſunt, ab illa pendere videntur, quo ſcilicet pacto Deus concurrat ad actus liberos voluntatis creatæ, tum ad eos qui ſupernaturales ſunt, tum etiam ad eos, vel potius ad phyſicam entitatem eorum qui ſunt ordinis naturalis, & mali moraliter: quod ipſum dum quæritur nihil aliud profectò quæritur, niſi an Concurſus generalis Dei phyſicè prædeterminet voluntatem creatam ad producendam entitatem phyſicam actus praui, & an gratia efficax phyſicè eandem prædeterminet ad actum bonum ſupernaturalem, ac propterea per aliquam realem virtutem ſibi propriam differat ab auxilio gratiæ ſufficientis, necne:* hæc ille ad verbum.

Didacus Aluarez *libro 12. de auxiliis, diſp. 120. num. 6.* cùm meminiſſet eorum qui per Durandi ſententiam, quam ipſe quidem Aluarez non ſequitur, conciliare prætendunt efficaciam diuinæ prædeſtinationis, aut prouidentiæ cum humana libertate, non aliter eum concordiæ modum refellit quàm dicendo ſententiam Durandi negantis Cōcurſum iſtum Dei proximum, immediatum, & indiſtinctum eſſe falſam; neque vnquam dixit quòd, tametſi vera eſſet, difficultas per eam non tolleretur, quod tamen haud dubiè dicturus erat, ſi exiſtimaſſet quæſtionem illam de Concurſu Dei mediato vel proximo ad controuerſias iſtas quæ ſunt inter Prædeterminantes, & Aſſertores Scientiæ Mediæ minimè pertinere.

Ferdinandus Maſcareñas in opuſculo de auxiliis, cùm inueſtigare vellet in quo conſtituenda ſit efficacia gratiæ, omnino multa diſſeruit de generali Concurſu, ac motione Dei tam ad actus ſupernaturales, & gratuiros, quàm ad eos qui ſunt ordinis naturalis, vti conſtat ex ſecunda diſputatione parre quarta.

Raphaël Auerſa Tomo ſecundo Theologico quæſt. 47. ſect. 1.

B in fine

in fine, *Cæterùm*, inquit, *eſſet vlteriùs accuratè diſputandum qualiter Deus efficiat omnia opera quæ ſimul à cauſis creatis efficiuntur, & quiſnam ſit Diuinus concurſus, quæ actio Dei & quomodo ſe habeat cum influxu cauſæ creatæ; ſed quia hoc proximè attingit controuerſias hoc tempore ſuſpenſas, ideo hac tractatione interim prætermiſſa donec hac de re ſcribere concedatur, ad alia quæ ſequuntur procedimus*, hæc ille, ex quibus patet ſapientiſſimum illum Patrem ſacri ordinis ſui Præpoſitum generalem, vereri ne diſputatio de Concurſu Dei ad memoratas controuerſias nimis accedat; cum tamen è contrario nonnulli ſatis illiberaliter nobis obiecerint, tractationem de Concurſu Dei remoto vel proximo, non magis ad illas controuerſias pertinere, quàm Boreas ad Meridiem pertineat: Cæterùm ne quis putet me in aliud extremum incidere, aut ne quis obedientiam illam ac timoratam Reuerendiſſimi Raphaëlis conſcientiam hac parte in me deſideret. Reſpondeo eum, cùm nollet materias iſtas adeo inter ſeſe affines diuidere, maluiſſe eò loci de Concurſu Dei ſilere potiùs, quàm de eo diminutè & non cum omni libertate diſputare; ego autem cuius intentioni ſufficit tractatio coniunctionis Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus ordinis naturalis, præſertim verò ad prauos, ſpondeo me cum Dei gratia calamum ita temperaturum, vt materia ſpecialis auxiliorum gratiæ, quam ſolam hoc tempore ſuſpenſam eſſe audiuimus, nulla penitus ratione attingatur, ſed vt reuertamur ad propoſitum.

Ludouicus Molina in Concordia, & Raphaël Ripa in primam partem D. Thomę, & ne in re facili, ac ferè euidente ſim prolixior, quotquot de Prouidentia, Pręfinitionibus, Prędeterminationibus, Scientia futurorum abſoluta, vel conditionata, & de huiuſmodi materiis diſputant, ſubitò coniiciunt ſe in quæſtionem de eſſentiali ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam, & de coniunctione diuinæ cooperationis & Concurſus ad actionem creaturę, & dum Aſſertores Scientiæ Mediæ proponere, atque expugnare ſatagunt ſententiam authorum Prædeterminationis phyſicæ, ipſo ſtatim initio declarant præcipuum illorum fundamentum eſſe, quòd exiſtiment creaturam operari non poſſe quin à Deo tanquam à prima cauſa determinetur, ac moueatur.

VII. Ampliùs, idem mecum, vt opinor, ſentiet quiſquis in decurſu

præſentis

præſentis opuſculi viderit quàm facilè omnia explicari poſſint reformatâ,& correctâ illâ propoſitione philoſophicâ, qua aſſerebatur indiſpenſabilis neceſſitas coniunctionis diuini Cõcurſus proximi,immediati, & identificati ad quamlibet actionem noſtram, bonam,ac malam ; ex hoc enim conſtabit euidentiùs propoſitionem illam quam nos,iuuante Deo, demonſtraturi ſumus eſſe falſam ; radicem fuiſſe, & ſcaturiginem diſſenſionum quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte,& Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera:Proſtat enim communis philoſophorum regula, qua ſtatuitur vt res illa cenſeatur eſſe cauſa alicuius effectus qua poſitâ effectus iſte ponitur, & qua ſublatâ tollitur, ſed poſitâ illâ opinione aſſerentium cooperationem Dei proximam, & immediatam coniungi debere cooperationi creaturæ ad quemlibet ipſius actum, ſecutæ ſunt innumeræ difficultates quæ ſopiuntur opinione illâ ſublatâ,& correctâ: Igitur illa opinio exiſtimari debet radix vera,& ſcaturigo huiuſmodi controuerſiarum.

Denique, vt hæc veritas euidentiùs appareat quæ tanti momenti futura eſt in præſenti tractatione:Si Deus nobiſcum cõcurrens eſt cauſa proxima, & immediata, non modò cuiuſlibet effectus noſtri, ſed etiã cuiuſlibet actionis noſtræ, neceſſe eſt eã actionem pendere à Deo immediatè per ſeipſam, & non mediante aliâ actione diſtinctâ quæ in creatura ſit, neque etiam mediante vllâ causâ ſecundâ; ſicut per ſeipſam, & non mediante aliâ actione pendet ab ipſa voluntate noſtra, & ſic idem actus voluntatis noſtræ immediatam dicit habitudinem,ac dependentiam ad vtramque cauſam, primam & ſecundam, ſiue is actus in ſola actione conſiſtat, vt nonnulli volunt, ſiue in eo diſtinguatur à parte rei actio,& qualitas,ſeu terminus actione productus,quod ad præſentem materiam parum aut nihil refert.

**Iam verò,ſi actio voluntatis humanæ non eſt realitas, entitaſue à parte rei diſtincta ab actione Dei,ſed vnica,& eadem,virtute ſolùm & per intellectum multiplex, ergo iſta actio non poterit ab homine fieri quin ſimul à Deo proximè fiat, quia eſſentiale eſt omni actioni,vt non poſſit exiſtere in rerum natura quin per eam agere denominetur ſuum integrum,totale, & adæquatum principium, quod in præſenti non eſt homo ſolus, aut Deus ſolus, ſed**

Deus & homo ſimul agentes (qui tametſi diſſenſio ſit an dici debeant cauſæ totales in ſuo genere, an verò partiales, abſolutè tamen, & ſimpliciter ſunt partiales, hoc ſenſu, quòd vna non agit niſi altera ſimul coagente) non poteſt autem denominare iſtud ſuum integrum agens niſi vtraque cauſa verè illam actionem producat: Ergo, quotieſcunque aliqua huiuſmodi actio produci debet, neceſſe eſt, vt tam prima quàm ſecunda cauſa ad eam eliciendam conueniant eodem puncto, ac momento temporis, alioqui ſi cauſa prima vellet eam producere, ac produceret, ſecundâ eandem non producente: Vel contrà, ſi Creatura eam produceret Deo non producente, iſta eadem numero entitas eſſet actio vtriuſque cauſæ, & non eſſet, quod repugnat; eſſet, quia loquimur de actione Creaturæ quam Aduerſarij ſupponunt operari non poſſe, niſi Deo proximè & identificè coagente, & concurrente; non eſſet, quia non poteſt eſſe actio vtriuſque cauſæ, niſi vtraque cauſa illam agat, cuius tamen contrarium dicitur.

Rurſúmque, ſicut iſta actio non poteſt exiſtere de præſenti, & produci ab homine quin etiam ſimul producatur à Deo; ita non poteſt extitiſſe, aut futura eſſe ab homine ſiue conditionatè, ſiue abſolutè, quin eodem modo fuerit aut futura ſit ſimul à Deo; & contra: Ergo quicunque certò præuideret Deum operaturum eſſe hunc actum, conſequenter etiam præuideret hominem idem eſſe facturum, & contrà; Et ſi eſſet aliqua ſuppoſitio, qua datâ, neceſſe ſit Deum operari hanc actionem, vt, exempli cauſa, ſuppoſito decreto Dei volentis eam producere, eadem neceſſitate oportebit eam ſimul produci ab homine, quia iſta actio non eſt indifferens, atque indeterminata, vt ſit actio huius vel illius cauſæ: ſed ex propria entitate hoc habet vt per ſeipſam, & non per aliquid medium egrediatur à principio ſuo efficiente integro, & adæquato, quod eſt Deus, & homo ſimul agentes: & rurſum ſi eadem actio ex propriis principiis eſſentialiter, atque intrinſecè ſit inhoneſta, & repugnans rectæ rationi, vtraque cauſa liberè eam agens, quidpiam egerit repugnans rectæ rationi.

VIII. Hinc igitur natæ ſunt grauiſſimæ difficultates, quæ ad diuinam Sanctitatem, Creaturæ libertatem, prouidentiæ firmitatem, ſcientiæ Dei certitudinem pertinent, quæ nunquam exortæ fuiſſent, ſi

nemo

nemo dixiſſet, Deum eandem realiter actionem quam nos operamur, operati, nemo autem id diceret niſi exiſtimaret eum concurrere proximè & immediatè ad actus noſtros; Nam ſi Deus non diceretur eſſe cauſa proxima, & immediata, ſed ſolùm remota, ac mediata, facilè intelligeretur Deum vnâ actione conferre nobis virtutem, propenſionémque, & omnia principia ad agendum ſufficientia & requiſita, & nos peculiari quadam actione diſtinctâ agere motus noſtros, & ſic nulla eſſet diſſenſio circa modum quo cauſa prima & ſecunda coniunguntur ad eandem numero actionem immediatè producendam; quandoquidem non ſic coniungerentur, nec conſequenter diſſenſio Prædeterminantium ab Modernis Aſſertoribus Scientiæ Mediæ extitiſſet.

Quapropter, retrocedendo ad ſcaturiginem, & radicem, diſſenſio iſta ortum habuit ex putata, & preſuppoſita identitate Concurſuum. Identitas ex putata immediatione, & proximitate, & ſic cùm ſublatâ causâ tollatur effectus, veriſſimum exiſtimamus correctâ & reformatâ illâ propoſitione qua aſſerebatur neceſſitas diuini Concurſus immediati, & proximi ad quemlibet actum noſtrum, amputatam iri radicem controuerſiarum huiuſmodi, ſicque finiri & explicari facillimè poſſe difficultates plurimas quæ ſtante illâ propoſitione apparent indiſſolubiles.

At contra id quod ſuprà diximus, ſi Deus nobiſcum identificè concurrit, neceſſe eſſe vt id faciat conſultis, vel inconſultis voluntatibus noſtris, obiiciet aliquis, ipſos etiam Prædeterminantes admittere ſcientiam Conditionatorum in Deo ante decreta libera, quibus abſolutè & efficaciter ſtatuit de actibus noſtris vt fiant; Ex quo ſequi videtur, falsò nos attribuere Prædeterminantibus quod ſentiant Deum decreuiſſe ac præfiniuiſſe omnes actus noſtros liberos inconſultis voluntatibus noſtris; quandoquidem per ſcientiam illam Conditionatam certiſſimè præuidit quos actus humanæ voluntates in ſingulis occaſionibus eſſent habituræ, ſi in illis ponerentur. IX.

Reſpondeo, cùm Prædeterminantes in propoſitione conditionali quam dicunt eſſe obiectum Scientiæ Conditionatorum includant decretum conditionale prædeterminandi, quo poſito non poſſet non ſequi actio ad quam Prædeterminatio ipſa conferri in-



Digitized by Google

relligitur, hoc non tam eſt conſulere humanam voluntatem, quàm diuinam omnipotentiam, & efficaciam Prædeterminationis phyſicæ, præſertim cùm fateantur eam conferri à Deo ex ſolo ipſius beneplacito; neque enim dubium eſſe poterat quin actus, verbi cauſa, amoris ſequeretur ex voluntate Petri, ſi conferretur ei Prędeterminatio phyſica ad amandum.

Obiicies ſecundo, etiam idem ſequitur in opinione Aſſertorum Scientiæ Mediæ negantium qualitatem phyſicè Prædeterminantem; cùm enim in propoſitione conditionali includant decretum conditionatè concurrendi Concurſu identificato, ex quo non minus neceſſario ſequitur actus à Concurſu illo indiſtinctus, quam ex decreto Prædeterminationis phyſicæ; ſanè ſi non poſſit aſſignari quicquam in voluntate creata, quo per Scientiam Mediam præuiſo, ac veluti explorato excitetur Deus ad habendum decretum ſic potius quàm aliter concurrendi, vt non poſſe aſſignari oſtendemus ſecundâ parte præſentis opuſculi, ſimiliter erit falſum quod Deus decernat concurrere conſultis per Scientiam Mediam voluntatibus noſtris.

Reſpondeo; fateor, atque ob id aio Aſſertores Scientiæ Mediæ ſtante propoſitione cui innitũtur de neceſſitate identitatéque Cõcurſuum Dei, & Creaturæ intentioni ſuæ nullatenus ſatisfacturos: At verò in noſtra ſententia (cùm exiſtimemus voluntatem creatam non indigere Concurſu illo Dei proximo, & immediato) facillimè intelligitur qualiter Deus per Scientiam Conditionatam intueatur quid ſingulæ voluntates humanæ in quibuſlibet occaſionibus, conditionibus, & circumſtantiis eſſent acturæ, ſi in iis ponerentur; vt iſtius Scientiæ ductu ſapiens Dei prouidentia dirigatur, non ad decernendum nobis Cõcurſum Prædeterminantem, aut comitantem, & identificatum, quem non admittimus eſſe neceſſarium; ſed ad prudentiſſimè ſtatuendum, ſintne, an non ſint voluntates humanæ in his, & illis conditionibus ponendæ, & permittendæ operari, & ad res humanas in congruos fines fortiter, ſuauiterque perducendas.

CAPVT

Digitized by Google

# CAPVT II.

## *In quo explicatur titulus opuſculi, & aperitur qualis Dei Concurſus ad actus noſtros iuxta noſtram ſententiam ſit admittendus.*

QVidam Theologi cùm animaduerterent ſententiam, quam in præſente opuſculo ſequimur ſyncerè propoſitam iiſdem verbis, ac ſenſu quibus eam intelligimus, ac defendimus, plurimis in re Theologica exercitatiſſimis eſſe gratiſſimã, & ab Aduerſariorum impugnatione tutiſſimam; primùm quidem conati ſunt taliter eam proponere, vt primo ſtatim intuitu cuiuis homini Chriſtiano ingrata, & ſuſpecta eſſe poſſet, dicendo, atque in vulgus ſerendo me negare Concurſum Dei ad actus liberos humanæ voluntatis, tacitâ illâ voce *proximum, immediatum, & identificatum.* I.

Quin etiam nonnullus, ipſo in veſtibulo libri, quem ex parte contra hanc noſtram ſententiam edidit, *Acceſſit*, inquit, *examen nouæ Theologiæ, negantis Concurſum Dei nobiſcum ad actus liberos*, cùm tamen ſententia noſtra quam appellat Theologiam nouam, ſaluâ illius pace, neque ſit noua, neque neget abſolutè, & ſimpliciter quemlibet Concurſum Dei ad actus noſtros; ſed *Concurſum duntaxat proximum, immediatum, & identificatum*, & omnino extendatur ad actus etiam neceſſarios, neque vllo modo reſtringatur ad ſolos liberos, quemadmodum ille auctor, vt me inconſequentiæ arguat, immeritò mihi attribuit: Ego enim planè intelligere non valeo, vnde illi occaſio adfuerit ſuſpicandi, ac multo minus ſcribendi me ſententiam meam negantem Cõcurſum Dei immediatum, ad ſolos actus liberos reſtrinxiſſe; & docuiſſe neceſſarium eſſe Concurſum Dei proximum & identificatum ad actus noſtros non liberos, imo & ad omnes actus cauſarum naturalium & neceſſariarum; eſſe autem impoſſibilem ad liberos; cùm potiùs in ſcriptis meis, quæ ipſe libro illo ſuo fatetur ſe habuiſſe, repererit dicentem me; Poſſibile fuiſſe Deo concurrere immediatè, & identificè

identificè ad actiones noſtras & aliorum agentium indeliberatas quæ non fuerint de obiecto moraliter turpi, non eſſe autem poſſibilè vt ſic concurrat ad liberas, aut ad eas quæ ſunt intrinſecè turpes, ſiue illæ indeliberatæ, ſiue ſint liberæ; quod autem Deus neceſſariò concurrat immediatè, aut etiam quòd de facto ita concurrat ad actiones noſtras non liberas, aut ad eas quæ ſunt agentium naturalium; tamquam à me ſcriptum, aut dictum reperire non potuit. Propter hoc, neceſſarium duxi præſenti capite manifeſtum facere quid ſit illud quod intelligo nomine Concurſus Dei & quis ſit ille Concurſus immediatus, quem nego requiri ad actus noſtros qui ſunt ordinis naturalis, præſertim autem ad prauos (nimirum quia ſermo mihi eſſe non debet de ſupernaturalibus, ſed plurimus vtique de actu prauo) & quare vocetur à me proximus, immediatus, identificatus, & ſimultaneus & è cõuerſo quis ſit ille Concurſus Dei quem contendo eſſe neceſſarium, ac ſufficere ad eoſdem actus.

II. Dico igitur 1 quamlibet actionem creaturæ, bonam aut malam, liberam aut neceſſariam, eſſe à Deo ſimul coagente & concurrente aliquo tali modo qui ſufficiat vt ipſe dicatur eſſe primũ principiũ, cauſa prima, vniuerſaliſſima, atque vt loquuntur ſancti, primordialiſſima omnium creaturarum, atque adeo cuiuſlibet etiam actionis, neque enim venit vnquam nobis in mentem inficiari Deum adiuuare nos, coniungere ſe, & concurrere nobiſcum ad operandum, variis tamen modis prout vniuſcuiuſque operationis conditio, & natura poſtulauerit.

Sed quæſtio ſemper ſolemnis inter Theologos fuit, & quæ nunc temporis maioris multo momenti atque neceſſitatis eſt, quàm antehac fuerat, nimirum ob exortas quæ in illa fundantur plures controuerſias, cùm inter Catholicos & Hæreticos, tùm inter Theologos aduerſum ſe inuicem: An coniunctio iſta Concurſuum Dei & Creaturæ eiuſmodi ſit, vt quælibet actio Creaturæ ſiue bona ſiue mala, ſit etiam ipſiſſima actio Dei proximè, immediatè, atque indiſtinctè procedens ab vtraque cauſa, prima videlicet, ac ſecunda. An verò Concurſus in actu ſecundo, influentia generalis, motio, & auxilium quod Deus benedictus nobis exhibet ad quidlibet operãdum, ſit aliquid prçuium, & antecedens, realiter diſtinctum

diſtinctum, ac de facto ſeparabile ab operatione noſtra, adeo vt Concurſus illius ſit veluti remotus, ac mediatus iuxta illum ſenſum quo putamus B. Auguſtinum de Deo nobiſcum operante, & concurrente dixiſſe cap. 16. de gratia & libero arbitrio: *Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Et B. Anſelmum lib. de concordia prædeſtinationis & præſcientiæ *omnes actiones & omnes motus facit Deus, quia ipſe facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam potentiam volendi, aut faciendi niſi illo dante: ipſum quoque velle quod aliquando iuſtum & aliquando iniuſtum à Deo eſt;* quibus verbis exprimi videtur clarè Concurſus Dei remotus, ac mediatus, qui tamen ſufficiat, vt actio noſtra dicatur aliquo ſaltem modo à cauſa prima proficiſci, qui Concurſus Dei, vt melius intelligatur, pauca erunt hic præmittenda ex philoſophia.

Præſupponendum eſt igitur in omni cauſa efficiente poſſe conſiderari, & diſtingui, cauſam ipſam, virtutem cauſandi, propenſionem ad agendum, cauſalitatem, concurſum in actu ſecundo, ſeu actionem, & effectum, ſeu terminum actione productum. III.

Cauſa efficiens eſt ipſa entitas, aut ſubſtantia rei quæ dicitur cauſa, quo pacto ipſa Solis ſubſtantia eſt cauſa efficiens lucis, virtus cauſandi eſt ipſa potentia cauſandi, qua res quælibet formaliter conſtituitur potens cauſare, & hæc potentia non eſt eſſentialis cauſæ efficienti, prout eſt ens, aut prout habet eſſentiam, aut exiſtentiam præcisè, ſed prout habet potentiam agendi: neque neceſſarium eſt vt in qualibet re virtus agendi ſit aliquid ſuperadditum, & ab eſſentia eius realiter diſtinctum, quin potius res ferè agunt per propriam eſſentiam, ſeu per virtutem identificatam ſibi reſpectu effectus proprij, quia quælibet res quæ agit, vel per ſe, vel per aliquid additum agit: ſi per ſe, habetur intentum, nempe ipſam virtutem agendi non eſſe quid diſtinctum realiter ab eſſentia; ſi per aliquid additum, illud additum vel agit per ſe, vel iterum per aliud additum, & diſtinctum: vel igitur progrediendum in infinitum, vel ſiſtendum in aliquo quod per ſe, & per propriam eſſentiam, & quidditatem, tanquam per virtutem agendi, & cauſandi agat; ſic virtus calefaciendi quam calor habet non eſt entitas aliqua realiter diſtincta ab ipſo calore qui dicitur poſſe calefacere; Deus quoque agit

per virtutem,& potentiam quæ eſt ipſamet eſſentia,& natura diuina; Anima rationalis per propriam eſſentiam, & quidditatem ſuam profundit ex ſe potentias ſuas ſpirituales, ſi ſunt accidentia realiter ab ea condiſtincta.

Propenſio ad agendum eſt quædam inclinatio, procliuitas, & quaſi pondus vrgens, ac veluti premens ad actum ipſam agendi virtutem à qua diſtinguitur virtualiter, ſeu, vt alij dicunt, ratione ratiocinata, aut formaliter; quemadmodum probari poteſt ex eo quòd virtus aliquid agendi,ſicut & patiendi facilè intelligitur abſque propenſione ad illud agendum, aut patiendum, potiſſimùm cùm ſæpe contingat vt ſit in nobis virtus,& facultas aliquid agendi aut patiendi,ad quod tamen nullâ prorſus inclinatione propendemus,ſed potius in oppoſitum. Nam inclinatio, & propenſio vltra potentiam operandi addit quemdam veluti ordinem,ſeu conatum, vt aliqui vocant,ad operationem,eſtque veluti præcedens quædam actualitas,& præparatio proxima ad operandum.

IV. Porrò inter cauſam,& effectum per eam productum neceſſaria omnino eſt cauſalitas,ſeu cauſatio, id eſt actus ipſe cauſandi, quo cauſa conſtituitur actu cauſans,éſtque Concurſus in actu ſecundo, & influxus,quo cauſa efficiens tribuit eſſe effectui, & hæc quidem cauſalitas eſt aliquid à cauſa diſtinctum, quia eſt id quo mediante cauſa cauſat,ſeu actus ipſe cauſandi; At non poteſt dici cauſa cauſare mediante ſeipsâ,aut eſſe ſuuſmet cauſandi actus; item cauſalitas eſt quid poſterius ipsâ causâ,prius enim eſt cauſam eſſe, & habere entitatem ſuam, quàm cauſare effectum, & ſæpè exiſtit res quæ dicitur cauſa,abſque eo quòd cauſalitatem exerceat,vt exempli cauſa,Sol hodierna die eſt non adhuc exercens cauſalitatem, ſeu actum illuminandi quem craſtinâ die exercebit.

Cauſalitas adæquata ſeu Concurſus in actu 2. cauſæ efficientis tam primæ quàm ſecundæ, vniuerſalis, & particularis, reſpectu quorumcumque effectuum, etiam eorum qui fiunt per naturalem emanationem,& reſultantiam,tam in fieri, quàm in conſeruari,in abſtracto eſt actio,efficientia,& dependētia, ſeu egreſſio rei ab efficiente,in concreto verò cauſare eſt agere, per quod formaliter cauſa effectiua omnem ſuum producit effectum, éſtque formaliter Concurſus, influxus, & actus dandi eſſe effectui, hæc eſt communis

Digitized by Google

munis ſententia,& per ſe patet,ſicut enim album dicitur per albedinem, & patiens per paſſionem, ita agens dicitur per actionem, efficiens,& producens, per productionem, & effectionem, & in vniuerſum cauſa actu per cauſationem.

Confirmatur:quia per illud conſtituitur cauſa actu agens quod immediatè intelligitur adiungi vltra potentiam,& virtutem agendi, ac propenſionem; nam cauſa dum intelligitur habere tantùm virtutem, & facultatem agendi, & propenſionem ad agendum, nondum intelligitur actu agens,ergo debet eſſe aliquid vltra hanc potentiam per ſe, ac neceſſariò requiſitum vt ſit cauſa in actu ſecundo, ſeu vt actu agat; hoc autem non eſt aliud quàm actio ipſa, quâ ſublatâ non poteſt intelligi potentia, ſeu cauſa vt actu agens, illâ autem poſitâ neceſſariò eſt actu agens,vnde etiam dicunt philoſophi relationem agentis proximè fundari in actione: igitur actio eſt propria cauſalitas agentis tribuens cauſæ denominationem agentis,& efficientis,effectui verò denominationem acti,ſeu facti,& producti.

Deinde cauſalitas cauſæ efficientis eſt Concurſus in actu 2. & influxus per quem ipſa attingit,& producit effectum; At nullus eſt alius modus concurrendi,influendi,& dandi eſſe effectui,qui competere poſſit agenti præter ipſam actionem,neque enim agens, vt ſic,dat eſſe effectui ſubiectando,& recipiendo, neque informando aut alliciendo tanquam id propter quod effectus fit, ſed propriè efficiendo,& agendo.

Dicunt aliqui: actio eſt effectus agentis:ergo non eſt illius cauſalitas. Sed reſpondetur actionem non eſſe effectum agentis propriè:quia actio non fit vt quod, ſed vt quo, éſtque via, & medium quo effectus dependet ab agente, ſeu ipſius fieri, & dependentia ab agente, & ratio producendi: vnde ipſa non fit mediante alia actione,& cauſalitate,ſed ſeipsâ pendet ab agente; vel etiam potius ipſa non tam propriè pendet ab agente, ſed eſt medium quo effectus pendet.

Præſupponendum eſt ſecundò, actionem, ſeu Concurſum in actu 2.tùm Dei,tùm Creaturæ,eſſe actum quendam ab agente diſtinctum, ex natura rei, ante opus intellectus: Concurſum dixi in actu 2. ſiquidem qui hac diſtinctione Concurſus in actu 1.& Con- V.

C 2 curſus

curſus in actu ſecũdo vti ſolent,appellant Cõcurſum in actu primo cauſam ipſam vt paratã ad concurrendũ,ſiue ipſam animi pręparationẽ,ſi ſermo ſit de agente intellectuali, quâ præparatione animi cauſa proximè eſt diſpoſita ad operandum. Probatur ergo actionem Dei externã, ſeu Concurſum in actu ſecũdo eſſe actũ ab ipſo Deo diſtinctum ex natura rei, ante opus intellectus, quia Deus non ſolùm poterat nihil agere ad extra,ſed de facto per æternitatem nullum producebat effectum, & de nouo incœpit operari in principio temporis; Igitur actio Dei eſt omnino diſtincta ab ipſo Deo, neque dici poteſt actionem quidem Dei fuiſſe ab æterno, ſed effectum non fuiſſe niſi in tempore, quia tametſi virtus, & potentia agendi,& principium operationis eſſe poſſit antequam cauſa actu agat, tamen actio eſſe non poteſt, quin cauſa verè agat, & producat.At impoſſibile eſt cauſam verè agere,& producere,quin effectus aliquis ab ea producatur, & agatur; Nullus autem effectus producebatur á Deo ab æterno; ergo non habebat actionem ab æterno ( loquimur de productione ad extra,& tranſeunte) ſanè non poteſt actio eſſe ſine termino,& effectu ſuo (tametſi permanere poſſit effectus abſque actione,per quam productus eſt) ſed actio eſſentialiter eſt ſui termini productio,aut conſeruatio, & ne concipi quidem poteſt ſine illo; éſtq; prorſus inintelligibile dari productionem,aut conſeruationem alicuius rei,& non dari actualiter ipſam rem, éſtque omnis actio intimè coniuncta cum effectu, qui per ipſam formaliter producitur, aut conſeruatur, nec ſeiungi ab illo poteſt.

Probatur ſecundò,idem de actione cauſæ ſecundę,quia nullum eſt agens creatum, quod vel naturaliter, vel ſaltem per diuinam potentiam non poſſit exiſtere ſecundùm ſuam propriam entitatem,& virtutem operatiuam abſque eo quod actu agat; ſic poteſt voluntas noſtra exiſtere, quìn actu velit, aut nolit, poteſt ignis non comburere,etiam præſente ſubiecto capaci, quemadmodum in fornace Babilonica contigit,&c.

VI. Supponendum tertiò,actionem externam,tùm Dei, tum Creaturæ,differre ſimiliter minori realitate,ſeu,quod idem eſt,modaliter,ex natura rei, plus quàm per intellectum à termino ſuo interno,ſeu ab effectu per eam producto,& dependente. Probatur primò

Digitized by Google

mò, quia ſæpè poſſunt plures eſſe actiones ad eundem terminum, idémque numero effectus produci poteſt per diuerſas numero actiones, vt patet in Euchariſtia, iuxta opinionem diſtinguentem realiter quantitatem à re quanta: nam prima productio quantitatis erat eductiua ante conſecrationem, factâ verò conſecratione eſt veluti creatiua; ac demùm probabile eſt corruptis ſpeciebus panis, & vini, quãtitatem illam denuo educi ex materia diuinitùs ſubſtituta; ergo idem accidens numero produci, & conſeruari poteſt diuerſis numero, & ſpecie actionibus; ergo terminus, ſeu effectus diuerſam habet exiſtentiam ab exiſtentia actionis per quam producitur.

Confirmatur, quia quantitas iſta ante conſecrationem habebat entitatem ſuam, atque adeo omne id quod eſt à parte rei idem cum entitate ipſius, & tamen non habebat creationem quam habet ſolùm poſt conſecrationem; ergo creatio non eſt idem cum entitate effectus qui creatur. Rurſúmque in ſecunda eductione eiuſdem quantitatis quæ fit corruptis ſpeciebus, Deus deſinit denominari creans quantitatem, & ipſa non denominatur ampliùs creata, ſed educta; cùm igitur Deus, & quantitas eodem modo ſe habeant, nulla poteſt afferri ratio cur quantitas ceſſet denominari creata præter ceſſationem actionis creatiuæ, neceſſe eſt enim aliquam mutationem realem interueniſſe, penes quam illa variatio denominationum deſumatur.

Probatur ſecundò, quia multa conueniunt actioni quæ nõ poſſunt conuenire termino, & quæ oſtendunt actionem, & terminum, diuerſas numero habere entitates: imprimis enim actio, ſeu motus, eſt via ad terminum, acquiſitio termini, egreſſio effectus ab agente; idem autem non eſt via ad ſeipſum, neque acquiſitio, aut egreſſio ſui ipſius; deinde, motus eſt velox, aut tardus, ens plerumque ſucceſſiuum, compoſitum ex partibus, quę per mutata eſſe copulantur; At hæc, vt plurimum dici non poſſunt de termino per motum producto.

Dices; res quæ creatur, aut conſeruatur à ſolo Deo, non videtur poſſe creari, & conſeruari per varias actiones; ergo cùm res illa ſit inſeparabilis ab actione, per quam ſemel producitur, nullum ſupereſt ſignum diſtinctionis realis, aut modalis inter actionem il-

lam,& terminum per eam productum.Reſpondeo, nego antecedens;tametſi enim res illa non poſſit eſſe abſque omni dependentia,& actione productiuá à Deo profecta, benè tamen eſſe poteſt abſque hac,aut illa,& qualibet ſigillatim, & idem numero effectus creari, & recreari per diuerſas numero actiones,ſic enim corpus,& anima Chriſti Domini, quamuis præexiſtant in cœlo per actionem Dei creatiuam, reproduci tamen dicuntur in venerabili ſacramento Euchariſtiæ per aliam dependentiam, quam vocant tranſſubſtantiatiuam.

Itaque actio diſtinguitur ex natura rei à termino per eam producto,non tamen realitate maiori,ſed ſolùm minori, tametſi enim actio forrè non ſit in toto rigore modus termini, quia non dicitur verè,ac propriè ineſſe eidem termino, tãquam ſubiecto ſuo;tamen ſe habet ad inſtar modi,quatenus à termino ſeparari non poteſt,ſic vt abſque illo exiſtere, & conſeruari poſſit, cùm tamen terminus conſeruari poſſit abſque illa actione per quam primò productus eſt.

VII. Præſupponendum quartò, motum, ſeu actionem diſtingui numero pro varietate agentis, eſt communis ſententia, & probatur. Quia non poteſt eadem ſingularis actio ab vno, vel alio agente diſiunctim exerceri,ſiquidem actio per ſeipſam immediatè pendet ab agente,éſtque omnino addicta vni certo agenti,ita vt variato agente in aliqua ſui parte in effectum influente,neceſſe ſit variari numero actionem ; vnde ſequitur,quotieſcunque aliqua actio à pluribus agentibus partialibus exercetur,quæ,vt ſic,conſtituunt vnum agẽs totale in ratione cauſæ,ſi contingat aliquam variationem fieri in illo agente, eo quòd aliqua pars illius detrahatur, aut noua ſuperueniat, neceſſe eſſe totam actionem variari, & nouam quandam, & diſtinctam actionem conſurgere,vt,exempli cauſa, ſupponamus lucem quæ eſt in aëre, à Deo ſimul, & à Sole pendere tanquam ab agentibus partialibus conſtituentibus vnum agens totale, ſi poſtea contingeret fieri aliquam variationem in agente totali, adeo vt vel Sol non amplius lucem illam produceret,ſed ſolus Deus ; vel Deus adhiberet alterum adhuc Solem in conſortium iſtius productionis, omnino neceſſe eſſet actionem totam variari,& nouam quandam, diſtinctámque numero actionem conſurgere, per quam tamen illud idem numero lumen produci poſſet.



Digitized by Google

Ratio eſt, quia illi effectus, qui non per aliam cauſalitatem diſtinctam, ſed immediatè per ſuam entitatem dependent à ſuis cauſis extrinſecis, adeo addicti ſunt ſuis certis cauſis, atque ita determinati ad illas, vt hic numero effectus nō poſſit niſi ab hac numero cauſa dependere, & non etiam ab vlla alia, proptereáque Ariſtoteles ad vnitatem entitatiuam motus, & actionis, requirit vnitatem agentis, ſeu motoris; Ergo ſupponit non poſſe eundem numero motum, & actionem, ab vna vel alia cauſa produci. Porrò actio, & motus ita ſe habent, quòd per eſſentiam ſuam ab agente manant, & non per aliam diſtinctam actionem.

Secundò, omnis cauſalitas eſt ita determinata ad ſuam certam cauſam, vt tantùm ab illa, & non etiam ab aliqua alia poſſet exerceri, eo quòd per ſeipſam immediatè dependeat, & proueniat à ſua cauſa, ſitque ipſa formalis dependentia à tali cauſa: Ergo non poteſt egredi, & pēdere ab vlla alia quantūuis ſimili: Si enim hęc numero cauſalitas eſſet indifferēs, vt poſſet prouenire vel ab hac, vel ab alia cauſa deberet per aliquid aliud determinati vt proueniret ab hac vel illa, ſeu, quod idē eſt, deberet aliquid addi, quod eſſet actualis emanatio ab hac vel illa cauſa, & tūc hęc alia emanatio eſſet omninò affixa ſuæ certæ cauſæ, nec abeundū eſſet in infinitū: At hoc modo dici debet ab initio ſe habere ipſa actualis cauſalitas, quia eſt immediata emanatio, ſeu depēdentia à ſua cauſa, nō mediāte alio modo.

Inſuper omnis cauſalitas cuiuſcumque cauſæ conſiſtit in actuali exercitio cauſandi illius cauſæ; Ergo non poteſt exiſtere illa eadem cauſalitas etiam per diuinam potentiam, quin illa eadem cauſa denominetur & conſtituatur per illam actu cauſans: Itaque actio quæ exercetur ab vno igne, verbi cauſa, non poterat exerceri eadem numero ab alio igne; Quia ſi intrinſeca & formalis ratio huius actionis conſiſtit in actuali exercitio cauſandi illius ignis à quo emanauit, planè repugnat in terminis, vt actio huius cauſæ, fiat actio alterius cauſæ: ſicut in vniuerſum repugnat hoc fieri illud, niſi per conuerſionem, & mutationem vnius in aliud, in qua vnum tollitur, & aliud ponitur.

Confirmatur exemplis; præſentia enim localis, ſeu vbi, vt vocant, intrinſecum, quod per ſe immediatè attingit certum ſpatium, non poteſt idem numero attingere aliud ſpatium. Relatio attin-

gens

Digitized by Google

gens certum terminum, non poteſt eadem mutari ab illo in alium terminum. Modus afficiens vnum ſubiectum non poteſt ineſſe alteri, quia immediatè per ſuammet entitatem ineſt. Modus, exempli cauſa, inhæſionis, vnionis, ſuſtentationis, informationis, qui mediat inter certum ſubiectum, & certam formam, nullatenus idem munus exercere poteſt inter aliud diſtinctum ſubiectum, aliámque formam. Actus vitales qui exercentur circa vnum aliquod obiectum non poſſunt iidem numero exerceri circa aliud: ſimiliter ergo dicendum eſt de quacunque actione reſpectu agentis à quo procedit.

Obiicies, ſi omnis actio addicta eſt vni certæ cauſæ: ergo, & omnis effectus, cùm actio non ſit aliud præter rem quæ fit, ex Ariſtotele tertio phyſicorum. Reſpondeo, negando ſequelam: poteſt enim idem effectus ab vna cauſa pendere per vnam actionem, & ab alia per aliam. Ariſtoteles autem non negauit actionem diſtingui à termino, ſed tantùm docere voluit, non dari actionem niſi ad terminum; hinc ſequitur, actionem, quam Deus efficit ſolus, non poſſe, nec potuiſſe, etiam ſupernaturaliter, eandem numero fieri à Deo, & à Creatura ſimul, & cõtra, actionem, quam Deus, & Creatura ſimul concurrentes efficiunt, non poſſe, nec potuiſſe vnquam eandem numero fieri à Deo ſolo: nimirum, quia variato agente in quantumuis minima parte efficienter influente ad actionem, variari neceſſe eſt actionem: At Deus, & Creatura coniunctim, & ſimul ſumpti ſunt aliud agens quàm Creatura ſola, aut Deus ſolus: Igitur quando Deus adiungit ſe homini operabundo, ad cooperandum cum illo, neceſſe eſt actionem euadere numero diſtinctam ab ea, quam homo ille eliceret, ſi per poſſibile, aut impoſſibile ſolus operaretur. Proptereáque dicebat rectè P. Hurtadus in phyſica diſputatione 10. de cauſa prima, omnem actionem creaturæ fieri poſſe à Deo, exceptâ actione adæquatâ creaturæ, & peccato.

VIII. Præſupponendum eſt quintò, quòd quando plures cauſę partiales coniunguntur ad exercendam aliquam actionem, aut ad productionem alicuius effectus, eo quòd ſingulæ ſeorſim ſumptæ non ſint ſufficientes; tunc omnes ſimul conſtituunt vnam completam virtutem agendi, & ſimul ſumptæ ſunt vnum quoddam agens totale

totale, à quo etiam non niſi vnica egreditur actio.

Eſt communis ferè ſententia,& exemplum adduci ſolet in cauſa inſtrumentali comparata ad principalem, ambæ enim ſimul iunctæ communi quaſi operâ, vnum & eundem actum eliciunt; alioqui ſi inſtrumentum ageret diſtinctâ actione ad quam non concurreret etiam agens principale, eſſet inſtrumentum, & non eſſet; eſſet, quia eſſe dicitur, ac ſupponitur; non eſſet, quia non eleuaretur ad actionem principalis agentis eliciendam, ſed agens principale vnam actionem ſe ſolo produceret, & inſtrumentum, ſe ſolo, alteram: Confirmatur exemplo potentiarum, & animæ, & ſpecierum,& habituũ, vt, ſi ſupponamus ad actum fidei concurrere effectiuè animam, intellectum, habitum fidei, & ſpecies intelligibiles; non emanat tamen niſi vnicus indiuiſibilis actus fidei ad quem eliciendum cauſæ iſtæ partiales multæ concurrunt.

Eſt autem dubium ſanè grauiſſimum, an quotieſcunque creatura operatur, Deus ita ſe coniungat ad operandum cum ea, vt ipſa nihil omnino poſſit operari, quin Deus eandem actionem indiuiſim producat Concurſu proximo, immediato, & indiſtincto; An verò creatura operetur peculiarem ſuam actionem veluti cauſa totalis,& adæquata illius, ad quam Deus non concurrat proximè, ſed ſolùm remotè, ac mediatè conferendo, conſeruandóque, virtutem, potentiam, facultatem, propenſionem, ac vires ad operandum opportunas, circa quam dubitationẽ plurimi ſanè Theologi, ac Philoſophi huius ætatis veriſſimam exiſtimant propoſitionem vnam philoſophicam, quam nos (ſaluâ illorum pace ac reuerentiâ) è conuerſo exiſtimamus eſſe falſiſſimam, propriámque radicem, ac ſcaturiginem diſſenſionum quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte,& eorum Aduerſarios ex altera; aiunt enim influxum, cauſalitatem, ſeu Cõcurſum Dei proximum, immediatum, identificatum,& ſimultaneum tanta neceſſitate requiri ad hoc vt creata voluntas, vel minimum actum poſſit elicere, vt ea ſit conditio prorſus, atque indiſpenſabiliter neceſſaria, contradictionémque implicet creatam voluntatem operari Deo non concurrente proximo, immediato, & identificato Concurſu phyſico ad eandem indiuiſibilem actionem: ex quo ſequitur, in qualibet operatione creaturæ Deum & Creaturam operantes, abſolutè, & ſimpliciter IX.

D eſſe

Digitized by Google

eſſe duas cauſas partiales actionis, & termini per eam producti, partiales, inquam partialitate cauſæ, vt aiunt phyſici, non partialitate effectus, ſcilicet quia nihil eſt entitatis, ac realitatis in effectu, aut in actione, quod non ab vtraque cauſa producatur; quamquam non deſunt qui hac etiam opinione ſuppoſitâ, contendunt tamen vtramque cauſam vocari debere totalem, & adæquatam, in ſuo videlicet ordine cauſæ primæ, aut ſecundæ, quæ eſt quæſtio de nomine, de qua non eſt ſollicitè diſputandum, modò res teneatur, & de eâ conſtet.

Ego verò tametſi omnium Theologorum infimus (ſaluâ Aduerſariorum dilectione, & honorificentiâ, quorum non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere) exiſtimo. Et dico ſecundò, non requiri ad actus noſtros Concurſum illum Dei proximum, immediatum, identificatum, ſimultaneum, & Deum non ſe coniungere cum creata voluntate ad eandem numero actionem proximè, immediatè, atque identificè, vt ſic loquar, producendam, ſed Concurſum generalem quem Deus præbet Creaturæ, eiuſmodi eſſe debere vt ſit aliquid realiter diſtinctum, & de facto ſeparabile ab operatione creaturæ, præuium, & antecedens eandem, ac per modum principij, quo præſente, etiam in ſenſu compoſito, voluntas minimè aliunde impedita poſſit operari ad libitum, aut ab operatione deſiſtere, quod eſt Deum concurrere remotè ſolum, ac mediatè; adeo tamen vt ſemper verum ſit quamlibet actionem creaturæ, ſiue bonam, ſiue malam eſſe à Deo concurrente ad eam, aliquo tali modo qui ſufficiat vt ipſe dicatur eſſe primum principium, cauſa prima, vniuerſaliſſima, & primordialis cuiuſlibet actionis noſtræ.

X. Atque hoc ſanè velim diligenter hîc annotatum, ne fortè aliquis affingat mihi vltrà, quòd ego negem ſimpliciter, abſolutè, & ſine addito Concurſum Dei nobiſcum ad actus liberos noſtræ voluntatis; quem tantùm abeſt vt negare cogitauerim, vt potius in ſingulis ferè locis quibus nominaui Concurſum illum Dei, quem ego contendo minimè eſſe admittendum (nominaui autem ſanè frequentiſſimè) ex propoſito ferè ſemper addiderim *Concurſum Dei proximum, immediatum, & identificatum, aut indiſtinctum ab operatione creaturæ*, nimirum quia, incommoda illa, & abſurda plurima quæ

nos

nos obiicimus authoribus Concurſus proximi,immediati,& identificati, non ſequuntur ex Concurſu mediato, remoto, præuio, antecedente,diſtincto,& reipſâ ſeparabili ab operatione creaturę, cuiuſmodi ſanè Concurſum,& influentiam generalem Dei in qualibet operatione noſtra eſſe neceſſariam perquam libentiſſimè vltrò admittimus.

Porrò Concurſum Dei in actu ſecundo eſſe identificatum cum actione creaturæ,& eſſe immediatum pro eodem vſurpamus,quia vnum ex altero neceſſariò ſequitur, nam ſi Concurſus Dei non identificaretur Concurſui creaturæ,oporteret Deum vnam actionem facere,& agens creatum, alteram; At profectò tunc illa actio quæ à ſola creatura proximè agente fieret, & non etiam à Deo, non poſſet aliter à Deo pendere,quàm mediatè,& remotè, nimirum mediante creaturâ,ſeu cauſâ ſecundâ,vnde colligere licet eos inconſequenter eſſe locutos qui dixerunt Deum neceſſariò producere immediatè quodcunque ens creatum, & tamen ſimul docuerunt eum concurrere actione peculiari diſtinctâ realiter ab actione cauſæ ſecundæ.

---

## CAPVT III.

### *An ſit in Deo Scientia Conditionata,per quam certò, & infallibiliter cognoſcat omnia futura contingentia ſub conditione congrua, aut cauſali.*

QVia frequens hic nobis futurus eſt ſermo de quibuſdam cõtrouerſiis,quæ ſunt inter Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ſeu conditionatæ ex vna parte;& Prædeterminantes ex altera,quas ferè omnes originem habuiſſe diximus ex præſuppoſitâ ab vtriſque immediatione identitatéque Concurſuum Dei & Creaturæ;idcirco priuſquàm vlteriùs in earum tractatione progrediamur,perutile fuerit paucis exponere;quid ſit illa Scientia Dei Me- I.

dia ſeu conditionata;& quid etiam Prædeterminatio phyſica, vnde vtraque illa Theologorum acies iſtiuſmodi nominum appellationem ſortita eſt.

Itáque ad intelligentiam tituli, notandum eſt primò, diſtingui ſolere plura genera propoſitionum conditionatarum, ac deinde ſigillatim expendi,an Deus omnium illarum, aut certè aliquarum Scientiam habeat quæ Conditionata, aut Media nuncupetur.

Primum genus eſt illarum propoſitionum, in quibus præmittitur conditio ex qua aliquid infertur propter phyſicam, & abſolutè neceſſariam connexionẽ,ſiue conditio illa ſit cauſa effectus ſecuturi,vt,dum dicitur. ſi Sol luceret,dies eſſet, ſiue ſit mera cõditio non producens phyſicè effectum,ſed ad illius productionem prærequiſita,& neceſſariò illum inferens,vt, dum dicitur, ſi ignis admoueretur ſtupæ, combureret eam; atque ad hoc primum genus Conditionatarum meritò reuocari poſſunt nonnullæ propoſitiones quæ fundamentum habent in promiſſione diuina,ex hypotheſi quòd aliquid à nobis fiat, vt dum dixit Heliſæus ad Regem Ioas libro 4. Regum capite 13.ſi percuſſiſſes(ſcilicet terram iaculo)quinquies,aut ſexies,ſiuè ſepties,percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem:quamuis enim nulla videatur eſſe connexio inter rem enunciatam,& conditionem, nec dependentia vnius ab altera; & conditio videatur eſſe diſparata, atque omnino extranea; non eſt tamen,quin potius reuera connexio eſt,ac dependentia inter conditionem,& euentum; non quidem ex natura rei præciſè; quaſi percutere terram iaculo ex ſe vim aliquam habuerit ad profligandam Syriam;ſed ex verbo,& promiſſione Dei denunciata Prophetæ:cum enim promiſerit Deus ſe ita facturum, ſi conditio illa poneretur,cúmque impoſſibile ſit Deum nõ ſtare promiſſis, aut iuramento,propoſitiones iſtæ continent omnino neceſſariam conſecutionem;ac proinde quæſtio præſens de iis non intelligitur, quia illarum ſcientia non eſt ſcientia futuri conditionati contingentis, ſed ſcientia cuiuſdam veri omnino infallibilis,ac neceſſarij.

Secundum itáque genus eſt earum propoſitionum de futuro contingente conditionato,in quibus conditio eſt omnino diſparata,ſeu extranea(aliqui concomitantem vocant)éſtque talis vt nullo modo influat in effectum,neque ad eum prærequiratur,ſed omnino

nino impertinenter ſe habeat: vt, ſi dicam, ſi Berta dormierit in India, Cæſar proficiſcetur ad bellum, quas propoſitiones alij vocant temporales, quia ſignificant ſolùm eodem tempore futurum ſomnum Bertæ, & profectionem Cæſaris ad bellum: Atque ad hoc ſecundum genus referri poſſunt illæ propoſitiones, in quibus conditio eſt merè conditionalis, & nullo modo cauſalis, quæ ſcilicet effectum quidem contingentem antecedit, nullo tamen modo in eum influit, cuiuſmodi eſt propinquitas, vt, ſi ita dicam, ſi Petrus adiret Antonium, percuteret illum: hæc conditio non eſt cauſalis; nam acceſſus ille, quamuis prærequiratur ad percuſſionem, tamen non influit in eam per ſe, neque ad eam inuitat, alioqui quoties illa conditio præmitteretur, toties, aut ferè toties, vel ſæpè ſimilis effectus ſequeretur, & de hoc ſecũdo genere propoſitionum conditionalium nonnulla eſt difficultas, ſed quæ ferè impertinens eſt ad controuerſiam præſentis opuſculi dirimendam.

Tertium itáque genus eſt earum propoſitionum, in quibus conditio non infert quidem abſolutâ neceſſitate id quod affirmatur euenturum, ſed tamen eſt conditio congrua, aut cauſalis, quæ ſcilicet, ſi adhiberetur, haberet ſaltem aliqualem rationem cauſæ reſpectu euentus ſecuturi, vt, dum dicimus, ſi Petrus Antonium adiret, & hoc, vel illud ei exponeret, perſuaderet Antonio; Si Magdalena concioni Chriſti intereſſet, conuerteretur: hæc conditio, congrua, aut cauſalis dicitur, cauſaſſet enim conuerſionem, & perſuaſionem; & de hoc genere propoſitionum conditionalium præſens inquirit caput.

Notandum ſecundò, Scientiam Conditionatam non eſſe limitandam, vt verſetur circa eos tantùm actus, qui nunquam ſunt abſolutè futuri, cuiuſmodi eſt proditio Ceilitarum, ſi Dauid ingreſſus fuiſſet vrbem illorum, & Saül veniſſet ad obſidendum; nam eadem ſcientia verſatur circa quoſlibet actus, tametſi aliquando ſint abſolutè futuri, abſtrahendo tamen ab eorum abſoluta futuritione, id eſt, non prout de facto futuri ſunt, ſed prout futuri ſunt, ſi conditio impleatur. Quinimo Scientia conditionata eo potiſſimũ fine conſtituitur, vt eius ductu certa reddatur prouidentia Dei, prædeſtinatio, reprobatio, & quælibet voluntas efficax Dei de noſtris liberis actibus, quatenus non clauſis oculis, & cæco modo, ac II.



Digitized by Google

ignorante; ſed certiſſimè præſciens quid vnaquæque voluntas ſit factura in quibuſlibet circunſtantiis,& conditionibus, prudenter decernit hominem conſtituere in illis circunſtantiis,in quibus vult illum operari, aut ſaltem vult permittere; interdum quoque decernit hominem non conſtituere in aliis occaſionibus, ne, ſi in illis ſit, operetur id quod Deus non vult illum operari. Hæc igitur Scientia dictabat Deo ab æterno,ſi Petrus interrogetur ab ancilla, negabit Chriſtum,eſtque actus ratione diſtinctus à Scientia abſolutè dictante Petrum eſſe interrogandum, & negaturum, quæ eſt Scientia viſionis,& veritas illius propoſitionis conditionalis eſt omnino diſtincta à veritate propoſitionis abſolutæ, quæ ſignificat interrogationem, & negationem abſolutè futuras, & illa veritas eſt prior,& independens ab iſta,fieri enim poterat vt Petrus in illa occaſione de facto actualiter non poneretur,& non negaret, & ſic negatio non fuiſſet abſolutè futura.

Itáque hæc futura contingentia ſub conditione cauſali quatuor affectiones habere ſolent. Prima eſt, quòd eorum plurima reipsâ nunquam ſint futura. Secunda,vt planè futura eſſent,ſi hęc,aut illa conditio, quę in plurimis eorũ de facto nũquam erit,poneretur, propter quas duas cõditiones appellantur futura, non ſimpliciter; ſed ſub cõditione. Tertia,vt eâ ipsâ cõditione poſitâ,non ſint futura ex neceſſitate,ſed ex libera determinatione volũtatis creatæ,ac proinde contingenter,ita vt poſſent non eſſe, vnde contingentia nominátur. Quarta,vt conditio haberet ſaltem aliquam rationem cauſæ reſpectu effectus ſecuturi,ne ſit propoſitio duntaxat temporalis,& ſolius,vt aiunt,coëxiſtentiæ,ſeu quod idem eſt, diſparatæ, & extraneæ conditionis; his præmiſſis; circa propoſitam in titulo quæſtionem.

III. Prima ſententia eſt quorundam,non eſſe in Deo certam Scientiam futurorum ſub conditione,quam tenere videntur quotquot ex recentioribus aſſerunt præſentiam realem in æternitate vnicam eſſe rationem Deo cognoſcendi futura: cùm enim hæc nullam vnquam habitura ſint realem pręſentiam, quia conditio non implebitur,non poterunt à Deo certò ſciri. Præterea ſecundò, illi qui has conditionatas propoſitiones,aut falſas, aut indeterminatas quoad veritatem aut falſitatem eſſe exiſtimant, conſequenter docent

Digitized by Google

docent poſſe quidem Deum coniectare aliquo modo quid cauſa libera faceret; ſi in tali occaſione cum his & illis conditionibus conſtitueretur, non tamen certâ, & infallibili Scientiâ illud cognoſcere; atque adeò poſſe iudicare quid foret veriſimilius, vel probabilius in tali euentu, non tamen definitum iudicium ferre. Refertur abſolutè pro prima iſta opinione Catharinus in opuſculo de prædeſtinatione circa finem partis ſecundæ, indicátque illam Ianſenius capite quadrageſimo ſecundo concordiæ, quòd, vt aliquam veri ſimilitudinem habeat, non debet tantùm intelligi de ſcientia coniecturali quæ ſit probabile duntaxat iudicium de ipſa futuritione, conditione ſuppoſitâ, deberet enim habere coniunctam formidinem de oppoſito, hæc autem repugnat Deo; ſed quæ ſit iudicium certum de congruitate rerum, & earum proportione ad futuritionem, conditione poſitâ; ſiquidem huiuſmodi coniectura eſt euidens, & certum iudicium, ac ſcientia, non futuri contingentis, ſed cuiuſdam veri naturalis, & neceſſarij; nam quòd talis euentus veriſimiliter aptus natus ſit ſequi ex voluntate taliter, vel taliter affecta, non pendet ex libertate voluntatis creatæ, ſed ſequitur ex natura rei.

Vera ſententia eſt, non minus certò futura ſub conditione cognoſci à Deo, quàm abſolutè futura, atque adeo Deum certâ, & infallibili ſcientiâ comprehendere de omnibus cauſis liberis, non ſolùm quid facere poſſent, ſed etiam quid eſſent facturæ, ſi cum his vel illis circunſtantiis crearentur, & operari ſinerentur, etiamſi vel creandæ non ſint, vel de facto non ſint permittendæ cum talibus circunſtantiis operari, & hæc eſt communis non modo inter Aſſertores Scientiæ quam vocant Mediam, ſed etiam inter Prædeterminantes, & probari ſolet tribus argumentorum generibus, nempe authoritate ſcripturæ, teſtimoniis Patrum, & rationibus. IV.

Primum teſtimonium vulgare ſumitur ex primo regum capite vigeſimo tertio, vbi Dauid conſuluit Deum, an ſi maneret in ciuitate Ceilæ venturus eſſet Saul, &, an ſi ipſe maneret, & ille veniret, ac circundaret ciuitatem, Ceilitæ eſſent illum tradituri: Reſponditque Deus ad vtrumque, & Saul veniet, & hi tradent te, quo audito, aufugit Dauid, Saúlque non venit, nec Ceilitæ Dauidem tra-

diderunt

Digitized by Google

ignorante; ſed certiſſimè præſciens quid vnaquæque voluntas ſit factura in quibuſlibet circunſtantiis,& conditionibus, prudenter decernit hominem conſtituere in illis circunſtantiis,in quibus vult illum operari, aut ſaltem vult permittere; interdum quoque decernit hominem non conſtituere in aliis occaſionibus, ne, ſi in illis ſit, operetur id quod Deus non vult illum operari. Hæc igitur Scientia dictabat Deo ab æterno,ſi Petrus interrogetur ab ancilla, negabit Chriſtum,eſtque actus ratione diſtinctus à Scientia abſolutè dictante Petrum eſſe interrogandum, & negaturum, quæ eſt Scientia viſionis,& veritas illius propoſitionis conditionalis eſt omnino diſtincta à veritate propoſitionis abſolutæ, quæ ſignificat interrogarionem, & negationem abſolutè futuras, & illa veritas eſt prior,& independens ab iſta,fieri enim poterat vt Petrus in illa occaſione de facto actualiter non poneretur,& non negaret, & ſic negatio non fuiſſet abſolutè futura.

Itáque hæc futura contingentia ſub conditione cauſali quatuor affectiones habere ſolent. Prima eſt, quòd eorum plurima reipsâ nunquam ſint futura. Secunda,vt planè futura eſſent,ſi hęc,aut illa conditio, quę in plurimis eorũ de facto nũquam erit,poneretur, propter quas duas cõditiones appellantur futura, non ſimpliciter; ſed ſub cõditione. Tertia,vt eâ ipsâ cõditione poſitâ,non ſint futuraex neceſſitate,ſed ex libera determinatione volũtatis creatæ,ac proinde contingenter,ita vt poſſent non eſſe, vnde contingentia nominátur, Quarta,vt conditio habeteт ſaltem aliquam rationem cauſæ reſpectu effectus ſecuturi,ne ſit propoſitio duntaxat temporalis,& ſolius,vt aiunt,coëxiſtentiæ,ſeu quod idem eſt, diſparatæ, & extraneæ conditionis; his præmiſſis; circa propoſitam in titulo quæſtionem.

III. Prima ſententia eſt quorundam,non eſſe in Deo certam Scientiam futurorum ſub conditione,quam tenere videntur quotquot ex recentioribus aſſerunt præſentiam realem in æternitate vnicam eſſe rationem Deo cognoſcendi futura: cùm enim hæc nullam vnquam habitura ſint realem pręſentiam, quia conditio non implebitur,non poterunt à Deo certò ſciri. Præterea ſecundò, illi qui has conditionatas propoſitiones,aut falſas, aut indeterminatas quoad veritatem aut falſitatem eſſe exiſtimant, conſequenter docent

docent poſſe quidem Deum coniectare aliquo modo quid cauſa libera faceret; ſi in tali occaſione cum his & illis conditionibus conſtitueretur, non tamen certâ, & infallibili Scientiâ illud cognoſcere; atque adeò poſſe iudicare quid foret veriſimilius, vel probabilius in tali euentu, non tamen definitum iudicium ferre. Refertur abſolutè pro prima iſta opinione Catharinus in opuſculo de prædeſtinatione circa finem partis ſecundæ, indicátque illam Ianſenius capite quadrageſimo ſecundo concordiæ, quòd, vt aliquam veri ſimilitudinem habeat, non debet tantùm intelligi de ſcientia coniecturali quæ ſit probabile duntaxat iudicium de ipſa futuritione, conditione ſuppoſitâ, deberet enim habere coniunctam formidinem de oppoſito, hæc autem repugnat Deo; ſed quæ ſit iudicium certum de congruitate rerum, & earum proportione ad futuritionem, conditione poſitâ; ſiquidem huiuſmodi coniectura eſt euidens, & certum iudicium, ac ſcientia, non futuri contingentis, ſed cuiuſdam veri naturalis, & neceſſarij; nam quòd talis euentus veriſimiliter aptus natus ſit ſequi ex voluntate taliter, vel taliter affecta, non pendet ex libertate voluntatis creatæ, ſed ſequitur ex natura rei.

Vera ſententia eſt, non minus certò futura ſub conditione cognoſci a Deo, quàm abſolutè futura, atque adeo Deum certâ, & infallibili ſcientiâ comprehendere de omnibus cauſis liberis, non ſolùm quid facere poſſent, ſed etiam quid eſſent facturæ, ſi cum his vel illis circunſtantiis crearentur, & operari ſinerentur, etiamſi vel creandæ non ſint, vel de facto non ſint permittendæ cum talibus circunſtantiis operari, & hæc eſt communis non modo inter Aſſertores Scientiæ quam vocant Mediam, ſed etiam inter Prædeterminantes, & probari ſolet tribus argumentorum generibus, nempe authoritate ſcripturæ, teſtimoniis Patrum, & rationibus. IV.

Primum teſtimonium vulgare ſumitur ex primo regum capite vigeſimo tertio, vbi Dauid conſuluit Deum, an ſi maneret in ciuitate Ceilæ venturus eſſet Saul, &c, an ſi ipſe maneret, & ille veniret, ac circundaret ciuitatem, Ceilitæ eſſent illum tradituri: Reſpondítque Deus ad vtrumque, & Saul veniet, & hi tradent te, quo audito, aufugit Dauid, Saúlque non venit, nec Ceilitæ Dauidem tradiderunt

diderunt, veritas autem huius reuelationis poſita eſt in his conditionalibus, ſi expectaueris, veniet Saul: ſi Saul venerit, tradent te, quæ ſunt liberæ, & contingentes.

Secundum teſtimonium ſumi ſolet ex Matthæi vndecimo, *Væ tibi Coroſaim, Væ tibi Betſaida quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent; & tu Capharnaum vſque ad infernum deſcendes, quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, forte vſque in hanc diem manſiſſent.*

Tertium legitur Iſaiæ ſexto, *excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne forte videat oculis, & corde intelligat, & conuertatur, & ſanem eum*; Quarto, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectũ eius, & ne fictio deciperet animam illius*, denique, Ioannis ſexto dicitur. *Cùm ſciret quia venturi eſſent vt facerent eum Regem fugit iterum in montem ipſe ſolus*, &c.

Neque eſt quòd dicas prædictiones illas non fuiſſe factas ex aliqua certa ſcientia, quam Deus de euentibus ipſis haberet, ſed ex vehemente, & graui coniectura, ob præſentem cauſarum diſpoſitionem, quod etiam confirmari videtur ex particula, *fortè*, quæ in nonnullis eorum locorum expreſsè adhibetur. Reſpondetur enim particulam *fortè*, vt exponunt Patres, ſignificare vel paucitatem eorum qui conuertendi erant, vel humani arbitrij libertatem, vel aſſeuerationem, ita vt idem ſignificet, *fortè*, quod vtique, vel dic particulam illam ſignificare vulgarem Scripturæ loquendi modum, quæ non ſemper loquitur philoſophicè, vt aiunt, ſed populariter, vel denique, vox eſt Dei, non hæſitantis, aut dubitantis, ſed increpantis.

V. Secundò probatur exiſtentia, ac neceſſitas Scientiæ Conditionatæ auctoritate Patrum, & primum argumentum deſumitur ex illa quæſtione quam ſæpè proponunt, cur Deus creauerit Angelos, & Adamum, eiſque præceptũ impoſuerit, cùm præſciret eos, ſi crearentur, & præceptum imponeretur, peccaturos. Secundum, ex admiratione ſanctorum quam habent ex eo quòd Deus aliquos præmaturâ morte rapiat, ne peccata committant, quæ præuidebantur commiſſuri, ſi amplius viuerent, alios verò non rapiat, etiamſi præuideat eos pariter peccaturos. Tertium ex eo quòd ſancti ſæpiſſime doceant hanc ſcientiam Deo eſſe neceſſariam, eâmque illâ vti, ad diſponendum ea quæ à cauſis liberis fieri debent, vel ſaltem ad

ad ea permittendum: ſic mala permittit, inquiunt, quia præuidet ex illis ſe bona eliciturum, ſi illa fiant. Quartum, ex eo quòd iidem de aduentu Chriſti in mundum diſputantes ſæpè docuerint tunc veniſſe Chriſtum quando præſciuit homines ipſi credituros, & Diuus Chryſoſtomus homilia 65. in Matthæum, docet, Paulum non priùs fuiſſe vocatum à Deo, quia antè præuidebatur repugnaturus. & homilia 31. in eundem, docet, Paulum, & Matthæum, fuiſſe vocatos eo tempore, quo Deus præuidit eos minimè reluctaturos.

VI. Tertiò probatur rationibus, quarum prima eſt ab inconuenienti, & à poſteriori; primùm enim, explicari nequit ratio gratiæ efficacis, prout differt ab ea, quæ eſt tantùm ſufficiens, niſi admiſsâ prædictâ conditionalium ſcientiâ, quæ eadem multis inſuper aliis fidei noſtræ myſteriis exponendis omnino eſt neceſſaria, vt dicemus infra. Secundò, ſequeretur Deum non poſſe vlli abſolutè denunciare futurum ipſius peccatum: nam, prædictâ ſcientiâ reiectâ, nihil eſt vnde Deus ſcire potuerit Petrum, exempli cauſa, non obſtante reuelatione ipſi à Chriſto factâ de trina negatione, non futurum eſſe cautiorem, ſed nihilominus prolapſurum. Tertiò, ſequeretur poſſe innumeras Deo proponi quæſtiones ab hominibus, ad quarum nullam poſſet aliquid certi reſpondere, verbi cauſa, quinam eſſent conuertendi, ſi tali tempore, vel loco, prædicaretur Euangelium? Vtrum quis victoriam eſſet reportaturus, ſi hoſtem expectaret, & cum eo confligeret, & ſimilia; quæ tamen homines maximè deſiderant ſcire; vnde, & oracula apud Gentiles, de huiuſmodi plerumque conſulta fuęre, eo quòd eorum notitia homini maximè conducat ad prudentem vitæ gubernationem, & rerum ſuarum commodiſſimam diſpoſitionem, in bello, pace, induciis, contractibus, & quibuſcunque negotiis: Nullus enim prudenter poteſt ſtatuere de fine, & intendere illum efficaciter, niſi præcognita habeat media ſibi poſſibilia ad talem finem infallibiliter, aut ſaltem probabiliter conſequendum. Quartò, ſequeretur nos non teneri certò credere, imò poſſe dubitare quando Deus de talibus reſpondet, vt, dum reſpondit Dauidi, quòd ſi Ceilæ maneret, Saül à quo ad mortem quærebatur, eam obſeſſum, & expugnatum veniret, &, eo veniente, Ceilitæ ipſum illi tradituri eſſent, &, ſi fingeremus, Dauidem, audito Dei reſponſo, iterum ab illo quærere an



Digitized by Google

certo ſciret, id quod prius reſponderat euenturum, dicendum eſſet Deum coactum iri, vel tacere, vel apertè profiteri ſe neſcire; quod eſt abſurdum.

Quintò, ſequeretur Deum non habere de huiuſmodi propoſitionibus conditionatis maiorem certitudinem quàm poſſit habere naturaliter creatura, nimirum homo prudens, vel Angelus, qui ex ſignis euentum cum morali quadam certitudine augurantur.

Sextò, ſequeretur Deum manere per totam æternitatem incertum de infinities infinitis conditionalibus, quarum hypotheſes re ipsâ nunquam ſunt ponendæ, ſed quæ tamen venire nobis poſſunt in mentem, & de quibus ipſe Deus interrogari poſſet à nobis, aut ab Angelis.

Septimò, ſequeretur Deum non habere perfectiſſimam prouidentiam, ſed in omnibus ferè, quæ operatur circa creaturam rationalē procedere cæco modo, neſciendo quid inde eſſet ſecuturum, vel duntaxat cōiectando, hoc autem intolerandum abſurdum eſt: ſiquidem diuina prouidentia, vt ſapientiſſimo modo procedat, coniunctâ habere debet hanc præſcientiam, vt perſpectum habeat quid ex omnibus ordinationibus ſuis ſit euenturum: item & ex promiſſionibus, alioqui quaſi tentando, & dubitando procederet, neque poſſet quidquam infallibiliter ordinare, niſi prædeterminando cauſas liberas, & tollendo ab eis libertatem; quam rationem latiùs exponit Suares in opuſculis capite quarto, libri ſecundi de ſcientia futurorum contingentium, eámque confirmat ex efficaci electione ad gloriam, quam putat eſſe factam gratis ante præuiſionem meritorum, itémque ex dono perſeuerantiæ, & confirmationis in gratia ſuppoſito quòd ſaluâ libertate conferatur; ex vocatione efficaci, & auxilio præueniente, ac tandem ex præfinitionibus actuum liberorum, quam exiſtimat, ſupponíque eſſe poſſibilem.

VII. Altera ratio quaſi à priori eſt, quia cùm Deus præditus ſit infinitâ vi intelligendi, Scientiam omnem poſſibilem habere debet, id eſt, quæcunque nullam implicat contradictionem, aut imperfectionem; at iſta eſt huiuſmodi, ergo. Probatur minor quia potiùs ita præuidere futura conditionata, ſumma perfectio eſt ſimpliciter ſimplex, nullámque excludens maiorem, vel æqualem, per ſe valde optabilis, & perfectiſſimo Prouiſori neceſſaria, & quam in Deo reperiri

periri naturalis hominum inſtinctus docet; omnes enim quos interrogabis quid fuiſſent facturi, ſi hoc, aut illud illis accidiſſet, illico confidenter reſpondebunt, non id quidem ſe ſcire, ſed Deum, paſſimque gentiles huiuſmodi Scientiam futurorum ſub conditione deſiderant, & conantur aſſequi conſulto numinis oraculo: non eſt ergo credibile id eſſe per ſe impoſſibile, & inuoluere contradictionem, quin potiùs ipſum commune iudicium, & appetitus generis humani apertè indicat rem eſſe poſſibilem, & expetendam, tanquam magnum bonum, ob idque eiuſmodi præſcientia maximi apud omnes exiſtimatur ad prudentem rerum ſuarum diſpoſitionem.

Ampliùs, ſicut diuina voluntas extendit ſe ad omne bonum apprehenſum, & omnipotentia ad omne bonum poſſibile, & immenſitas ad omne ſpatium imaginabile, & æternitas ad omne tempus; ita diuinus intellectus ad omne id quod eſt obiectiuè verum: at futurum contingens conditionatum eſt obiectiuè verum, ergo. Probatur minor omnibus illis rationibus quibus alibi probatum reliquimus propoſitiones ſingulares de futuro contingente abſoluto eſſe determinatè veras aut falſas, eſt enim par vtrobique ratio, nec conditionalis in hac materia differt ab abſoluta, niſi in conditione, quæ adiecta nihil adimit propoſitioni abſolutæ, niſi futuritionem abſolutam, cuius loco confert futuritionem conditionatam: ex quo ſequitur, vt ſi propoſitio ante adiectam conditionem habeat determinatam veritatem, eam profectò retineat poſt appoſitam conditionem, exempli cauſa, hæc propoſitio. Petrus in tali occaſione conſtitutus, & ab ancilla tentatus, negabit Dominum, erat determinatè vera ante rei euentum; neque enim euentus fecit vt inciperet eſſe vera, ſed veritatem eius antea latentem detexit, quòd ſi quis eãdem propoſitionem adiunctâ conditione protuliſſet, hoc modo. Si Petrus in tali occaſione conſtituatur, & ab ancilla tentetur, negabit Dominum; ſanè illius propoſitio veritatem ſuam non amiſiſſet, ſed omnino ac determinatè vera fuiſſet, quin etiam ipſa eadem priùs vera fuit in ſtatu conditionato, quàm in abſoluto.

Confirmatur, quia, ſi Petrus vocaretur ad actum contritionis eliciendum, reuerà conſentiret, vel non conſentiret, neque enim poſſet efficere vtrumque ſimul, ſed alterum duntaxat; illúdque, tametſi

 nobis

Digitized by Google

nobis ignotum, eſſet tamen determinatè verum, quamuis liberè euenturum;adeo vt poſſet non euenire; ergo,ſi nunc aliquis affirmaret id quod reuerà futurum eſſet tali conditione poſitâ,propoſitionem determinatè veram proferret,ſi negaret,falſam.

Denique,conſtat Deum affirmaſſe, & prædixiſſe multas huiuſmodi propoſitiones, ergo veriſſimæ erant, ac proinde neceſſariò cognoſcibiles,ſicut,& cæteræ ſimiles ab intellectu infinitè perſpicaci:& ſanè experimur, quòd dum propoſitiones de contingente futuro ſub conditione veniunt nobis in mentẽ,non ſtatim illis diſſentimus,ſed, ſi non perſuademur ſaltem ſuſpenſi manemus, vtra pars contradictionis vera ſit,aut falſa:ergo tales propoſitiones non ſunt falſæ ex terminis,nec earum veritas, aut falſitas eſt ſuſpenſa à parte rei,ſed ſolùm adſummùm, quoad nos:vnde fit,vt, qui volunt hanc Scientiam non eſſe in Deo, teneantur oſtendere eam eſſe quid impoſſibile,& repugnãs,nimirum, quia illius obiectum ſit inintelligibile,impoſſibile,ac repugnans.Nam niſi obiectum ſit huiuſmodi, potiùs repugnabit Deum illius cognitione carere.

VIII. Poſtrema ratio qua Aſſertores Scientiæ Mediæ neceſſitatem Scientiæ Conditionatę ſtabilire cõantur,deſumi ſolet ex humani arbitrij libertate;quæ non videtur poſſe conſiſtere niſi Deus ſinat illud agere motus ſuos, adeóque in determinando Concurſum ſuum reſpiciat ad determinationem creaturæ,illíque ſeſe accommodet, ſupponátque illam in præſcientia,cui argumento fauent dicta ſanctorum, dum docent, Deum ita nos vocare prout nouit nobis congruere vt vocantem ſequamur,ſic autem vocat in tempore prout decreuit ab æterno;ergo vocationem decernit ſuppoſitâ præſcientiâ conſenſus futuri ſi gratia vocationis adeſſet. Item Deum creatam voluntatem ſibi permiſiſſe, vt eligat quid placuerit.

Fauent etiam Theologi,ac Philoſophi,dum docent,primò cauſam liberam habere paratum Cõcurſum Dei non ſolùm ad actum quem ipſa facit, ſed etiam ad oppoſitum, & ad omnes illos quos facere poſſet,& non facit; Secundò, cauſam primam cum ſecunda concurrere ex certa intentione, non temerè, caſu,cæco modo, & ignorante, Tertiò, cauſam primam à ſecunda libera determinari quoad exercitium, & ſpecificationem actus liberi. Quartò,

Deum

Digitized by Google

Deum permiſſiuè ſolùm ſe habere ad actum peccati. Quintò, Deum præſcire futura in determinatione ſuæ voluntatis.

Nam primò, paratum eſſe Concurſum Dei ad actum quem homo non facit, non eſt aliud quàm Deum abſolutè fuiſſe decretutum concurrere ad talem actum, ſi præuidiſſet noſtrum arbitrium ſeſe determinaturum eſſe ad eundem actum. Secundò, non poteſt cauſa prima ex certa intentione concurrere cum ſecunda, niſi præſciat Concurſum illius, ad quem prima ordinet, dirigátque id quod ex parte ſua requiritur.

Tertiò, ſi determinatio cauſæ primæ fit à cauſa ſecunda, ergo cauſa prima ſupponit in præſcientia determinationem ſecundæ, neque poteſt Deus velle accommodare ſe determinationi cauſæ creatæ quin ipſam præuiderit.

Quartò, nec poteſt permiſſiuè ſolùm ſe habere ad actum peccati, quando illum producit, & coëfficit nobiſcum, niſi quia ad illum non determinat voluntatem noſtram, ſed ſinit ſe ab ea determinari, id quod benè intelligi nequit niſi ante decretū permiſſiuum, ſeu, quod idem eſt, ante decretum concurrendi ad actum prauum præſciat futuram arbitrij noſtri determinationem, ſuppoſito quòd ſe ipſi adiungere velit ad operandum, & quòd actionem illius non impediat, quam impedire neque vult, neque debet, ſed potius eandem cum voluntate noſtra coëfficere.

Quintò, non poteſt ſaluâ libertate noſtrâ præſcire futura in decreto ſuæ voluntatis, niſi quia per præſcientiam conditionatam ante omne decretum ſciebat certiſſimè de ſingulis actibus liberis, tam bonis, quàm malis in particulari, ipſos futuros tali tempore, loco, modo, &c. ſi cauſas liberas crearet, & in tali rerum ordine collocaret, & cum illis concurreret, vnde hoc ipſo quòd vult cauſas ipſas creare, & in tali rerum ordine conſtituere, & cum illis concurrere, nouit abſolutè iſtos actus eſſe futuros, poſitâ enim hypotheſi ſui decreti, præſcientia conditionata tranſit in abſolutam, vel potiùs abſoluta ſuccedit conditionatæ, atque hoc modo dicimus Deum præſcire futura in determinatione ſuæ voluntatis, & in decretis ſuis, non quibus inconſultâ noſtrâ volūtate decreuerit vt omnia ſic fierent, ſed quibus poſt Scientiam iſtam Conditionatam decreuerit cauſas creare, & tales diſpoſitiones circa illas ponere,



Digitized by Google

vel permittere, & cum illis concurrere, ſic, cùm ſciret Petrum negaturum, ſi permitteret eum poni in illo diſcrimine, & tentari, & cum illo ad operandum concurreret iuxta exigentiam voluntatis ipſius, hoc ipſo quod voluit id permittere, & cum illo concurrere, ſciebat negationem abſolutè futuram: & hæc præſcientia actus noſtri, in decreto Dei, eſt veluti abſtractiua, cui nihil præiudicat, aut repugnat altera veluti intuitiua per quam Deus ab æterno videt actus noſtros immediatè in ſeipſis.

IX. Ecce quomodo Aſſertores Scientiæ Mediæ exiſtimant illam eſſe omnino neceſſariam, vt conciliari poſſit libertas arbitrij noſtri cum ſimultaneo, & identificato Dei Concurſu & cum decreto illius nobis in tempore conferendi ad ſingulos actus noſtros cuiuſcumque ſint ordinis, nimirum ſupernaturalis, aut naturalis, quam eandem Scientiam Conditionatam docēt eſſe neceſſariam ad pleraque alia myſteria fidei noſtræ declaranda.

Præcipuè verò ad ſaluandam Dei innocentiam, & ſanctitatem non obſtante Concurſu identificato ad actus prauos, quia, inquiūt, per nos, & non per ipſum ſtat, quòd hîc & nunc coëfficiat actum prauum, ad quem non decreuit concurrere ex ſeipſo, aut ex affectu erga talem actum, ſed ex munere, ac debito cauſæ primæ, conſultâ voluntate noſtrâ, & præuiſo per Scientiam Mediam quòd ipſa determinare ſe vellet ad actum prauum; quò fit vt noſtræ ipſorum electioni, & malitiæ imputari dicant quòd Deus cooperatus nobis fuerit ad actum prauum, cùm tamen ipſe maluiſſet cooperari ad bonum, ſi voluntas noſtra id elegiſſet.

Veruntamen ſufficere nobis debent priora argumenta, quæ retulimus ad confirmandam neceſſitatem Scientiæ Conditionatæ, nihilque neceſſe eſt vti hac poſtremâ ratione, quæ, tametſi hac tempeſtate multùm inualuit, plena eſt tamen falſitatis; tùm quia ſupponit Deum neceſſariò concurrere debere ad actus noſtros Concurſu identificato, & ſimultaneo, cuius contrarium infra fusè oſtendimus, tùm quia ex dicendis in 2. parte huius opuſculi facile apparebit modum explicandi Scientiam illam Conditionatam, quo maximè vti ſolent Aſſertores Scientiæ Mediæ, eſſe inintelligibilem, impoſſibilem, ac repugnantem; neque explicari vnquam poſſe quidnam ſit illud quod Deus in voluntate noſtra per Scien-

tiam

Digitized by Google

tiam Conditionatam, aut Mediam intueri, & obſeruare quo natiua de veluti obiectiuè excitetur ad conferendum hunc potius quàm illum ſpecie Concurſum, ſi verum eſt voluntatem ne minimam quidem actionem poſſe elicere abſque immediato, identificato, & ſimultaneo Concurſu Dei, vt contendunt Aſſertores Scientiæ Mediæ; vnde tandem conſequens erit, vt, tametſi præſcientia conditionatorum contingentium ſub conditione congrua, & cauſali ſit vtiliſſima ad prudenter ſancienda decreta infinitæ Prouidentiæ ac ſapientiæ Dei, & alioqui neceſſariò competat intellectui diuino infinitè perſpicaci, & omniſcio, prorſus tamen nihil commodi afferre poſſit ad adſtruendam, conciliandámque libertatem creaturæ, & diuinam innocentiam, ac ſanctitatem cum decreto concurrendi nobiſcum ad actiones omnes noſtras liberas tametſi prauas Concurſu immediato, identificato, & ſimultaneo.

Cæterùm de nomine Scientiæ Mediæ nihil contendo, eſt enim ſanè veluti media inter Scientiam ſimplicis intelligentiæ & illam viſionis, quemadmodum futura ſub conditione quæ ſunt illius obiecta, neque ſpectantur ab ea præcisè vt poſſibilia, neque vt abſolutè futura, ſed veluti medium quendam ſtatum habentia, ſcilicet veluti conditionatè futura, propter quod ſcientiæ iſti nomen attributum eſt ſatis accommodatum Scientiæ Conditionatæ, aut Scientiæ Mediæ. Quòd autem patronos illius appellamus Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ, non id ita accipiant velim, quaſi exiſtimemus Scientiam futurorum conditionatorum eſſe nouitium commentum, prout illam aliqui immeritò appellant. Fatemur enim eam à Sanctis Patribus agnitam, intellectam, traditam; ſed quia altera pars auctorum Concurſus immediati hunc vſum iſti ſcientiæ attribuit, videlicet dirigendi Deum ad decernendum, prouidendúmque nobis Concurſum identificatum, huius potius, quàm illius ſpeciei; propterea nos qui hunc illius ſcientiæ vſum reprehendimus, non agimus contra Scientiam Mediam, nec contra priſcos illius Aſſertores, ſed contra Modernos, nec qualitercunque contra iſtos, ſed ſolùm quatenus exiſtimant beneficio Scientiæ Mediæ ritè explicari poſſe difficultates omnes, quæ moueri ſolent occaſione coniunctionis, & prætenſæ identitatis Concurſuum Dei & Creaturæ ad quamlibet iſtius operationem;

quem

Digitized by Google

quem quidem Scientiæ iſtius Mediæ vſum inficiamur Patres intellexiſſe & maiores noſtros annunciauiſſe nobis.

---

## CAPVT IV.

### *Quid ſit Prædeterminatio phyſica, à qua Prædeterminantes appellati, & quomodo à præfinitione diſtinguatur.*

I. QVi admittunt Concurſum Dei proximum, immediatum, & identificatum eſſe indiſpenſabiliter neceſſarium ad quamlibet operationem Creaturæ, diuiſi ſunt in plures dicendi modos; Aliqui enim eorum contenti ſunt proximo iſto, & identificato Concurſu, qui ſit influxus immediatè attingens effectum per modum viæ, actionis, productionis, ſeu dependentiæ à Deo ſimul, & à Creatura prodeuntis. Alij præter Concurſum Dei proximum, & identificatum cum actione creaturæ, quem libenter admittunt, requirunt præterea aliam inſuper Dei actionem, à priore diſtinctam realiter, quâ ipſe ſolus immediatè attingat & producat effectum: Denique alij, præter dictum proximum, ſimultaneum, & identificatum Concurſum Dei, requirunt ad ſingulas Creaturæ actiones præmotionem diuinam, quæ ſit aliquid à cauſa prima in ſecundas deriuatum, & in eiſdem receptum, quo moueantur, excitentur, applicentur, determinentur ad agendum, quódque ideò præſupponatur ad illarum actiones, veluti complementum virtutis agendi illarum, habens eſſe quoddam incompletum, intentionale, ac fluens ad eum ferè modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis: Et poſtremi quidem iſti rurſum diuiſi ſunt inter ſe, ſed quia conueniunt in adſtruenda prædeterminatione phyſica, propterea efficto ab hac eorum ſententiâ vocabulo, vt breues habeamus terminos, Prædeterminantes appellari poſſunt.

Et quidem duo ſunt quæ nos in hac prima parte huius opuſculi breuiter

Digitized by Google

breuiter explicare debemus de Prædeterminatione phyſica: Primum eſt illud quod habetur in titulo huius capitis. Alterum autem paulò poſt ſequentibus capitibus proponemus; nimirum qualiter circa ſcientiam contingentium, tum conditionatè, tum abſolutè futurorum, & circa decretum concurrendi nobiſcum, necnon etiam circa infallibilitatem prouidentiæ Dei, & alias difficultates affines, Prædeterminantes ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ diuiſi fuerint ob putatam ab vtriſque proximitatem Concurſus diuini, & identitatem eius cum Concurſu creaturæ; Cætera enim quæ ad refutationem ipſius Prædeterminationis phyſicæ pertinent, in tertiam partem huius opuſculi reſeruantur. Vt igitur accedamus ad inueſtigandam naturam Prædeterminationis phyſicæ; iterum aduertere oportet ſecundò, diſtingui poſſe duplex genus prædeterminationis, & de vtriuſque natura, & diſcrimine ſermo nobis eſſe debet: Vna eſt extrinſeca reſpectu volũtatis creatæ: Altera intrinſeca, & inhærens eidem, ac recepta in illa; Prima eſt actus efficax, & abſolutus voluntatis diuinæ, quo efficaciter, & abſolutè ſtatuit vt talis, aut talis actus à nobis fiat, hoc, aut illo tempore, nihil tamen immittendo in noſtram voluntatem immediatè ex vi talis prædeterminationis, ſeu præfinitionis, quam propterea appellare poſſumus prædeterminationem Dei purè immanentem, quia ex vi præciſa illius nulla entitas immediatè in noſtram voluntatem immittitur, ſiue per modum actus primi, ſiue per modum actus ſecundi, quo ea determinetur ad agendum.

Hæc prædeterminatio, quæ commodiùs appellari poteſt præfinitio, ſeu prædefinitio, nullo modo inhæret voluntati creatæ, ſed eſt omnino extra eam, imò non eſt opus vt ex vi illius præſtetur nobis Concurſus aliquis proximus, identificatus, & ſimultaneus; quia, tametſi per eam Deus præfiniat actus noſtros, decernátque ab æterno vt ſint, & conſequenter priùs duratione quàm reuerà fiant, tamen decernit eos eſſe futuros poſteriùs ratione quàm per Scientiam Cõditionatam viderit eos determinatè eſſe futuros, & à voluntate noſtra eliciendos, ſi Deus permittat illam operari ſolam, & omnia illi ad operandum requiſita concedat, prout infra oſtendemus Deum concedere poſſe, & permittere vt creata voluntas abſque immediato, & identificato Dei Concurſu operetur.

II. Verùm,hoc primum genus Prædeterminationis, ſeu præfinitionis,eſt potiùs quidam veluti conſenſus quo Deus directè conſentit vt actus liber à nobis fiat, & complacet ſibi in illo, ſi bonus ſit, aut ſaltem in illius permiſſione,ſi ſit malus;ac propterea multi exiſtimant hanc non eſſe propriè dictam præfinitionem. Appellant enim præfinitionem propriè, decretum diuinæ voluntatis abſolutum & efficax,quo vult aliquem effectum eſſe futurum, antequam abſolutè,& efficaciter,velit eſſe,aut permittere eſſe,(& conſequenter anteaquàm præſciat tanquam abſolutè futura) ea per quæ tanquam per media, vel occaſiones, aut merita effectus mandandus eſt executioni: nos autem præfinitionem iſtam immanentem in Deo ita intelligimus, vt Deus, per Scientiam Conditionatam intuitus hunc, aut illum actum liberum in tali occaſione eſſe futurum,ſi Deus permittat voluntatem noſtram in illa occaſione conſtitui,& in eadem operari, prout ipſa præuidetur ſub tali conditione volitura ſtatuat, determinétque,ac decernat permittere vt voluntas noſtra in illa occaſione conſtituatur, & in eadem operetur; Tunc enim iſte actus intelligitur eſſe à Deo prædeterminatùs, & conſultâ noſtrâ voluntate præfinitus, vt in rerum natura aliquando exiſtat.

Hac enim præſuppoſitâ in Deo Scientiâ Conditionatâ, facilè admittimus præfinitionem operum noſtrorum;ſiue formalem, ſiue virtualem, Præfinitionem autem formalem appellamus hunc actum diuinæ voluntatis,*Omnino volo vt hic homo tali tēpore,& occaſione reipsâ actum dilectionis eliciat*,Præfinitionem verò virtualem dicimus hunc actum *volo hunc hominem in tali occaſione conſtituere, eidémque dare hanc vocationem ad actum dilectionis,per quam,ſi detur illi, præuideo illum dilectionem eliciturum*,velle enim dare vocationem,quam præuideo fore efficacem vt dilectio habeatur, perinde eſt omnino moraliter,ac velle dilectionem reipsâ poni per hanc vocationem, tametſi differunt hi duo actus quoad modum tendendi, quatenus prior tendit ad dilectionem in obliquo, & ad vocationem in recto; poſterior tēdit ad dilectionē in recto, & ad vocationem in obliquo; Cæterùm quoad affectum,& effectum non videntur differre.Nam præfinire homini,& decernere talem occaſionem, & vocationem, cum præſcientia conditionata dilectionis ex illa conſecuturæ, eſt



Digitized by Google

virtualiter, implicitè, & æquiualenter præfinire illi ac decernere effectum ſeu finem vocationis, ſcilicet dilectionem præuiſam.

Dixi ſecundò, præfinitionem operum noſtrorum admittendam eſſe præſuppoſitâ ſcientiâ illorum *Conditionatâ* non autem *abſolutâ*, quia, dum Deus ſtatuit vt homo in aliqua occaſione conſtituatur, aut vocatione præueniatur, tametſi per Scientiam Conditionatam præuideat effectum aliquem ab illius voluntate in illa occaſione & vocatione productum iri, niſi ipſe Deus impediat; nondum tamen pro illo ſigno dici debet effectum illum eſſe iam omnino abſolutè futurum, ſed ſolùm determinatè eſſe futurum, quantum eſt ex parte creaturæ, ſi nihil obſtet ex parte Dei, ſiquidem adhuc fieri poſſet vt Deus decerneret eum impedire, vel non conſtituendo hominem in illa occaſione, vel non præueniendo vocatione, quo poſito, effectus ille non fieret, ac proinde in priore ſigno non eſſet abſolutè futurus, ſed tunc ſolùm effectus liber eſt abſolutè omnino futurus, quãdo Deus præuidens illũ eſſe determinatè, ſeu, vt aliqui loquuntur, abſolutè futurum à cauſa libera niſi impediatur, ſtatuit non impedire, ſed potius promouere vt actus ille fiat, ſi ſit bonus, aut ſaltem permittere, ſi ſit malus; & tunc dici poteſt eumdem prædeterminare, ſeu præfinire vt ſit, aut vt eſſe permittatur, in quo genere Prædeterminationis ſeu præfinitionis formalis, aut virtualis nullum apparet inconueniens quod illam reddat impoſſibilem.

Neque plura hîc à nobis de ea, pręſtudio breuitatis addẽda ſunt, niſi quod diximus eam eſſe extrinſecam reſpectu creatæ voluntatis, & purè immanentẽ in Deo, quatenus per eam Deus non immittit aliquid in voluntatem quo ipſa compellatur & determinetur ad agendum, ſed ſolùm ſtatuit vt voluntas ponatur in ea occaſione, & circunſtantiis in quibus præuidebatur operatura, ſi in illis poneretur, permittendo illi expeditum ſuæ libertatis exercitium; ex quo patet nos non vocare illam *purè immanentem* reſpectu occaſionum, & circunſtantiarum in quibus Deus ſtatuit vt voluntas creata conſtituatur, quia reſpectu illarum eſt tranſiens, mouénſque ad extra, quia facit vt voluntas creata conſtituatur in illis; ſed eſt immanens reſpectu operationis à voluntate prodeuntis, quia nihil immittit in voluntatem quo vrgeatur, determinetúrque, ad operandum.

III. Aliud genus Prædeterminationis eſt entitas creata, realis, & phyſica, in voluntatem noſtram immiſſa, per quam voluntatis indifferentia determinatur ad vnam contradictionis partem prius naturâ quàm operetur actum ſuum,ſiue liberum, ſiue neceſſarium; quæ prædeterminatio rurſum explicatur multipliciter: Aliqui enim exiſtimant entitatem illam eſſe qualitatem, alij eſſe modum, non qualitatem;alij ipſammet actionem vitalem cauſæ ſecundæ, prout eſt à Deo præmouente;alij neque eſſe qualitatem,neque actionem, neque actum primum neque ſecundum, ſed quid medium inter vtrumque, quod vocant motionem virtuoſam, quemadmodum refert Petrus à Sancto Ioſeph in defenſione Sancti Thomæ diſput. 2.ſect.3.

Probabiliùs autem,atque intelligibilius opinari videntur qui putant entitatem illam Prædeterminantem in prædicamento qualitatis eſſe collocandam, quia eſt comprincipium quoddam operationis; & quia percurrendo omnia prædicamenta, non apparet in qua altera categoria commodam ſedem obtinere poſſit; neque enim facilè intelliguntur qui putant eam eſſe actionem, ſeu motionem aliquam actualem de genere, & prædicamento actionis, tum quia non eſt actus vitalis, cùm à Deo ſolo fiat, voluntate ad illam paſſiuè duntaxat concurrente, & non etiam effectiuè, prout ad actum vitalem oporteret, præterquam quòd actus vitalis experimento ipſo cognoſcitur, ac deprehenditur, cuius contrarium accidit in motione iſta phyſica prædeterminante; Adde quòd per eam voluntas, neque amat, neque odit, neque aliud quidpiam operatur ſed ſolùm proximè actuatur, ac determinatur, vt amet, oderit, timeat, & aliud ſimile operetur.

Tum quia non ſolet actio ad actionem tendere tanquam ad terminum immediatum; quia actio eſſentialiter eſt egreſſio immediata à ſuo principio, ac proindè non poteſt dari egreſſio egreſſionis, niſi fortè in caſu quo Deus miraculosè vellet aſſumere actionem aliquam ad coëfficiendam dependentiam, & egreſſionem alterius effectus à ſuo principio, iuxta ſententiam quæ admittit potentiam obedientialẽ actiuam cuilibet rei competentem reſpectu cuiuſlibet alterius,ſed tunc illa actio non haberet rationem actus ſecundi, aut actionis, ſed principij partialis & inſtrumentalis; vt tamen actio

imme

immediatè, & tanquam via tendat ad aliam actionem, fieri nullo modo poteſt, quia ſic actio quæ haberet rationem termini, & effectus, non haberet rationem viæ, & egreſſionis ab agente, quæ eſt tamen eſſentialis ratio actionis.

Tum quia Deum, ex vi decreti ſui æterni antecedenter atque inconſultâ voluntate noſtrâ facti, ponere immediatè in ea actionem ipſam vitalẽ, concurrendo immediato, & identificato influxu phyſico ad eam, eſſet non modò voluntatem noſtram præmouere, & excitare, ſed & abripere ad cooperandum, & neceſſitare illam ad vnum, non autem permittere illi tam actum quem elicit, quàm eũ quem non elicit, prout requiritur vt exiſtimari poſſit eſſe libera.

Itaque entitas illa voluntatem prædeterminans, iuxta probabiliorem Aduerſariorum ſententiam, eſt qualitas producta à Deo per actionem tranſeuntem, ſed non eſt habitus, quia non eſt permanens ceſſante actu, ſed ſtatim tranſit, neque eâ vtimur cùm volumus, ſicut habitibus, ſed potiùs ipſa quaſi vtitur voluntate noſtrâ, & pertrahit illam ineuitabiliter ad conſenſum, ſeu ad alium quemcunque actum in quem ordinatur, ídque neceſſariò neceſſitate talis ſuppoſitionis, id eſt, talis entitatis: vnde ſupereſt vt, ſi vlla talis entitas prædeterminans admittenda ſit, ea eſſe debeat qualitas fluxa, & labilis, ac tranſiens ſicut impetus, realiter diſtincta ab actu vitali quem producit, & qua exiſtente, & receptâ in voluntate creata, exiſtimant Deum adhuc concurrere Concurſu identificato, immediato, & ſimultaneo ad actum, in quem Prædeterminatio iſta phyſica ordinatur.

Et quidem Aſſertores qualitatis iſtius phyſicè Prædeterminantis tradunt eam de ſe efficacem eſſe, & per ſuam phyſicam entitatem, ac per conſequens talis naturæ, cui præſenti ac receptæ in potentia omnino repugnet coniungi cum negatione conſenſus, diſſenſus, aut alterius cuiuſcunque operationis, in quam ipſa Prædeterminatio tendit; alioqui non eſſet vi ſuâ efficax; & hoc eſt primum quaſi principium in eorum ſententia: Non dico voluntatem non habere ſimul cum illa Prædeterminante qualitate potentiam ad non operandum, hæc enim fortaſſe eſſet quæſtio de nomine, cùm nihil magis prædicent quàm per Prędeterminationem, licèt impediatur negatio conſenſus, non tamen tolli poten- IV.

F 3 tiam

tiam quæ antea erat in voluntate ad non conſentiendum, ſed dico Prædeterminantes hac teneri ſententiâ, vt exiſtiment non poſſe voluntatem coniungere cum Prædeterminatione phyſica negationem actualem operationis,in quam ipſa ordinatur,ſeu non poſſe facere quòd hæc duo ſimul exiſtant, quod aliqui eorum ſolent explicare in hæc verba, *non manet*, inquiunt, *potentia ſimultatis*, *ſed manet ſimultas potentiæ*, id eſt, non poteſt voluntas efficere vt duo contradictoria ſint ſimul,nimirum conſenſus,& negatio eius,quod eſſet manere in homine potentiam ſimultatis,ſed tamen manet in homine ſimul cum motione Prædeterminante potentia libera, quod eſt manere in eo ſimultatem potentiæ.

Secundò,docent ſine hac Prædeterminatione nec fieri conſenſum,nec poſſe fieri;cùm enim ſine motione efficaci impoſſibile ſit voluntatem conſentire ( nimirum quia ſi conſentiret iam illa motio eſſet efficax,efficeret enim conſenſum ) ſanè ſi omnis motio efficax debet eſſe phyſicè Prædeterminans,impoſſibile erit conſentire ſine motione phyſicè Prædeterminante.

Tertiò,nullum qui hanc qualitatem recipit non conſentire, & oppoſitum eſſe impoſſibile non ex aliqua præſcientia Dei, aut ex alia ſuppoſitione ipſius conſenſus liberi,ſed quia motio,& qualitas illa talis eſt naturæ, vt potenter,& infallibiliter faciat voluntatem operari,quamuis liberè.

Quartò,aiunt per hanc qualitatem, voluntatem formaliter determinari ad vnum actum, & ad exercitium illius ,quia voluntas, quæ ex ſe erat indifferens ad eliciendum vel non eliciendum illum,vel etiam ad eliciendum alium affecta hac qualitate,ſeu motione,determinata manet ad cooperandum illi,ita vt non ſtet habere illam motionem, & non cooperari illi, vel aliquid illi repugnans operari.

Quintò , hanc qualitatem Prædeterminantem dari vel negari ex ſolo beneplacito Dei,ex quo infertur non eſſe in noſtra poteſtate vt in nobis ſit vel non ſit,quia ſit, & conſeruatur à ſolo Deo, voluntate paſſiuè ſolùm ſe habente ad illius receptionem, & non etiam actiuè ad productionem illius,quia non eſt actus voluntatis, ſed principium operatiuum actus : ex quo infertur iterum quod ſi Deus non decreuit dare, non eſt in poteſtate hominis habere il-

lam.

lam,eo quòd detur ex diuino decreto ante omnem præuiſionem operum facto,& nulla poſſit in homine excogitari diſpoſitio libera per quam ſit in poteſtate eius talem motionem, ſeu qualitatem obtinere.

Sextò,totam diſcretionem illius qui operatur, ab alio qui non operatur, prouenire ab hac qualitate, ſeu motione Prædeterminante, & in ea fundari etiam certitudinem diuinæ præfinitionis, ac præſcientiæ; ſcilicet quia entitas qualitatis Prædeterminantis eſt medium in quo infallibiliter cognoſcit Deus futurum conſenſum noſtrum, eo quod quicunque illam habet operetur, qui non habet,non operetur.

Septimò, voluntatem actiuè quidem determinare ſeipſam in actu ſecundo, dum actum ſuum vitalem liberum producit, priùs tamen accipere à ſolo Deo prædeterminationem phyſicam formalem in actu primo,ſenſus eorum eſt,inter voluntatem ipſam ex ſe omnino indifferentem, & exiſtentem in actu primo, quaſi remoto,& ipſum actum volendi liberum,qui eſt ſecundus & vltimus actus, intercedere quandam determinationem in actu primo, quam ſolus Deus facit in voluntate infundendo illi prædictam qualitatem ſeu motionem,quam quidem appellamus determinationem in actu primo,vt diſtinguatur contra determinationem in actu ſecundo quæ eſt ipſa operatio libera voluntatis.

Octauò,huiuſmodi motionem & qualitatem Alij Prædeterminationem phyſicam appellarunt, vt diſtinguerent eam à Prædeterminatione aut ſuaſione morali quæ fit per obiecti propoſitionem inſpirando,conſulendo,præcipiendo,alliciendo,deterrendo, &c. Alij quaſi phyſicam (conqueſti eorum Aduerſarios vocem iſtam Prædeterminationis phyſicæ nimis acerbè ſonantem adinueniſſe ad reddendam ſententiam eorum odioſam, qua tamen eadem voce poſtea ipſimet intrepidè vſi ſunt hodiéque etiamnum vtuntur) Alij omnino ex ſe,ac vi ſuâ efficacem,ſed non eſt hærendum in voce dummodo eorum ſenſus intelligatur, ſcilicet eam eſſe talem vt ex præciſa virtute ſua omnino determinet voluntatem ad actum ſeu conſenſum, & huic quidem Prædeterminationi tribuunt omnia quæ Scriptura, Patres, & Concilia docent de gratia in nobis operante vt velimus.

Nonò,

Nonò, docent neceſſitatem huius Prædeterminationis phyſicæ adæquatam, & formalem, vt ſic dicam, non oriri ex fragilitate quam homo peccato originali contraxit in operando bonũ, neque ex actuũ ſupernaturalium perfectione, quæ vires naturales creati arbitrij ſuperat, ſed, vel ex generali ſubordinatione quam voluntas creata ad diuinam habet hoc ipſo quod cauſa creata eſt, vel ex eo quòd humana voluntas cùm ſit ex ſe indifferens, non eſt apta ad aliquid volendum niſi à ſuperiore agente extrinſeco priùs determinetur, vel etiam quia cùm diuina prouidentia ſit firmiſſima, & indefectibilis, neceſſe eſt Deum mouere voluntatem noſtram ad effectum prouiſum per media quæ infallibiliter effectum ſunt habitura, abſque præiudicio tamen libertatis.

Denique hinc inferunt ſimile vel proportionale genus Prædeterminationis phyſicæ, & motionis requiri ad omnes actus voluntatis humanæ, etiam ad naturales, & non tantùm ad bonos, ſed etiam ad malos, pro materiali, quia ſcilicet voluntas non poteſt huiuſmodi actus vllos elicere niſi præmoueatur & prædetermінетur à Deo ad eos, ſaltem pro materiali: differentia ſolùm veluti materialis eſt in perfectione harum prædeterminationum, & motionum ſecundùm dignitatem actionum per eas exercendarum, Quinimo etiam ad omnem cuiuſlibet Creaturæ operationem exiſtimant requiri Prędeterminationem phyſicam, ob eſſentialem dependentiam, ac ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam; Atque hæc eſt ſententia omnium ferè Prædeterminantium vt cõſtat ex veriſſimo Suarij, Leſſij, & aliorum teſtimonio, necnon ex ipſis Prædeterminantium ſcriptis, ac libris, quam tamen ita intellectam non erit nobis operoſum refellere, quemadmodum in tertia parte huius opuſculi facturi ſumus; ſolùm enim præſenti capite hoc præſtare debuimus vt innoteſceret natura Prædeterminationis iſtius phyſicæ, vnde celeberrima illa Theologorum acies Prædeterminantium appellationem ſortita eſt.



Digitized by Google

## CAPVT V.

*In quo oſtenditur diſſenſionem, quæ eſt inter Prædeterminantes, & eorum Aduerſarios circa ſcientiam Conditionatorum, ortum habuiſſe ex eo, quòd vtraque factio putarit ad ſingulos actus noſtros eſſe neceſſarium Concurſum Dei proximum, immediatum, & ab operatione noſtra indiſtinctum.*

CVm dictum ſit capite tertio, non minus certò futura ſub conditione cognoſci à Deo quàm futura abſolutè, proptereáque Deum certiſſimâ, atque infallibili ſcientiâ comprehendere de omnibus cauſis liberis non modò quid facere poſſent, ſed etiam quid eſſent reuerà facturæ, ſi cum his, vel illis circunſtantiis crearentur, & operari ſinerentur, ſiue de facto creandæ ſint, & permittendæ cum talibus circunſtantiis operari, ſiue non ſint. Cúmque Scientia iſta Conditionata, ſeu futurorum conditionatorum, præſertim ex conditione cauſali, adeò luculenter euidentiſſimis Scripturæ, ac Patrum teſtimoniis, firmiſſimíſque rationibus, & argumentis ſtabiliri ſoleat, mirabitur non immeritò quiſpiam, quibus ex cauſis effectum fuerit vt plærique magni nominis, ac pietatis cùm Sæculares, tum etiam Regulares variorum Ordinum Theologi, in tantum abhorreant à Scientiâ Mediâ, quæ ſolo nomine à Scientia Conditionatorum differt, vt maximâ illam verborum amarulentiâ, & aſperitate, libris etiam editis, laceſſant, lacerent, arguant, atque redarguant. I.

Eapropter operæ precium facturum me duxi, ſi præcipuas aliquot cauſas hîc aperirem, ob quas Scientia Media tantam ad hæc vſque tempora ſuſtineat à Prædeterminantibus aduerſus ſemetipſam contradictionem; Neq; enim veriſimile eſt homines Chriſtiani pectoris, imò & eximiæ pietatis, & quorum magna pars ob communem Religionis inſtitutum ſtrictiore attingit neceſſitudine

præcipuos Scientiæ Mediæ Aſſertores, tantâ in eam verborum, animorúmque contentione inſurrexiſſe, ob ſolam contradicendi, diſputandíque libidinem; Neque etiam putandum id propterea factum eſſe, quòd Prædeterminantes exiſtiment, Deum non habere perfectiſſimam, certiſſimámque Scientiam futurorum ſub conditione; hoc enim ſuprà diximus eſſe falſum, tametſi immeritò à pleríſque illis imponatur. Neque ſimiliter controuerſia eſt inter eos, quaſi Prædeterminantes negent, Deum per Scientiam Conditionatam intueri futura conditionata immediatè in ſeipſis, atque in propria eorum entitate, & exiſtentiâ, quam habitura ſunt, ſi conditio impleatur, falſum enim eſt eos id negare, quin potius expreſsè docent quamlibet actionem conditionatè futuram ſiue à Deo ſolo, ſiue à Deo & à Creatura ſimul producenda ſit, eſſe actionem quandam indiuiduam, & ſingularem, & de qua Deus interrogatus reſpondere poſſet, & quam ipſe diſcernit ab aliis infinitis poſſibilibus, *Vocans quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*; fatentúrque diuinum intuitum diſtinctè ferri in huiuſmodi actionem conditionatè futuram immediatè, prout, & eodem modo quo eam videbit, quando in ſeipſa exiſtet à parte rei, & ſecundùm omnes rationes & circunſtantias exiſtentiæ, non quam habeat iam actu, ſed quam habitura eſt, ſi conditio impleatur, ſiue implenda illa ſit aliquando, ſiue non ſit.

II. Sed quæſtio, & difficultas potiſſima inter eos eſt, quia cùm vtrique conueniant in putata illa identitate Concurſuum Dei & Creaturæ, conſequenter exiſtimant, Deum nullam actionem voluntatis creatæ præuidere poſſe vt futuram à volunrate creata, quin eodem modo præuideatur vt futura ſimul à Deo; Cúmque Prædeterminantes exiſtiment, Deum coniungere Concurſum ſuum, concurſui creaturæ præmouendo eam, ac prædeterminando; conſequenter inferunt Deum Scientiam habere conditionatè futurorum, includendo in propoſitione conditionali, quæ dicitur eſſe obiectum Scientiæ iſtius Conditionatæ, decretum conditionatum prædeterminandi voluntatem creatam ad actum, qui præuidetur conditionatè eſſe futurus, in hunc ferè modum: Si Petrus in tali occaſione conſtitutus fuerit, habueritque Prædeterminationem phyſicam ad amandum, infallibiliter amaturus eſt, liberè

tamen

Digitized by Google

tamen: Atque id quidem præcognoſci à Deo fatentur prius ratione quàm Deus de euentu conditionis aliquid abſolutè decernat nimirum priùs quàm abſolutè ſtatuat vt voluntas Petri in illa occaſione conſtituatur, & vt Prædeterminatio phyſica ad amandum illi conferatur; aut vt oppoſitum fiat.

Et quidem Prædeterminantes hac in re cōſentaneè ad ſua principia locuti ſunt, ſuppoſitâ enim neceſſitate Prædeterminationis phyſicæ meritò arbitrati ſunt impoſſibile eſſe vt Deus præuidere poſſit, quid creata voluntas in his, aut illis opportunitatibus, & circunſtantiis, rerúmque ordinibus volitura, aut non volitura ſit, priùs ratione quàm de euentu conditionis abſolutè ſtatuat, niſi propoſitio conditionalis, inter alias conditiones, & auxilia ad operandum neceſſaria, includat etiam decretum conditionale prædeterminandi voluntatem creatam, alioquin enim, inquiunt, quacunque aliâ ſuppoſitione factâ, & poſitis quibuſcunque aliis conditionibus, adhuc erit dubium, & incertum, quiſnam actus à voluntate in illis occaſionibus conſtituta ſit futurus; & conſequenter propoſitio qua certò ſignificatur, Petrum, exempli causâ, in tali occaſione poſitum, amaturum fore, erit falſa, atque adeò inepta, vt ſit obiectum diuinæ Scientiæ voluntatem diuinam dirigentis; quia ſuppoſitâ neceſſitate Prædeterminationis phyſicæ ad quamlibet actionem creaturæ, non ſatis eſſet, ad præuidendam operationem certò, atque infallibilitate phyſicâ ſecuturam ex voluntate creata, præuideri alia cætera ad operandum requiſita, niſi, inter cætera, ipſa etiam Prædeterminatio præuideretur exhibita, aut exhibenda adeſſe, aut futura eſſe, quia omnia illa, quæ requiruntur abſolutè poſita vt effectus ſit abſolutè futurus, requiruntur etiam conditionatè poſita vt effectus ſit conditionatè futurus; requiritur autem, per eos, decretum abſolutum prædeterminandi ad hoc, vt effectus ſit abſolutè futurus; ſicut & Prædeterminatio de facto exhibita requiritur ad realem actus productionem; ergo requiritur etiam decretum conditionatum prædeterminandi ad hoc vt effectus ſit conditionatè futurus.

Aſſertores autem Moderni Scientiæ Mediæ, reiecto, ab illa propoſitione conditionali, decreto conditionato prędeterminandi, quia eſſet, inquiunt, conditio auferens ab actu voluntatis creatæ III.

indifferentiam & libertatem, loco illius includunt in eadem propoſitione decretum conditionale concurrendi proximo, immediato, atque identificato Concurſu, in hunc ferè modum, Si Petrus in tali occaſione conſtitutus fuerit, habueritque Concurſum Dei, qui neceſſarius eſt illi ad operandum, (videlicet Concurſum identificatum cum actu ſuo) amaturus eſt; Idque ſimiliter præcognoſci à Deo putant priùs ratione, quàm Deus de euentu conditionis, & de præſtatione, aut negatione Concurſus abſolutè decernat, ſiquidem præcipuum iſtius Scientiæ munus eſſe docēt, vt eius ductu ſapiens Dei prouidentia dirigatur ad nos in huiuſmodi occaſionibus conſtituendos, aut permittendos, vel è conuerſo non conſtituendos, nec permittendos, & ad Concurſum ſuum nobis præſtandum, vel denegandum; dirigitur autem ſanè voluntas, per Scientiam aliquo modo præeuntem, ac prælucentem.

At verò Prædeterminantes iterum validiſſimo argumento contra Aduerſarios inſurgunt; quia ſi propoſitio conditionalis, quæ eſt obiectum Scientiæ Conditionatorum, inter alias conditiones includat etiam conditionale decretum concurrendi Concurſu identificato, & proximo, requiſito ad amandum, in hunc modum; Si Petrus in tali occaſione poſitus fuerit, & ego decretum habuero concurrendi cum illo Concurſu identificato ad amādum, amabit; propoſitio eſt vera quidem, inquiunt, & certa; ſed non poteſt dici contingens, quin potius eſt propoſitio neceſſaria, & ſempiternæ veritatis, ac ferè identica, quæ ſanè à Deo cognoſcitur, ſed per Scientiam naturalem, aut neceſſariam, & ſimplicis intelligentiæ, nullatenus autem per Scientiam aliquam Mediam; quemadmodum neque hæc, Si Petrus in tali occaſione poſitus Prædeterminationem phyſicam habuerit ad amandum, amabit; ſi ad odiendum, oderit; nimirum, quia non eſt minor, ſed multò maior connexio inter Concurſum identificatum ad amorem, & ipſum amoris actum, quàm inter Prædeterminationem phyſicam ad amandum, & eundem amoris actum, cùm hîc ſolùm adſit connexio cauſæ, & effectus neceſſariò à cauſa ſecuturi; illic autem realis identitas, & indiſtinctio; Vnde ſi decretum conditionale prædeterminandi eſt conditio auferens ab actu libertatem, & contingentiam; etiam decretum concurrendi identificato

cato Concurſu eandem profectò libertatem euacuat.

Vtrique igitur abſolutè, & ſimpliciter loquendo, admittunt in Deo perfectiſſimam iſtam cognitionem futurorum contingentium conditionatorum, ſed litigant de modo, ſeu de conditionibus in obiecto iſtius Scientiæ contentis, & incluſis, occaſione, vt dixi, coniunctionis, exiſtimatæq; immediationis, & identitatis Concurſuum Dei, & Creaturæ: Cúmque plurimi Aſſertores Moderni Scientiæ iſtius Mediæ viderent eam commodi plurimùm adferre ad pleráque myſteria fidei noſtræ explicanda, eandem, vlteriùs quàm par eſt, ad alios vſus ſuos extendere, atque ad ſuarum opinionum defenſionem adhibere conati ſunt, quibuſdam in locis, ac materiis Theologicis, in quibus ſanè obiectum illius ritè aſſignari non poteſt, eo quòd multiplicem inuoluat contradictionem, nimirum ad defendendam, explicandámque prætenſam illam neceſſitatem diuinæ cooperationis proximæ, immediatæ, atq; identificatæ ad quamlibet actionem noſtram, bonam, ac malam, non obſtante libertate creati arbitrij, & diuinâ innocentiâ, ac ſanctitate, quando contingit actum illum eſſe prauum, quem Deus dicitur proximè, atque identificè, vt ſic loquar, nobiſcum operari.

Cùm igitur Aſſertores iſti Scientiæ Conditionatæ, ſeu Mediæ, eam adhibere vellent, non modò vbi obiectum illius ritè aſſignari poteſt, ſed etiam vbi non poteſt; ea ſanè plurimos contradictores habere cœpit, quorum nonnulli, vt liberè dicam, quod res eſt, exceſſiſſe mihi videntur, quemadmodum ferè ſolet accidere dum res, calore diſputationis efferueſcente, contentioſè tractantur: hinc enim factum eſt, vt eorum multi Scientiam Conditionatam negauerint, non modò vbi neganda erat, eo quòd obiectum illius taliter ab eiuſdem Aſſertoribus aſſignaretur, vt ex eo contradictoria ſequerentur; verumetiam vbi erat admittenda; atque ob id multifariis vſi ſunt argumentis, quorum equidem nonnulla efficaciter intentum probant; alia autem, ſi aliquid concluderent, ſequeretur nullam eſſe in Deo Scientiam Conditionatorum, quod cùm ſit falſiſſimum, eiuſmodi rationes, dum nimis probare ſatagunt, nihil probant.

Propter hoc, aduerſarij ex oppoſito, ad tuendam Scientiam

Mediam animoſiores effecti, defendere eam conati ſunt, non modò vbi erat admittenda, & neceſſaria, ſed etiam quibuſdam in locis, ac materiis in quibus ea explicari, & ſuſtineri non poteſt ſtante veritate illius propoſitionis, qua tamen maximè innituntur, de indiſpenſabili neceſſitate diuinæ cooperationis proximæ, & identificatæ, ad quamlibet creaturæ actionem; eámque ob rem, vt vim argumentorum declinare poſſent, ſubtiles multas reſponſiones ingenioſè excogitarunt, quas omnes, quantùm à nobis fieri poterit, fideliter propoſitas, diluemus.

IV. Ego verò, qui nullam exiſtimo neceſſitatem cooperationis iſtius proximæ, & identificatæ firmiſſimè admitto, Deum perfectiſſimè intueri quid creata voluntas in ſingulis occaſionibus pro ſua libertate eſſet volitura, ſi tamen ipſe omnia prærequiſita ad operandum exhiberet, ſimúlque omnia actionis, & libertatis impedimenta remoueret. Cæterùm aio in explicatione Scientiæ Conditionatæ diligenter eſſe cauendum ne in obiecto illius includatur aliquid quod ſit impedimẽtũ actionis, aut libertatis, aut quod vllâ contradictione implicetur, ne videlicet ipſammet Scientiam taliter explicemus, proponamúſque, vt eam faciamus impoſſibilem, ac repugnantem; cuiuſmodi eſſet, verbi causâ, ſi quis diceret, Deũ per Scientiam Mediam intueri quid creata voluntas pro ſua libertate in his aut illis occaſionibus actura eſſet, ſi neceſſitaretur ad vnum; aut ſi ipſa obiectum ab intellectu propoſitum non haberet; quia enim certum eſt voluntatem, eo caſu poſito, non poſſe operari, aut certè non liberè, certum quoque eſt, Deum intueri non poſſe illam in huiuſmodi circunſtantiis cum libertate operaturam; alioqui videret illam facturam aliquid quod eſt factu impoſſibile hoc autem eſſet, *videre vana, & diuinare mendacia*, quod de Deo dici nequit, non defectu Scientiæ in eo, ſed defectu ſcibilitatis in obiecto: ac propterea.

Dico, Deum diſtinctè intueri per Scientiam Conditionatam, quos actus creata voluntas in ſingulis occaſionibus operatura ſit, ſi in illis conſtituatur, permittatúrque libertatem ſuam exercere, & ſit alioqui cæteris omnibus ad operandum prærequiſitis inſtructa: nimirum, quia, ſi conditio impleatur, voluntas operabitur liberè aliquem actum, vel liberè ſuſpendet omnem, & Deus euentus iſtos ab

ab æterno præcognouit,priùs,ſecundùm rationem, quàm decernat aliquid de apponendis, aut remouendis impedimentis actionis; imo & de voluntate in tali occaſione,circunſtantiis,ac rerum periſtaſi, ſeu ordine conſtituenda, aut non conſtituenda, vel permittenda.

Veruntamen addo,inter eas conditiones neque poſſe neque debere intelligi,& præſupponi decretum conditionatum concurrendi Concurſu identificato,& ſimultaneo, prout voluerunt Aſſertores Scientiæ Mediæ, neque ſimiliter decretum Conditionatum Prædeterminandi,quemadmodū Prædeterminantes opinantur, eò ſcilicet quòd nullum tale decretū requiratur abſolutè poſitū,ad abſolutè futurā operationem creatæ voluntatis,quippe quæ operari poteſt & de facto operatur abſque Prædeterminatione phyſica,& abſque proximo,& indiſtincto Concurſu Dei, quemadmodum ego peculiari examine manifeſtum faciam quartà parte præſentis opuſculi. Hinc enim ſequitur, inter alias conditiones in obiecto iſtius ſcientiæ requiſitas, non poſſe nec debere numerari iſtam, ſi Deus proximè, & identificè cooperari voluerit: quia huiuſmodi Concurſus proximus (qui aliter præſtari non poſſet quàm vel per phyſicam Prædeterminationem, vel eo modo quem Aſſertores moderni Scientiæ Mediæ poſuerunt) non eſt conditio requiſita ad operandum,ſed potius impeditiua actionis, & libertatis; & conſequenter deſtructiua ipſius Scientiæ in cuius obiecto clauderetur, quia tamen neceſſe eſt, inter alias conditiones ad operandum requiſitas, intelligi etiam, & præſupponi Concurſum aliquem Dei (neque enim poſſumus quidquam ſine illo facere) is profectò talis eſſe debet,qualem nos in hoc opuſculo ponimus,ſcilicet qui ſit aliquid antecedens actionem noſtram, & ſe habens ad eam per modum actus primi,& quo in voluntate noſtra poſito,recepto, ac præſente,etiam in ſenſu compoſito,ipſa voluntas poſſit adhuc operari aut ab operatione deſiſtere, & actus oppoſitos facere & omittere, prout ipſi placuerit, quæ ſunt duæ partes ad vtramque libertatem noſtram neceſſariæ.

Rurſúmque hinc ſequitur, Prædeterminantes diuiſos fuiſſe ab Aſſertoribus Modernis Scientiæ Mediæ circa Scientiam Conditionatorum,eo quòd,inter conditiones in obiecto illius incluſas, vtrique

que numerauerint iſtam,nimirum,ſi Deus proximè , & immediatè cooperari voluerit,quam putabant & neceſſariam eſſe,& non poſſe aliter mandari executioni , quàm per phyſicam præmotionem , aut per Concurſum ſimultaneum,prout ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ ponitur:ex quo iterum ſequitur;vtroſque , ſi faterentur Deum non concurrere proximo , & identificato influxu phyſico ad actus noſtros , ſed voluntatem noſtram , cæteris omnibus ad operandum prærequiſitis inſtructam,eſſe cauſam totalem, & adæquatam actus ſui maximo illo onere ſubleuandos,inquirendi id quod nunquam reperire poterunt,ſcilicet quomodo tueri poſſint Scientiam iſtam conditionatorum contingentium,quamdiu in obiecto ipſius includent conditionem deſtructiuam libertatis,& quæ propterea Scientiam ipſam deſtruit,redditque impoſſibilem ac repugnantem.

V. Dices, Aſſertores Scientiæ Mediæ non ponunt in propoſitione conditionali decretum Conditionatum concurrendi Concurſu identificato ad hunc aut illum actum particularem,prout illis obiicitur , ſed ſolùm decretum concurrendi in communi vel ad hunc vel ad illum actum,hoc ferè modo , ſi Petrus in tali occaſione conſtitutus fuerit,& ego voluero concurrere cum illo prout voluntas eius elegerit,amaturus eſt ; atqui decretum iſtud , non eſt conditio auferens ab actu libertatem,aut reddens propoſitionem identicam, aut neceſſariam,vel ſempiternæ veritatis,quemadmodum eſſet iſta ſi Petrus in tali occaſione conſtitutus fuerit , & ego decretum habuero concurrendi cum illo Concurſu identificato ad amandum, amabit , ad odiendum,oderit , &c.

Reſpondeo. In propoſitione conditionali quæ eſt obiectum Scientiæ Conditionatorum debet includi idem decretum,eademque conditio quæ poſtea de facto in tempore , mandabitur executioni;atqui, per te,dabitur de facto in tempore Concurſus identificatus cum actu amoris , & daretur identificatus cum actu odij,ſi voluntas odiſſet,ergo in propoſitione conditionali , vel nullum includere debes decretum dandi Concurſum proximũ , & immediatũ;vel debes includere decretum dandi Concurſum identificatum, cum actu de quo agitur ; vel prædeterminatiuum illius ; at tu Concurſum prædeterminatiuum non admittis,ergo admittere debes in illa propoſitione Concurſum identificatum cum actu ; at verò

cùm

cùm huiuſmodi Concurſus reddat propoſitionem neceſſariam, ac ſempiternæ veritatis, qualis tamen eſſe non debet, vt ſit obiectum idoneum Scientiæ conditionatorum contingentium; fateri potius nobiſcum debes Concurſum Dei remotum duntaxat, & mediatum, qualem nos admittimus; & cum quo Scientiam Conditionatam Dei facillimè explicamus.

Et ſic patet, diſputationem de Concurſu Dei remoto vel proximo, diſtincto, vel indiſtincto à Concurſu creaturæ, non eſſe alienam à controuerſiis quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera, quandoquidem ipſi diuiſi fuerunt ab inuicem circa Scientiam futurorum Conditionatorum, ob præſuppoſitam ab vtriſque immediationem, identitatémque Concurſuum Dei, & Creaturæ.

## CAPVT VI.

*Aduerſarios, ob exiſtimatam immediationem, & identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ, diuiſos fuiſſe ab inuicem in præclara illa quæſtione, an Deus cognoſcat futura libera in aliquo decreto ſuæ voluntatis.*

NOn eſt propoſiti mei examinare in præſenti, quæſtionem iſtam Theologicam, vtrum Deus certò cognoſcat omnia futura contingentia in decreto ſuæ diuinæ voluntatis, circa quam tot ſunt ferè ſententiæ quot capita, ſolùm enim debeo hîc demonſtrare, Prædeterminantes circa iſtam difficultatem diuiſos fuiſſe ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, eo quòd vtrique pro certo habuerint, ac ſuppoſuerint, Creaturam operari non poſſe niſi Deo ad eandem actionem concurrente influxu proximo, immediato, & indiſtincto; ſic enim luculentiùs apparebit id quod in prima parte huius opuſculi demonſtrare debeo, ſcilicet ſententiam, quæ negat huiuſmodi Concurſum Dei proximum, & indiſtinctum ad quoſlibet actus noſtros, plurimum commodi afferre poſſe finiendis con- I.

H troucrſiis

trouerſiis quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, ac Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera, & diſputationem noſtram de Concurſu Dei remoto, vel immediato, non modò non eſſe alienam à prædictis controuerſiis, quemadmodum aliqui nobis obiiciunt, ſed potiùs ad veram earum radicem ſecurim neceſſariam poſuiſſe.

Et quidem ſi quòd hæc diſputatio mea de Concurſu Dei remoto vel proximo ad prædictas controuerſias finiendas impertinens ſit illi ſolummodò iactitarent, qui ſunt penitus illiterati, neque intelligunt quæ loquuntur & de quibus affirmant, nollem inutiliter ad oppoſitum efficaciùs ſuadendum, tempus laboremque conſumere, ſed contentus eſſem iis quæ in hanc rem dixi capite primo huius primæ partis: at verò quoniam nonnulli eorum qui hæc nobis obiiciunt eiuſmodi ſunt, vt vel eorum nomen atque authoritas plurimùm ad perſuadendos animos valere poſſit; non pigebit hoc ipſum adhuc manifeſtiùs declarare in duabus tribúſve quæſtionibus præcipuis, in quibus propter maximam earum affinitatem eadem quoque eſſe debebunt reſolutionum probationúmque principia, propter quod dabit nobis lector hac in parte veniam ſi aliqua ſæpiùs repetere videamur, neque enim erunt penitus eadem, & repetitio eam hìc referre poterit vtilitatem, vt & ſimul quæ ſit controuerſiarum radix, & quanta ſententiæ noſtræ Concurſum immediatum & identificatum denegantis commoditas melius intelligatur.

Notandum igitur, eſſe de fide, & ratione etiam naturali conſtare, quòd Deus ab æterno habeat euidentem, infallibilem, & non tantùm coniecturalem præſcientiam omnium futurorum contingentium in particulari ſecundùm omnes conditiones exiſtentiæ quam habitura ſunt, ſiue à Deo ſolo, ſiue ab eo interuentu voluntatis creatæ ſint producenda; ſed difficultas eſt in oſtendenda via, & modo, ſeu ratione formali, ac medio cognoſcendi huiuſmodi futura contingentia ad vtrumlibet, non quidem ex parte cognoſcentis, quia conſtat Deum per ſuam eſſentiam, tanquam per lumen, potentiam, actúmque intelligendi, ac veluti ſpeciem expreſſam hæc omnia cognoſcere, ſed ex parte rei cognitæ, tametſi enim communis opinio Theologorum ſit, Deum perfectiſſimè intueri

futura

futura iſta contingentia immediatè in ſeipſis, quemadmodum ea intuebitur quando in rerum natura exiſtent, verúmque erit dicere de præſenti quòd iam de facto ſint; tamen nulla res poteſt niſi ex diuina voluntate vel efficiente vel permittente eſſe futura, nulláque res creata habet ex ſua eſſentia,& neceſſariò hanc veritatem, vt ſit futura; alioqui ad eſſendum non indigeret beneficio Dei volentis determinatè vt eſſet futura, ſed eſſet futura independenter à voluntate diuina,& non eſſet in libera facultate diuinæ voluntatis determinare vt talis res non eſſet futura; ſicut non eſt in illius facultate determinare vt homo non ſit animal rationale, quia hoc eſt de eſſentia hominis; atqui repugnat eſſentiæ entis creati, ſiue entis ab alio quòd ſit futurum independenter ab ente à ſe, nam quemadmodum nulla res creata poteſt eſſe primum fundamentum exiſtentiæ ſuæ actualis,& exercitæ, quando eſt actu; ſed omnis res quæ non eſt Deus exiſtentiam accipit beneficio Dei eam conferentis, producentis,& conſeruantis, ſaltem remotè: ita priuſquam creatura actu de facto ſit, beneficio Dei accipit quòd ſit futura,& non poteſt ipſamet ſibi eſſe primum fundamentum exiſtentiæ ſuæ futuræ; ſed Diuina voluntas decernens efficere, aut ſaltem permittere, eſt fundamentum futuritionis vniuſcuiuſque futuri contingentis; Ex quo ſequi videtur eandem diuinam voluntatem ſimiliter eſſe fundamentum cognoſcibilitatis cuiuſcumque futuri reſpectu diuini intellectus, ita vt, vnde habet huiuſmodi futurum contingens vt ſit certò futurum, inde etiam determinetur diuinus intellectus vt cognoſcat de illo quòd ſit futurum, potius quàm quòd non ſit futurum.

Quærunt ergo Theologi, an decretum iſtud diuinæ voluntatis volentis producere in aliqua differentia futuri temporis rem illam, aut volentis permittere vt producatur, ſit ſufficiens determinatiuum diuini intellectus ad hoc cognoſcendum, ita vt hoc ipſo quòd Deus ſcit ſe velle producere rem illam, cognoſcat infallibiliter eam productum iri. II.

Et quæſtio potiſſima non eſt, de futuris quorum productio à Deo ſolùm dependet, vt creatio Angelorum, certum eſt enim cognoſci potuiſſe à Deo Gabrielem eſſe futurum, in decreto quod habuit ab æterno creandi illum, quia futura Gabrielis exiſtentia

 neceſſa

neceſſariam connexionem habet cum decreto quo efficaciter ſtatuit Deus creare illum, cùm voluntati diuinæ nemo poſſit reſiſtere;& illa alioqui ſit immutabilis: Neque ſimiliter eſt dubium, de futuris quæ Deus producturus eſt interuentu cauſarum non liberarum,& quæ in ſua actione non ſubiiciuntur vlli alteri agenti libero præter Deum,verbi cauſa, de futuritione noui luminis quod craſtinâ die producendum eſt à Deo interuentu Solis, propter eandem rationem;ſcilicet,quia futura luminis exiſtentia neceſſariam connexionem habet cum decreto,quo Deus efficaciter ſtatuit producere illud;ſed quæſtio eſt,de futuris actibus liberis creatæ voluntatis,ſiue illi ſint naturales,aut ſupernaturales,boni,indifferentes,aut mali.

III. Et quidem, authores qui conueniunt in aſſerenda neceſſitate Concurſus diuini,proximi,immediati, & identificati ad quemlibet actum noſtrum,circa hanc difficultatem diuiſi ſunt, ſiquidem ferè communiter Aſſertores Cõcurſus Prædeterminantis docent, Deum in decreto abſoluto, & efficaci ſuæ voluntatis, quo ſtatuit præmouere in tempore, & phyſicè prædeterminare voluntates noſtras,atque inſuper eum illis concurrere identificato Concurſu ad omnes eos actus quos ipſe ab æterno voluit eſſe futuros, cognoſcere certò, & infallibiliter eos omnes eſſe futuros, quantùm ad omnes circunſtantias,& quantùm ad ſubſtantiam illorum, ita vt ex parte huius decreti poſſit aſſignari ſufficiens ratio certitudinis ſcientiæ diuinæ reſpectu omnium operum noſtrorum contingentium, præſertim verò eorum quæ non ſunt mala moraliter. Quin etiam Aluarez lib.2.de auxiliis diſp. vndecima concluſione prima addit,Deum certò,& infallibiliter cognoſcere omnia peccata futura, in decreto quo ſtatuit prædeterminare voluntatem creatam ad entitatem actus peccati, inquantum eſt actio, & ens, & permittere malitiam moralem peccati,ſeu peccatum ipſum, vt peccatum eſt, quod ipſum ſenſerunt alij quoque Prædeterminantes,exceptis tamen paucis, qui cùm in cæteris actibus noſtris admittant Prædeterminationem phyſicam,eam tamen in actibus prauis,etiam quoad materiale, non audent admittere; propter quos addidi ſuprà limitationem. *Præſertim verò eorum quæ non ſunt mala moraliter.*

Sanè

Sanè, ſi datur in tempore Prædeterminatio phyſica ad aliquem actum, dubitari non poteſt quin decretum prædeterminandi voluntatem noſtram ad eum, ſit ſufficiens determinatiuum diuini intellectus ad certiſſimè iudicandum actum illum à voluntate noſtra, & à Deo ſimul coniunctim, & indiſtinctè operaturis eſſe futurum; vel hoc diſcurſu virtuali. Omnis actus ad quem Deus abſolutè ſtatuit prædeterminare voluntatem hominis, erit, cùm ipſe ſit omnipotens, & immutabilis conſilij; Atqui Deus vult abſolutè prædeterminare hominem ad actum iſtum; Ergo iſte actus erit; Qui diſcurſus à Deo cognoſcitur actu intellectus ſimpliciſſimo, éſtque in eo, non formaliter per realem actuum, & iudiciorum multiplicationem, ſed virtualiter, quatenus idem actus diuinæ ſcientiæ, indiuiſibilis ſecundùm entitatem ſuam, prout terminatur ad futurum contingens, dependet quaſi à ſeipſo, quatenus terminato ad dicta principia cognoſcendi, ſcilicet ad omnipotentiam ſuam, & ad diuinæ voluntatis immutabilitatem.

Vel ſecundò, abſque vllo diſcurſu etiam virtuali cognoſcitur à Deo futurus liber actus noſter immediatè in ſeipſo, nimirùm, quia cùm in priore rationis ſigno ante decretum Dei volentis prædeterminare noſtram voluntatem, iſte actus noſter eſſet indifferens ad eſſendum, aut non eſſendum; eo decreto prædeterminandi poſito, determinatur indifferentia illius ad alteram partem contradictionis, ſcilicet ad eſſendum, éſtque determinatè verum, actum illum eſſe futurum; Cúmque Deus infinitâ vi cognoſcendi polleat, neceſſe eſt, Deum videre actum illum immediatè in ſeipſo prout de facto à parte rei futurus eſt, ídque cognitione intuitiuâ, cùm prior ille cognoſcendi modus à multis eſſe dicatur veluti abſtractiuus.

At verò, Aſſertores Scientiæ Mediæ, quia nullam admittunt Prædeterminationem phyſicam ad actus noſtros liberos, ſed ſolo Concurſu identificato, & ſimultaneo contenti ſunt, conſequenter nullum admittunt in Deo decretum prædeterminandi voluntates noſtras in quo præuideri poſſit futurus aliquis actus liber, quin potius ex huiuſmodi decreto, ſi daretur, ſequi putant ablationem noſtræ libertatis; ſed ſolùm admittunt decretum concurrendi Concurſu proximo, immediato, identificato, & ſimultaneo. Rurſúmque inter ſe diuiſi ſunt in explicando illo decreto. IV.



Digitized by Google

Aliqui enim admittunt duplex decretum concurrendi nobiſcū ad quoſlibet actus noſtros. Primum, Conditionatum, ac veluti diſiunctiuum, quod ſit voluntas indifferens concurrendi, verbi cauſa, cum Petro, vel ad actum amoris, ſi amare voluerit, vel ad actum odij, ſi odiſſe voluerit, vel ad nullum prorſus actum, ſi pro ſua libertate Petrus voluerit, ac potuerit ſuſpendere omnem actū ſuum, & nullum producere. Secundum, eſt aliud decretum Abſolutum, & efficax concurrendi ad vnam determinatam partem, & non ad aliam, poſteaquàm Deus per Scientiam Mediam præuidit in quam partem voluntas humana eſſet inclinatura, ſi Deus illam conſtituere vellet in præuiſis occaſionibus & cum ea concurrere: Quia enim primum decretum erat indifferens & conditionatum, vi cuius, Deus ad nullam determinatam partem comparabatur, ſed vtramque oppoſitionis partem æqualiter reſpiciebat, nullam excludendo; requiri prætereà putant aliud decretum quod ſit efficax, abſolutum, & determinatum, vi cuius, reſpiciat Deus vnam determinatam partem, & excludat aliam oppoſitam, nam quemadmodum ipſe in tempore concurrit identificato Concurſu ad vnam determinatam partem, & non ad aliam, ita, inquiunt, ab æterno habuit efficax, & determinatum decretum volendi concurrere ad hanc partem & nolendi concurrere ad aliam.

Et quidem iſti benè, & conſequenter inferunt, Deum in priore illo decreto indifferente, conditionato, indeterminato ac veluti diſiunctiuo, non videre certò, & in particulari quiſnam actus liber à noſtra voluntate ſit futurus: Imò ne quidem quod aliquis actus in communi ſit futurus; quia, eo decreto poſito, voluntas creata poteſt adhuc determinare ſe, vel ad hunc actum, vel ad illum alterum, aut etiam ad nullum, prout ipſa elegerit. Quamobrem nullus apparet actus vt certò, & abſolutè futurus, donec, præuiſâ per Sciētiam Mediam determinatione voluntatis humanæ, accedat decretum particulare Dei volentis concurrere identificè ad illum actum determinatum quem voluntas creata elegerit, & non ad alium; ad eum ferè modum, quo Deus in decreto infundendi mihi habitum charitatis præciſè ſumpto, non poteſt prænoſcere quos actus, imò ne quidem an aliquos actus voluntas mea cum illo habitu ſit elicitura



Digitized by Google

tura, quia tametſi voluntas cum habitu poſſit operari, & habitus cum illa, tamen vtraque eſt cauſa adhuc indeterminata ad plures actus dilectionis erga Deum, vel proximum producendos, vel non producendos, donec voluntas, & ſe, & habitum ſuum abſolutè determinauerit ad operandum, aut non operandum, & ad vnum obiectum potius quàm ad aliud: Sic ergo, inquiunt, poſito decreto particulari, determinato, & abſoluto concurrendi ad certum aliquem actum, Deus præuidere poteſt in illo actum tanquam certiſſimè futurum; quia cùm actus ille non poſſit de facto in rerum natura produci à Deo, quin etiam producatur ab homine, (eſt enim actus Dei, & hominis Concurſu indiſtincto operantium) non poteſt præuideri producendus ab vno quin etiam appareat producēdus ab altero, apparet autem ſtatim producendus à Deo, exiſtente decreto abſoluto ac determinato concurrendi ad illius productionem Concurſu proximo, & identificato cum ipſo actu; ergo apparebit etiam illico vt producendus ab homine, poſito illo decreto, & non priùs.

Alij verò exiſtimant, hoc ſecundum decretum particulare, determinatum & abſolutum concurrendi ad certum aliquem actum, ſi daretur in Deo, fore decretum prædeterminans contrarium libertati noſtræ, & in actibus qui ſunt illiciti, diuinæ ſanctitati; propterea que illud non modò eſſe ſuperfluum, ſed etiam impoſſibile, ſtante incolumi vtraque illa conditione, Dei, & noſtra: Ex quo ſequitur, futura contingentia non poſſe cognoſci à Deo infallibiliter in aliquo decreto quod ipſe habeat concurrendi cum voluntate libera, quia non habet niſi decretum conditionatum, hoc autem nō eſt per ſe efficax, neque ſufficiens cauſa talis futuri; vtpote quod non poteſt per ſe, & vi ſua, præcisè illud inferre, ſed tantùm dependenter à conditione liberæ determinationis voluntatis creatæ, hæc autem eſt conditio adhuc pendens, indifferens, & indeterminata vt ponatur, aut vt non ponatur, etiam in ſenſu compoſito illius decreti conditionati. vnde neceſſariò ſequitur actum eſſe adhuc pendentem, & indifferentem vt ſit futurus, aut vt non ſit futurus, ac proinde non poſſe eumdem actum, vi illius decreti præuideri vt determinatè futurum per Scientiam infallibilem. V.

Verumtamen, quia neceſſe eſt ponere in Deo aliquod abſolutum

tum decretum reſpectu actus noſtri liberi, quod ſufficiat vt in eo cognito Deus cognoſcat actum noſtrum eſſe futurum, quemadmodum fateri tenentur omnes, & videtur expreſſum Iſaiæ 14. *Iurauit Dominus exercituum, dicens, ſi non vt putaui, ita fiet, & vt mente tractaui ita veniet*; & poſt pauca, *hoc conſilium quod cogitaui, Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Dicunt huiuſmodi decretum eſſe voluntatem abſolutam ponendi hominem in tali rerum ordine, ac ſerie, cum talibus circunſtantiis, occaſionibus, & motiuis, cum quibus per Scientiam Conditionatam præuiderat eum, ſi in illis conditionibus poneretur, hoc aut illud infallibiliter eſſe facturum concurrente Deo ad eumdem actum: hæc enim voluntas conſtituendi hominem in illis occaſionibus ſufficit vt actus à ſtatu futuritionis conditionatæ tranſeat ad futuritionem abſolutam, atque adeo vt qui fuerat per Scientiam Mediam præuiſus conditionatè futurus, ſi conditio illa poneretur; illâ poſitâ præuideatur vt abſolutè futurus ab vtraque cauſa prima & ſecunda Concurſu realiter indiſtincto operaturis; Ad hoc enim vt actus eſſet abſolutè futurus ſolùm deſiderabatur impletio conditionis per quam ſuſpendebatur.

Addunt tamen, decretum iſtud non eſſe omninò primam rationem cognoſcendi talem actum ſecundùm omnem ſtatum, tam conditionatum, quàm abſolutum, quia priùs ratione Deus ſupponitur cognouiſſe voluntatem humanam facturam eſſe illum, ſi conditiones aliquæ ponerentur, cuius cognitionis ratio non erat decretum iſtud abſolutum, ſed, vel veritas ipſius obiecti, vel determinatio voluntatis humanæ conſiderata in ſtatu conditionato.

Ecce qualiter ob putatam immediationem, identitatémque Concurſuum Dei, & Creaturæ, Prædeterminantes diuiſi ſunt ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ in hac quæſtione; aliis aſſerentibus decretum concurrendi Concurſu prædeterminante, eſſe primum, atque ſufficiens fundamentum futuritionis, atque adeo etiam cognoſcibilitatis quæ eſt in quolibet actu noſtro futuro, videlicet decretum conditionatum prædeterminandi reſpectu futuritionis conditionatæ, & decretum abſolutum prædeterminandi, reſpectu futuritionis abſolutæ: aliis id tribuentibus decreto efficaci, & abſoluto concurrendi immediatè, & identificè ad noſtros actus: Aliis verò

Digitized by Google

verò exiſtimantibus nullum decretum ita concurrendi ad eos eſſe ſufficientem rationem abſolutæ futuritionis, & cognoſcibilitatis eorum, ſed decretum conſtituendi nos in ſerie conditionum præuiſâ per Scientiam Mediam; vel decretum conditionatum concurrendi, non ſolitariè ſumptum, ſed coniunctim cum Scientia conditionalium quam ſupponit, quaque cognoſcit Deus quid quibuſque poſitis euenturum ſit.

Nos autem aſſerimus primò: Quòd, ſi Deus in tempore concurreret proximo, immediato, & identificato Concurſu ad quaſlibet actiones noſtras bonas, aut malas, prout intendunt Aduerſarij, non ſufficeret illi ad hoc voluntas conditionata, indifferens, indeterminata, aut diſiunctiua concurrendi vel ad hunc vel ad illum actum, prout rationalis creatura eligere voluerit: ſed oporteret illum habuiſſe ab æterno decretum poſitiuum, abſolutum, & efficax determinatè concurrendi ad omnes, & ſingulas actiones quas elicimus, & nolitionem poſitiuam concurrendi ad eas quas de facto non elicimus cùm tamen poſſemus illas elicere, quia impoſſibile eſt vt Deus maneat quaſi ſuſpenſus, aut vt negatiuè ſe habeat circa aliquod obiectum, ſed habere neceſſariò debet abſolutum, determinatúmque efficax decretum, quo poſitiuè de qualibet re poſſibili ſtatuat vt ea producatur aliquando, aut è contrario vt nunquam producatur. Et ſic quoties homo, vel dæmon eliceret actum, verbi gratia, odij Dei, neceſſe eſſet, Deum habuiſſe ab æterno actũ volitionis qui ſic exprimeretur; *Volo in tali puncto temporis cum illo homine, vel dæmone producere actum liberum odij Dei, & nolo pro tunc concurrere cum illo ad actum oppoſitum dilectionis, neque ad vllum alium ex iis quos ipſe non eliciet, ſed potuiſſet tamen elicere.*

Veruntamen, cùm huiuſmodi voluntas diuina nec poſſit, nec debeat eſſe decretum Prædeterminandi phyſicè hominem, vel dæmonem ad actum odij Dei, quia id repugnat tum creatæ libertati, tũ etiam diuinæ ſanctitati, Cùmq; omnino verũ ſit quod Suarez in opuſc. & alij poſt illũ plurimi docent, decretũ illud non poſſe etiam nec debere eſſe abſolutũ, determinatúmq; efficax decretum concurrendi in particulari Concurſu identificato ad eundem actũ odij, & non ad vllũ alium, quia ſi daretur vllum tale in Deo, perinde deſtrueret libertatem Creaturæ; & in actibus peccaminoſis ad-

uerſaretur diuinæ ſanctitati, non minùs quàm decretum prædeterminandi, imò ipſum eſſet decretum Prædeterminandi: Cùmque decretum concurrendi proximo & identificato Concurſu, non poſſit eſſe aliud quàm vel conditionatum & indeterminatum, vel abſolutum, ac determinatum, quorum illud eſt inſufficiens ad inferendum effectum, iſtud autem eſt impoſſibile ſtantibus libertate noſtrâ, & diuinâ ſanctitate; ſequitur nullum dari tale decretum in Deo concurrendi nobiſcum proximo, & identificato Concurſu, ſed opinionem quâ aſſerebatur neceſſitas Cõcurſus diuini proximi, & identificati ad quemlibet actum noſtrum, quæ radix fuit diſſẽſionis quæ in hac præclara quæſtione interceſſit inter Aduerſarios aduersùm ſe inuicem, eſſe reformandam, & corrigendam.

VII. Dicimus ſecundò, inficiatâ illâ cooperatione proximâ, & identificatâ Dei, facillimè à nobis explicari decretum quo Deus præfinire poteſt noſtros actus, ſiue vt fiant, ſiue vt fieri permittantur, ac proinde facillimè explicari qualiter in decreto huiuſmodi præfiniente, Deus certiſſimè intueri poſſit actum noſtrum vt abſolutè futurum.

Sic autem explicamus; nimirum, cùm voluntas noſtra, iuxta noſtram ſententiam, ſit cauſa totalis, & adæquata ſuæ operationis modò cæteris omnibus ad operandum prærequiſitis inſtructa ſit, inter quæ nullus, vt dixi, requiritur Concurſus Dei prædeterminãs, aut identificans, benè tamen habitus, aut qualitas ſupernaturalis, ſi operatio noſtra futura eſt ſupernaturalis, hinc fit, vt Deus per Sciẽtiam Conditionatam intueatur quos actus naturales, aut ſupernaturales, bonos, aut malos voluntas creata ſit operatura, aut non operatura in ſingulis occaſionibus, & circũſtantiis, ſi in illis conſtituatur, habeátque coniunctum ſibi habitum, aut qualitatem ſupernaturalem, ſiquidem de actu ſupernaturali ſermo fuerit, neceſſe eſt enim Deum præcognoſcere ab æterno euentus omnes.

Tum verò deinde poſteriùs ratione Deus ſtatuit abſolutè de euentu conditionis, & de operatione ſecutura, ſcilicet decernendo permittere, vel efficere vt voluntas in illis occaſionibus conſtituatur, & neceſſariis comprincipiis ad naturaliter, aut ſupernaturaliter operandum inſtruatur, aut ex oppoſito, vt non conſtituatur, nec inſtruatur; quo ipſo euidens eſt Deum per ſcientiam viſionis

nis cognoſcere implendam, aut non implendam eſſe conditionem prout ipſe decreuerit, conditionem, inquam, per quam ſuſpendebatur euentus ne adhuc eſſet abſolutè futurus, aut abſolutè non futurus, & ſic purificatâ conditione illâ, neceſſe eſt Deum intueri actum naturalem aut ſupernaturalem voluntatis abſolutè futurum; aut futuram eius negationem abſque eo quòd decernat prædeterminate, aut Concurſu proximo, & identificato concurrere; ſed ſolùm Concurſu remoto, ac mediato qualem diximus eſſe neceſſarium ac ſufficere.

Atque ita voluntas conſtituendi hominem in prædictis occaſionibus in quibus præuiſus fuerit operaturus, æquiualenter, ac virtualiter eſt voluntas ipſius operationis, in qua voluntate poteſt certò præuideri ipſa operatio vt abſolutè futura; & quidem, ſi operatio fuerit illicita, voluntas Dei ſolùm eſt ad illam permittendam; ſi verò bona, etiam ad promouendam; eritque Deus de actu noſtro libero à ſe volito ac præfinito ſecuriſſimus, quia nullum abſolutè præfiniet actum, ſiue formaliter in ipſo actu, ſiue virtualiter in præuiſis cõditionibus, & diſpoſitionibus, neque ſtatuet permittere, aut efficere vt vllus actus à noſtra voluntate liberè fiat, niſi quem iam ante, & ſecundùm rationem prius per Scientiam Conditionatam præuiderat liberè à nobis adæquatè, & totaliter concurrentibus eſſe producendum, ſi voluntas noſtra in his, aut illis occaſionibus, & circũſtantiis poneretur. Et ſic patet quanta ſit vtilitas ſententiæ negantis Concurſum Dei proximum, & identificatum ad ſingulos actus noſtros eſſe neceſſarium, quàm alioqui eſſe veriſſimam quartâ præſertim parte huius opuſculi demonſtraturi ſumus.



Digitized by Google

# CAPVT VII.

*Qualiter in explicanda infallibitate prouidentiæ Dei circa actus noſtros liberos, non obſtante eorum contingentiâ, Prædeterminantes diuiſi fuerint ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, ob exiſtimatam ab vtriſque identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ.*

I. QVia Diuinæ prouidentiæ de actibus noſtris tum naturalibus, tum etiam ſupernaturalibus ordinanti, & diſponenti duo conuenire debent, videlicet omnimoda infallibilitas, firmitáſque, ſeu vt alij loquuntur, indefectibilitas, in eo conſiſtens quòd implicet contradictionem actum aliquem humanum efficaciter à Deo eſſe volitum, ac intentum, & tamen eum non euenire; & ſumma, ſuauitas, in eo ſita, quòd diuina voluntas, dum coniungit ſe homini ad operandum cum illo; dúmque applicat media opportuna, & conſentanea, vt ſua prouidentia, & voluntas indefectibilis effectum ſortiatur, integram tamen creaturæ rationali permittat agendi, & non agendi libertatem; neceſſe eſt, Deum priùs ratione quàm actum noſtrum liberum fieri abſolutâ voluntate intendat, præcognita habere efficaciſſima media, quibus adhibitis ipſe de effectu à ſe intento poſſit eſſe ſecuriſſimus, & procul omnino abeſſe ab omni periculo fruſtrationis, ambiguitatis, aut deceptionis; alioquin eſſet imprudens, ac temeraria voluntas quæ abſolutè aliquid vellet vt infallibiliter efficiendum, ignorando, aut non habendo in ſua poteſtate media quibus efficere poſſit vt infallibiliter fiat.

Itaque, vt duæ iſtæ conditiones, infallibilitas nimirùm, & contingentia coniũgantur in eodem actu humano, & libero, ſiue ille ſit ſupernaturalis, aut naturalis, quem Deus præfinierit; neceſſe eſt, Deum ex vi ſuæ præfinitionis, ac prouidentiæ taliter mouere humanam voluntatem, & taliter cum illa concurrere, vt omnino infallibiliter

fallibiliter efficiat actum, quem Deus intendit, ac præfiniuit; & vt ille actus nihilominus euadat liber, quæ duo videntur incompatibilia.

Nam actum aliquem humanum infallibiliter eſſe futurum, perinde eſt, ac ſi dicamus, falſitatem eſſe non poſſe in propoſitione quę aſſeruerit actum illum eſſe futurum, & intellectum illum falli, & errare non poſſe, qui iudicauerit, aſſerueritque actum illum eſſe futurum; (Conſtat enim infallibilitatem relationem habere ad mentem, ſeu intellectum, non minus quàm veritatem, & falſitatem) hoc autem eſt, propoſitionem illam non poſſe eſſe falſam, & conſequenter neceſſariò eſſe veram: Atqui propoſitionem illam neceſſariò eſſe veram, præſupponit futuritionem euentus aliquo modo eſſe neceſſariam.

Quemadmodum enim ab eo quòd res eſt, aut non eſt, propoſitio de præſenti dicitur vera, vel falſa, & ex eo quòd res fuit, aut non fuit, propoſitio de præterito dicitur vera, vel falſa, & ex eo quòd res futura, aut non futura eſt, enunciatio de futuro dicitur vera, vel falſa: ita ex eo, quòd res neceſſariò eſt, fuit, aut futura eſt, vel ex oppoſito non eſt, non fuit, aut non futura eſt, propoſitio quâ aſſeritur rem eſſe, fuiſſe, aut futuram eſſe, dicitur neceſſariò vera, aut neceſſariò falſa, & quemadmodum ſe habet ſimplex veritas enunciationis ad ſimplicem exiſtentiam obiecti, in qua fundatur, ita ſe habet neceſſitas veritatis, quæ in enunciatione reperitur, ad neceſſitatem exiſtentiæ obiecti: quò fit, vt quia cognitio quam Deus habet de futuritione alicuius actus noſtri eſt neceſſariò vera, ita vt repugnet eum decipi, aut falli poſſe, neceſſe etiam ſit actum noſtrum, quem Deus cognouit, ac præordinauit eſſe futurum, habere quandam ſpeciem neceſſitatis, vt fundare, ac terminare poſſit cognitionem Dei neceſſariò, atque infallibiliter veram.

At verò ex alia parte, actum aliquem noſtrum liberè, & contingenter eſſe futurum, idem eſt, ac non eſſe neceſſariò futurum, ſed ita accepturum eſſe exiſtentiam à cauſa quæ illum productura eſt, vt ea ipſa poſſit, ſi velit, ab iſtius effectus productione abſtinere; Eſt autem perdifficile ad explicandum quomodo exiſtentia, ſeu futuritio eiuſdem actus poſſit eſſe neceſſaria ſimul, & non neceſſaria; neceſſaria, prout requiritur ad infallibilitatem; nō neceſſaria, prout

requiritur ad contingentiam; quæ ſanè difficultas non eſt maior in actu libero ſupernaturali quàm in naturali, ſed vna prorſus, & eadem in vtroque, eámque ob rem ſimiliter vtrobique explicari debet.

II. Propter hoc, Prædeterminantes præcipuè ſolliciti de ſaluanda indefectibilitate prouidentiæ Dei, atque adeò de explicanda infallibilitate actus noſtri à Deo præordinati, ac præuiſi; cùm alioqui præſupponerent nullum actum produci à nobis poſſe, quin neceſſe ſit vt Deus ad eundem proximè, immediatè, atque identificè producendum conueniat eodem puncto, ac momento temporis; exiſtimauerunt aptiſſimum medium ad cõiungendam in eodem actu Dei, & noſtro ſiue ſupernaturali, ſiue naturali infallibilitatem cum libertate, eſſe Prædeterminationem phyſicam, qua in voluntate hominis receptâ infallibile eſt effectum, pro quo ipſa conferetur, eſſe futurum; liberè tamen, inquiunt, quia Prædeterminatio facit nos velle, & operari id quod Deus vult, & eo modo quo ipſe vult; ipſe autem vult nos velle, & operari liberè.

Hinc fit, vt Deus per Scientiam ſimplicis intelligentiæ (quam tamen eorum plerique permittunt vocari Scientiam Conditionatam) præcognitam habens certiſſimam efficaciam cuiuſlibet Prędeterminationis phyſicæ, clariſſimis oculis præuideat quinā actus humani in ſingulis occaſionibus, ex qualibet phyſica Prædeterminatione quam ipſe adhibere voluerit, ſint ſecuturi; propter quod ipſi, quemadmodum diximus ſuprà cap. 5. in obiecto Scientiæ Conditionatæ, inter alias conditiones ad effectus futuritionem conditionatam neceſſarias, includunt decretum conditionale Dei prædeterminandi voluntatem, in hunc ferè modum; Si Petrus in hac, aut illa occaſione conſtitutus fuerit, habueritque Prædeterminationem phyſicam ad hoc, aut illud faciendum, certiſſimè hoc, aut illud aget; Eâ verò præſuppoſitâ Scientiâ, dicunt Deum abſolutè, & efficaciter eligere, ac præfinire, aut ſaltem permittere quos actus ipſe maluerit ex iis quos iam antè præuiderat eſſe futuros, ſi conditiones illæ implerentur, & phyſicæ Prædeterminationes accommodatæ conferrentur, decernendo vt Petrus, exempli gratiâ, in tali occaſione conſtituatur, & vt Prædeterminatio phyſica ad operandum actum præfinitum illi conferatur:

atque

Digitized by Google

atque ita exiſtimant, decretum Prædeterminandi voluntatem creatam, atque adeò ipſam Prædeterminationem ex eiuſmodi decreto ſecuturam reddere prouidentiam Dei indefectibilem, & deeffectuà ſe intento ſecuriſſimam.

Alij contrà, reiectâ Prædeterminatione phyſicâ ab actibus noſtris, tum naturalibus, tum etiam ſupernaturalibus, tanquam libertatis noſtræ inimicâ, ſed tamen admiſſâ proximitate, immediatione, & identitate Concurſuum Dei, & Creaturæ, voluerunt Deum de quolibet actu libero humano, naturali, aut ſupernaturali, à ſe intento, ac præfinito, eſſe ſecuriſſimum beneficio Scientiæ Mediæ, non quidem includentis in obiecto decretum conditionatum prædeterminandi, ſed duntaxat decretum conditionale concurrendi Concurſu immediato, proximo, & identificato, eóque naturali, & ordinario, ſi actus futurus ſit naturalis; aut præſtantiore, & ſupernaturali, ſi actus futurus ſit ſupernaturalis: eâ enim Scientiâ admiſſâ, & præſuppoſitâ, perſpicuum erat nullum eſſe periculum ne creatura diſſentiat, & Deum nullo modo exponi periculo carendi effectu, quem prælucente ſibi Scientiâ illâ Mediâ abſolutè intendit, ac præfiniuit, etiamſi neque intrinſecè, neque extrinſecè, ſiue per modum principij, & actus primi, ſiue per modum cauſalitatis voluntatem creatam præmoueat, atque ad conſenſum phyſicè prædeterminet; nimirum, quia non præfiniuit actum, niſi quem per Scientiam infallibilem iam antè, hoc eſt, in priore ſigno rationis, præuiderat infallibiliter eſſe futurum, ſi voluntatem creatam in his, aut illis circunſtantiis, & occaſionibus ſtatueret, aut ſtatui permitteret, ſuúmque Concurſum immediatum, & indiſtinctum, ac denique omnia ad operandum actum naturalem, aut ſupernaturalem neceſſaria illi conferret. III.

Nos verò quibus omnino perſuaſum eſt, Scientiam illam Mediam ſuſtineri aliter non poſſe, vbi agitur de coniunctione Concurſuum Dei, & Creaturæ, quàm reformatâ propoſitione illâ philoſophicâ, qua aſſerebatur indiſpenſabilis neceſſitas Cõcurſus Dei proximi, & identificati ad quamlibet actionem noſtram; conſequenter dicimus, reformato, & correcto illo falſo principio, faciliimè tribui Deo, & explicari perfectiſſimam ſcientiam actuum noſtrorum, tam naturalium quàm ſupernaturalium, futurorum IV.

rorum ſub conditione, non quidem præſuppoſito decreto conditionato prædeterminandi; quemadmodum Prædeterminantes volunt, neque ſimiliter præſuppoſito decreto conditionato concurrendi proximè, & identificè quemadmodum prætendunt Moderni Aſſertores Scientiæ Mediæ, ſed prorſus abſque vllo tali decreto, quandoquidem neque Concurſus phyſicè prædeterminans, neque influxus Dei proximus, & identificatus requiritur ad hoc vt creata voluntas operetur, nec conſequenter decretum alterutrius nobis à Deo conferendi, ſed ipſa voluntas noſtra eſt cauſa totalis, & adæquata ſuæ operationis, modo cæteris omnibus ad operandum prærequiſitis inſtructa ſit, inter quæ nullus, vt dixi, requiritur huiuſmodi Concurſus prædeterminans, aut identificatus, benè tamen habitus; aut qualitas ſupernaturalis, ſi operatio eius futura eſt ſupernaturalis, prout iam iterum ſuperiori capite diximus (neque enim vitare omnino potuimus, quin in materiis iſtis prorſus affinibus atque inter ſe coniunctis aliquam dictorum repetitionem faceremus) Hinc ergo fit, vt Deus per Scientiam Conditionatam intuitus quos actus naturales, aut ſupernaturales voluntas creata ſit operatura, aut non operatura in ſingulis occaſionibus, & circunſtantiis ſi in illis conſtituatur, habeátque coniunctum ſibi habitum, aut qualitatem ſupernaturalem, ſi quidem de actu ſupernaturali ſermo fuerit, tum demum poſteriùs ratione, ſtatuat abſolutè de euentu conditionis, ſcilicet decernendo permittere, vel efficere vt voluntas in illis occaſionibus conſtituatur; & neceſſariis comprincipiis ad naturaliter, aut ſupernaturaliter operandum inſtruatur; aut ex oppoſito vt non conſtituatur, nec inſtruatur: quo ipſo euidens eſt, Deum per Scientiam viſionis ſtatim cognoſcere implendam, aut non implendam eſſe conditionem per quam ſuſpendebatur euentus, atque adeo intueri actum naturalem aut ſupernaturalem voluntatis abſolutè futurum, aut negationem eius, abſque eo quòd decernat prædeterminare, aut Concurſu proximo, & identificato concurrere: eritque Deus de actu noſtro à ſe volito, & intento ſecuriſſimus, quia nullum abſolutè, & efficaciter intendet actum, nec ſtatuet permittere, aut efficere vt vllus actus à noſtra voluntate liberè fiat, niſi quem iam antè, & ſecundùm rationem, prius per Scientiam Conditionatam præuiderat

rat liberè à nobis eſſe producendum; ſi voluntas noſtra in his, aut illis occaſionibus,& circunſtantiis poneretur: Vnde, ſi præuidit hominem,exempli causâ, ambulaturum, aut pœnitentiam ſupernaturalem habiturum abſque proximo, & identificato Concurſu Dei, caſu quo inuitetur ab amico ad ambulandum, aut à concionatore ad pœnitendum, velitque præfinire abſolutè ambulationem illam,aut pœnitentiam, prius ratione quàm videat illam abſolutè eſſe futuram,debet ſolùm ſtatuere, & efficere vt ille homo inuitetur ab amico ad ambulandum,aut à concionatore ad pœnitendum: ſiquidem vt ambulatio,aut pœnitentia iſta eſſet abſolutè futura,nihil aliud deſiderabatur præter impletionem conditionis, ex quo fit vt Deus videns,ac ſciens conditionem eſſe implendam; nimirum,quia ipſe decernit vt impleatur,videtque ſe neque mutare poſſe conſilium,neque ab vllo impediri poſſe, quo minùs conditio illa impleatur quæ ſuſpendebat euentum ambulationis, aut pœnitentiæ, videat quoque effectum eſſe abſolutè futurum qui fuerat præuiſus vt futurus ſub illa conditione,id eſt,ſi conditio purificaretur, & impleretur: neque enim negari poteſt quin Deus hunc veluti ſyllogiſmum cognoſcat, iſte homo omnibus ad operandum neceſſariis ſufficienter inſtructus,caſu quo inuitetur, conſentiet; ſed inuitabitur, ergo conſentiet: maiorem intuetur per ScientiamConditionatam:minorem videt in decreto quo ſtatuit efficere,vt homo iſte inuitetur: concluſio autem eſt euidens, quæ latere Deum non poteſt.

Et ſic patet, qualiter admiſſâ noſtrâ ſententiâ, reformatóque illo principio philoſóphico facile ſit intelligere, & explicare quomodo in eadem áctione libera, tam naturali, quàm ſupernaturali duæ illæ conditiones infallibitatis & contingentiæ vniri poſſint, quæ videbantur eſſe contrariæ;ſiquidem infallibilitas prouenit ex Scientia Conditionata Dei,libertas autem, ſeu contingentia, ex eo quòd Deus neque prædeterminet voluntatem, neque cum ea concurrat proximè, & identificè, neque immittat in eam aliquid vnde neceſſitetur ad vnam contradictionis partem, ſed relinquat eam operari actum ſuum collatis conſeruatiſq; illi potētiâ,virtute, propenſione ac viribus ad operandum ſufficientibus ac neceſſariis, ſeu quod idem eſt, præſtito illi Concurſu remoto ſolum, ac me-

diato, & qui eſt aliquid antecedens operationem voluntatis, ab eá-que realiter diſtinctum, ac ſeparabile, & quo poſito voluntas, etiam in ſenſu compoſito, poteſt operari, ſi velit, aut ab operatione deſi-ſtere ad libitum, quod eſt eam relinqui planè liberrimam.

V. Inſtabis; adhuc eſſe obſcurum quomodo idem actus noſter poſſit eſſe neceſſarius, prout eum eſſe oportet ad infallibilitatem, & non neceſſarius, prout eſſe debet ad contingentiam, & libertatem: Reſpondeo triplicem eſſe neceſſitatem, quantùm ad propoſitum ſpectare poteſt, prima eſt abſoluta, ſoli Deo conueniens, quâ ne-ceſſe eſt Deum eſſe, & dicitur abſoluta, quia non ſumitur per or-dinem ad cauſam: Secunda ſumitur per ordinem ad cauſam, & re-peritur in creaturis, quarum aliæ taliter à ſuis cauſis producuntur, vt in libertate cauſarum ſit effectus non producere; aliæ verò pro-ducuntur à cauſis neceſſariò operantibus: quæ primo modo pen-dent à cauſis, dicuntur effectus liberi; quæ ſecundo, dicuntur ne-ceſſarij; neceſſitate quæ opponitur libertati.

Tertia neceſſitas dicitur ex ſuppoſitione: ſecundùm quam omnis rés, quandiu eſt, neceſſariò eſt, neceſſitate quæ non opponitur libertati.

Itaque loquendo in particulari de actibus noſtræ voluntatis, nullus poteſt eſſe neceſſarius primo genere neceſſitatis, vt ſatis cõ-ſtat. Tertiò genere neceſſitatis omnis actus noſter eſt neceſſarius, quemadmodum & res omnis. At ſecundo genere neceſſitatis ali-qui actus noſtri ſunt neceſſarij, & aliqui liberi: neceſſarij ſunt, qui producuntur à voluntate antecedenter ad vnum determinata, vt motus primo primi, & amor Beati videntis Deum in patria: liberi ſunt, qui producuntur à voluntate indifferente ad vtrumlibet, qua-lis eſt amor viatoris Deum liberè, & non neceſſariò, diligentis: Dixi omnem actum voluntatis noſtræ, tametſi liberrimè produ-ctum, eſſe tamen neceſſarium tertio genere neceſſitatis, quam vo-cant ex ſuppoſitione, & quæ non opponitur libertati; nimirum, quia libertas in actu noſtro eſt denominatio quędam petita à voluntate, quæ taliter producit actum, vt poſſet eum non producere, ſi ipſa vellet, ipſe autem actus noſter, tametſi à voluntate noſtra liberè productus ſit, tamen, poſito quòd exiſtentiam habeat, neceſſe eſt vt illam habeat; neque enim voluntas noſtra, imo ne ipſe quidem



Digitized by Google

Deus poteſt efficere vt idem actus noſter ſit, & non ſit eodem puncto temporis; quia *quodlibet eſt, vel non eſt, & de eodem, ſecundum idem non poteſt eſſe vera affirmatio ſimul, & negatio, quòd ſit, & quòd non ſit:* Verùm iſte modus neceſſitatis non impedit quominùs actus noſter exiſtentiam acceperit à voluntate liberè, & non neceſſariò operante, quinimò cùm ſupponat exiſtentiam ipſius actus; ſupponit conſequenter eiuſdem productionem, ac modum productionis, ſcilicet quòd productus fuerit à voluntate taliter affecta, vt poſſet actum illum interrumpere, quemadmodum potuiſſet eum non inchoare; Ergo iſte modus neceſſitatis non deſtruit, ſed ſupponit libertatem in actu.

Et ſic patet, qualiter vt actus noſter infallibiliter ſit futurus, ſatis eſt eum eſſe neceſſarium neceſſitate quæ non opponitur libertati, ac proinde erit neceſſarius, & non neceſſarius, quæ non ſunt incompatibilia, aut contradictoria, niſi neceſſitas in vtroque membro contradictionis eodem modo ſumatur, propria enim contradictio eſt, quando idem affirmatur, & negatur de eodem ſecundùm idem.

Cæterùm, id quod dixi, neceſſitatem, ſeu infallibilitatem ex ſuppoſitione exiſtentiæ & productionis actus non repugnare libertati eiuſdem, id eſt, non impedire quominus producatur à cauſa liberè operante, dicendum eſt ſimiliter de neceſſitate, ſeu infallibilitate ex ſuppoſitione præſcientiæ Dei, reuelationis, aut prophetiæ, quia cùm prophetia ſupponat reuelationem Dei, & reuelatio præſcientiam, præſcientia autem futuritionem, ſeu futuram actus exiſtentiam, ac denique exiſtentia modum productionis, per quam ea accipitur, clarum eſt prophetiam, aut reuelationē actus, à primo ad vltimum præſupponere modum operandi cauſæ, quem tantùm abeſt vt deſtruat, vt potiùs inuoluat, atque ſupponat; Cùmque libertas in actu non ſit aliud quàm eum eſſe productum à cauſa taliter affecta, vt potuiſſet eum non producere, ſi voluiſſet; neceſſitas, ſeu infallibilitas ex ſuppoſitione, quæ non impedit quominus cauſa operetur liberè, non poterit impedire quominus ipſe actus voluntatis denominetur, & ſit liber.

VI. Inſtabis rurſum, datur aliqua infallibilitas, ac neceſſitas ex ſuppoſitione repugnans libertati, vt, exempli cauſâ, Infallibile eſt, ac

neceſſariò verum, quòd voluntas Beati amatura ſit Deum ex ſuppoſitione quòd ipſe eum videat intuitiuè: Quomodo igitur diſcernenda erit infallibilitas ex ſuppoſitione repugnante libertati, ab ea quæ non repugnat?

Reſpondeo, cauſam aliquam producere infallibiliter actum, aut actum ab aliqua cauſa eſſe futurum omnimodâ infallibilitate, & non tantùm ex ſuppoſitione quòd ipſe actus futurus ſit, (ſecundùm quem neceſſitatis modum omnis res quantumlibet libera, & contingens, quandiu eſt, neceſſariò eſt) ſed etiam antecedenter ad productionem actus, neceſſariò oritur ex aliqua conditione cauſæ, quæ ita ſit affecta (vel propter innatam ſibi ſpeciem, vel propter aliquod actionis comprincipium, ſiue inditum, ac inhærens, ſiue alio modo coniunctum, & aſſiſtens,) vt omnino determinata ſit ad agendum illum actum, taliter vt ab eo producendo ſeipſam cohibere non poſſit; ſi enim poſſet frænare ſeipſam, actus non eſſet infallibilis, neque eſſet neceſſariò verum, quòd actus iſte futurus eſſet, ſi quidem ipſius cauſa efficere poſſet vt non eſſet futurus: Igitur ad diſcernendam infallibilitatem, ſeu eſſendi neceſſitatem quæ repugnat libertati, ab ea quæ non repugnat, conſideranda eſt natura hypotheſis, ſeu ſuppoſitionis, de qua eſt dubium; Nam ſi ea talis ſit vt præſupponat ipſum actum, ſeu operationem cauſæ, non immutabit modum operandi cauſæ, ſed relinquet eam liberam, ſi alioqui erat libera, & conſequenter non impediet quo minùs actus denominetur, & ſit liber; ſi verò hypotheſis huiuſmodi ſit, vt ponat aliquid in cauſa, aut circa illam, quo poſito ipſa non poſſit non producere effectum, tunc infallibilis illa coniunctio effectus cum cauſa ſic affecta, aut diſpoſita prouenit ex eo quòd ipſa cauſa priùs naturâ quàm agat, antecedenter ſit determinata ad agendum, & conſequenter prima infallibilitas erit ex ſuppoſitione non repugnante libertati; ſecunda verò ex ſuppoſitione repugnante, & incompatibili cum libertate.

Exemplum primæ eſſe poteſt; poſito quòd Deus decreuerit aliquem perducere in vitam æternam per opera ſupernaturalia libera, ac meritoria; infallibile eſt ex ea hypotheſi, ac ſuppoſitione, eum eſſe facturum opera illa, poteſtque Deus hoc reuelare Angelo, vel homini, qui tenebitur id credere fide cui ſubeſſe falſum

non

non poteſt, eritque proinde neceſſariò verum, & hæc neceſſaria veritas fundatur in aliqua ipſius rei, ſeu euentus, id eſt, operum illorum ſupernaturalium neceſſitate: Infallibilitas prouenit ex eo, quòd Deus, præuiſo per Scientiam Conditionatam, quòd ſi hic homo in tali, aut tali occaſione poſitus, vocaretur hâc aut illâ cogitatione ſanctâ ſupernaturali, & ſubito motu pio, ac inſpiratione voluntatis, ipſe erat liberè conſenſurus in opus pium; decreuit implere conditionem, hominémque in illa occaſione poſitum ſic vocare, quo ipſo, ſcilicet impletâ conditione, vidit illum vt abſolutè, atque infallibiliter conſenſurum, idque Angelo, vel homini reuelauit, qui tenetur credere actum illum bonum infallibiliter eſſe futurum.

Equidem iſte homo erat, ac præuidebatur à Deo conſenſurus liberè, adeò vt poſſet non conſentire; tamen quia conſenſus eius poſitâ hypotheſi quòd futurus erat, neceſſariò erat futurus, non enim poterat ſimul eſſe futurus, & non futurus; ideò aliqualis neceſſitas in eiuſmodi conſenſu reperitur, quæ idonea, ac ſufficiens eſt ad terminandam cognitionem, ac prædictionem Dei neceſſariò veram, & quæ falſa eſſe non poteſt.

Veruntamen iſta neceſſitas, atque infallibilitas, eſt ex hypotheſi non repugnante libertati, ac contingentiæ; quia ſicut Scientia Conditionata Dei præuidebat hominem illum eſſe conſenſurum ſuppoſitâ conditione quæ non includebat decretum conditionale Prædeterminandi, aut concurrendi cum homine illo Cōcurſu proximo, & identificato, aut aliquid aliud agendi circa eius voluntatem per quod neceſſitaretur ad vnum, ſed ſolùm includebat vocationem Dei taliter excitantis, & præuenientis hominem, vt eum relinqueret liberum ad abiiciendam inſpirationem, aut ad conſentiendum eidem, ita voluntas implendi conditionem, & vocandi hominem, nihil ponit in illius voluntate, neque aliquid circa illam agit vnde ad vnum neceſſitetur, ſed relinquit eam in ſuo operandi modo cum indifferentia, & libertate; & ſic cum auxilio gratiæ efficaciter excitantis facilè ſaluatur infallibilitas operis pij, eiuſdémque contingentia, & libertas.

Exemplum infallibilitatis ſecundæ, & quæ, tametſi eſt ex ſuppoſitione, repugnat tamen libertati, eſt, cùm dicimus, ex hypo-

theſi quòd homo vel Angelus videat Deum intuitiuè, infallibile eſſe, ac neceſſarium vt diligat eum ſummè: dilectio illa eſt infallibilis, non tantùm ex hypotheſi quòd Beatus diligat, quæ eſt communis, & generalis quædam ratio, ſecundùm quam omne quod eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe, ſed ex ſuppoſitione viſionis diuinę quæ antecedit actum voluntatis, & determinat eam etiam priùs naturâ quàm diligat, vt non poſſit non diligere, ac proinde nullam ei relinquit indifferentiam, aut libertatem ad non diligendum: & huiuſmodi eſſe contendimus infallibilitatem operationis quæ reperitur in voluntate noſtra ex ſuppoſitione quòd Deus decreuerit eam Prædeterminare, aut cum ea concurrere Concurſu proximo, immediato, & identificato ad aliquam certam, ac determinatam operationem, quemadmodum infrà fusè probaturi ſumus partim tertiâ, partímque quartâ parte huius opuſculi, ac propterea cùm in operatione noſtra libera ſaluare debeamus infallibilitatem eſſendi quæ non repugnet libertati, neceſſe eſt diuinam circa actus noſtros liberos prouidentiam executioni mandari abſque vllo Concurſu Dei proximo & identificato, quemadmodum noſtra admittit, demonſtrátque ſententia.

## CAPVT VIII.

*Prædeterminantes ob putatam immediationem, & identitatem Concurſuum Dei, & Creaturæ, diuiſos fuiſſe ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ in concilianda humana libertate, & diuina ſanctitate cum decreto concurrendi nobiſcum ad omnes actus ordinis naturalis; bonos, & malos.*

I. CVm neceſſe ſit Deum habere ab æterno decretum, & voluntatem faciendi non ſolùm ea omnia quæ facit ſolus, abſque conſortio

conſortio cauſæ ſecundæ, ſed etiam ea omnia quæ facit tanquam cauſa cooperans, & concurrens interuentu cauſarum ſecundarum etiam liberarum, cúmque dictum ſit à nobis ſuprà cap. 2. quamlibet actionem creaturæ, bonam, aut malam eſſe à Deo concurrente aliquo tali modo qui ſufficiat vt ipſe dicatur eſſe primum principium, cauſa prima, vniuerſaliſſima, atque, vt loquuntur Sancti, primordialiſſima, iuxta illud Sapientiæ 11. *Qomodo autem poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes?* & Apocalyp. 4. *Tu Creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*, Sequitur, Deum habere ab æterno voluntatem abſolutam concurrendi in tempore ad omnes actus quos liberè facturi ſumus.

Et cùm implicet contradictionem vt volitio abſoluta, & efficax Dei reddatur caſſa, & inanis, ſi ipſe habet decretum abſolutum, & efficax concurrendi cum aliquo homine ad actum vitalem odij, tali vel tali puncto temporis, impoſſibile erit quin ipſe in tempore concurrat ad talem actum; vnde magna difficultas eſt, An tale Dei decretum liberam in nobis relinquat facultatem producendi, & non producendi actum illum; & An actus praui nobis imputari debeant, quandoquidem Deus ab æterno ſtatuit eos coëfficere, & concurrere nobiſcum ad eorum productionem.

Hanc dico eſſe maximam difficultatem. Nam hæretici cùm multiplici argumentorum genere libertatem noſtram impetere, & Deum Auctorem peccati noſtri reddere ſatagant, validiſſimum tamen eſſe putant illud quod petitur ex diuini huius decreti efficacia, quin etiam diſputatio hæc Theologos huius temporis ab ſe inuicem diuiſit, & grauiſſimè diuexauit, Illos dico qui conueniunt in aſſerenda neceſſitate Concurſus diuini proximi, & identificati ad quemlibet actum noſtrum, tametſi ex obiecto turpem, atque illicitum.

Cùm enim, ipſi exiſtiment Concurſum in actu ſecundo, quem Deus præbet ad actum aliquem malum, non eſſe aliquid realiter diſtinctum ab actu ipſo, ſed eandem prorſus habere entitatem, propter quod vocant Concurſum illum *identificatum*, ſcilicet cum actu noſtro, & *indiſtinctum* ab eodem actu; ſequitur, quòd ſi Deus abſolutè ab æterno ſtatuit exhibere in tempore Concurſum illum ad actum prauum, neceſſe eſt poni ipſum actum prauum à quo iſte

Concur

ConcurſusDei realiter non diſtinguitur : diuinæ enim voluntati abſolutè ſtatuenti vt aliquid ſit & producatur, nullum reſiſtere poteſt arbitrium, ex quo rurſum ſequitur, actus prauos Deo potius quàm homini eſſe tribuendos.

Circa hoc dubium duo ſunt quæ in præſenti capite præſtare debemus;primum eſt vt oſtendamus circa illud Theologos in duas acies eſſe diuiſos, videlicet in eam quæ eſt Aſſertorum Scientiæ Mediæ, & in oppoſitam, quæ eſt Prædeterminantium, eo quod vtrique conuenerint in aſſerenda neceſſitate Concurſus proximi,& identificati ad quemlibet actum noſtrum:Alterum erit vt oſtendamus, iuxta noſtram ſententiam, facillimè, & veriſſimè explicari quomodo non obſtante voluntate,& decreto abſoluto concurrendi ad actum prauum hominis ſalua tamen atque incolumis maneat tum humana libertas, tum diuina innocentia, vt ſic luculentiùs adhuc appareat diſputationem de Concurſu Dei remoto, aut proximo,mediato,vel immediato à controuerſiis Prædeterminantium,& Aſſertorum Scientiæ Mediæ minimè eſſe alienam : verùm priùs quàm id exequamur non erit inutile pauca quædam de natura libertatis præmittere.

II. Supponendum eſt igitur primò, libertatem( non à ſeruitute, vel à peccato, aut à coactione,ſed à neceſſitate operandi) cuius radix, & origo ab intellectu,& perfecto vſu rationis petitur, propriè, & formaliter eſſe in voluntate,quæ quia non operatur liberè niſi præuio arbitrio, iudicióque rationis, ideo liberum appellatur arbitrium:neque tantùm conſiſtit in facultate operandi voluntariè, ſeu ſpontaneè, aut libenter, & non coactè, ſeu inuitè, etiamſi id fiat cum perfecta cognitione,& aduertentia rationis proponentis obiectum indifferens miniméque neceſſarium ; ſed prætereà in nobis, noſtríſque actibus humanis poſtulat,vt expeditam agendi, & non agẽdi poteſtatẽ habeamus, quæ à Theologis dici ſolet dominiũ in actionem propriam,ſeu indifferentia ad vtrumlibet,per eminentiã quandam dominatiuã potentię actiuæ;quatenus facultas ita operãs non eſt naturâ ſuâ determinata ab intrinſeco ad vnum,neq;etiã ab extrinſeco agẽte vim ſeu neceſſitatẽ patitur;ſed in manu,& poteſtate habet velle hoc,aut illud,ſeu oppoſitum,& velle,ac non velle,ſiquidem liberum voluntatis arbitrium duplicem includit poteſtatem,

tem, ſeu quaſi duas partes eiuſdem facultatis; videlicet poteſtatem, & volendi, & nolendi, ſeu non volendi hoc & aliud.

Atque vt illius exercitium, & vſus omnino ſit liber, oportet vtramque poteſtatem eſſe expeditam ad vtrumliber, adeo vt priùs naturâ quàm voluntas agat, integrum illi ſit qua maluerit harum poteſtatum vti, & quacumque ratione alterutra ex his poteſtatibus impediatur, ita vt eius vſus homini non concedatur, tollitur ex ea parte vſus liber, tametſi non tollatur ipſa facultas, & quoad hoc perinde eſt habere facultatem impeditam, ac non habere illam: poteſt autem impediri facultas illa, vel ex parte obiecti, ſi ita proponatur homini vt illius attractioni, & motioni voluntas reſiſtere nequeat; vt in amore Beatorum contingit (neque enim putandum eſt voluntatem noſtram comparatione quorumcunque actuum ſuorum ſortiri rationem liberi arbitrij) aut è contrario per ignorantiam, vel inconſiderationem inuincibilem, vt ſi intellectus perturbetur, aut ſubitò, ac ſine ſufficiente iudicio, & deliberatione rapiatur, vt in motibus primò primis; vel ex parte diſpoſitionum corporis, & phantaſiæ, à quibus voluntas humana, tametſi potentia ſpiritualis ſit, per accidens pendet, vti contingit in ſomno, & phrænetide: vel ſi miraculosè ita moueatur & agatur à Deo ad volendum, aut ad nolendum, vt ſit prorſus impotens ad reſiſtendum; quemadmodum ſanè moueri à Deo poteſt, tametſi integro ſtante iudicio rationis de obiecto ex ſe indifferẽte, ſeu nõ neceſſario: Tunc in tali caſu non aderit integer libertatis vſus etiamſi facultas in ſe ſit libera, & obiectum ita propoſitum vt neceſſitatẽ ex ſe non inferat, eò quòd neque repræſentetur vt ſummum bonum, neque etiam vt bonum quod ad finem actu intentum ſimpliciter ſit neceſſarium.

Cæterùm, potentiam liberam ita deſcribimus, vt ſit *ea quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere, & non agere* (de creatura loquimur, non de Deo, cui libertas eſt non reſpectu actuum elicitorum, ſed obiectorum) Dixi, *poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere; & non agere*, quia interna vis cuiuſlibet facultatis non exercetur niſi priùs adhibitis omnibus requiſitis ad agendum quæ ad operationem influunt, & quia non agere ob defectum alicuius conditionis requiſitæ ad operandum, non eſſet ſuſpendere, aut ſuſtinere liberè actum ſuum, ſed potiùs habere impotentiam, & III.

L impo

impoſſibilitatem ad agendum, atque adeo neceſſitatem ad non agendum tali conditione deficiente: eſt autem de ratione liberæ facultatis, vt ex intrinſeca vi, & poteſtate ſua poſſit ad libitum, vel actum ſuum exercere, vel ſuſpendere, in quo libertas quoad exercitiũ, ſiue, vt alij vocant, cõtradictionis cernitur: At ſi prętereà poſſit elicere vel hunc vel oppoſitum actum, libertas eſt quoad ſpeciem actus, ſeu, vt alij vocãt, quoad ſpecificationẽ, vel vt alij, cõtrarietatis.

Dixi, *poſitis omnibus prærequiſitis*, non ſimpliciter, *requiſitis*, quia per hæc prærequiſita intelligimus eas conditiones quæ in actu primo requiruntur, ſeu quæ ſunt aliquo modo cauſa actionis, inter quas non eſt actio ipſa inuoluenda, tametſi enim nemo agere poſſit abſque actione, cùm actio ſit id quo formaliter agimus propter quod ipſa dici poſſet requiſita ad agendum, non tamen requiritur vt principium agendi, vel vt aliquid prærequiſitum pertinens ad principium actionis, ſed vt ipſa formalis actio, qua formaliter potentia determinatur ad agendum potiùs quàm non agendum, & ideo non eſt ponenda actio ipſa ſimul cum potentia, ad hoc vt ipſa potentia dicatur indifferens, quaſi potentia libera ſimul cum ipſa actione ponere poſſit carentiam eiuſdem actionis, quia in hoc inuolueretur contradictio, ſed ſumenda eſt potentia cum omnibus prærequiſitis per modum actus primi, qualia ſunt interna vis ipſius voluntatis, iudicium intellectus, aut obiectum debitè per illud propoſitum; diuina virtus, & influentia.

Ex quo etiam ſequitur contra rationem liberæ facultatis eſſe, vt ad agendum requirat aliquam conditionem pręuiam ad actionem, qua conditione poſitâ impediatur proxima vis indifferenter agendi & non agendi, quia cùm libertas eius formaliter ſit poſita in prędicta indifferentia, ſi hæc tollitur, vel impeditur ante actionem, iam actio non procedit à potentia proximè indifferente, & expedita ad agendum ſecundùm vtramque partem ſuæ indifferentię, quò fit vt, ſi talis potentia huiuſmodi conditionem ad agendum requireret, tunc, vel ipſa in ſe non eſſet indifferens atque adeo non eſſet libera etiam in actu primo, & remoto, vel ad agendum poſtularet conditionem repugnantem ſuæ indifferẽtiæ, ſuæq; libertati atq; adeo ſuæ rationi formali, & ſuo connaturali modo operandi, quod repugnat.

IV. Suppono ſecundò vulgarem illam D. Anſelmi regulam eſſe ve-

riſſimam

riſſimam, qua dixit ſuppoſitionem omnino antecedentē tollere libertatem, non autem conſequentem, quia ſi ſuppoſitio omnino antecedens totum vſum liberum, & prærequiſita ad actum, inducat neceſſariam conſecutionem actus, aut tollat potentiam ad actum oppoſitum, aut ad non agendum, profectò talis ſuppoſitio erit aliquo modo cauſa actus, alioqui non poſſet vel actum inferre, vel voluntatem ita impellere, vt omnino agat; erit ergo cauſa neceſſariò agens, ſeu inferens actum, non neceſſitate quę oritur ex ipſa libera exiſtentia actus, ſed ex ipſa efficacitate cauſæ ſeu ſuppoſitionis; ergo ſi talis ſuppoſitio applicatur antecedenter, & independenter à libero vſu voluntatis non poterit effectus inde conſequēs eſſe liber reſpectu iſtius volūtatis, quia procedit ex cauſa neceſſariò eliciente ſuum effectum, & quam voluntas neque poteſt præuenire, neq; impedire; alioqui enim ſi poſſet impedire non eſſet neceſſaria cōſecutio inter talē ſuppoſitionē & actū: ergo talis ſuppoſitio impediet vſū liberū, quia iam potētia vt proximè applicata ad operandū cum omnibus requiſitis, inter quæ eſt iſta ſuppoſitio, non manet indifferens actiuè, & expedita ad vtrumlibet, ſed ad illud vnum determinata quod ex tali ſuppoſitione conſequitur: vnde cùm ſuppoſitio ipſa omnino etiam antecedat vſum liberum, nihil relinquitur in quo indifferentia, & libertas exerceatur.

Secus verò erit ſi ſuppoſitio ſit conſequens actum liberum, ſeu ipſum inuoluens: Nam tunc cùm iam ſupponat vſum liberum non poterit illum impedire, imò quicquid indę ſubſequetur, etiamſi neceſſariâ conſecutione ſubſequatur, nihilominus tamen à priori actu libero vnde dimanat libertatem participabit reſpectu illius potentiæ, vel operantis à quo prior ille actus liberè manat; quo pacto effectio Dei libera eſt, tametſi ex voluntate Dei neceſſariò ſequatur, & motio manus eſt libera, quæ neceſſariò ſequitur ex voluntate illam mouendi, & electio vnici medij libera eſt, quæ tamen neceſſariò ſequitur ex libera intentione finis: Denique hoc modo actus liber habet illam neceſſitatem quam aliqui vocant *identitatis*, qua neceſſe eſt quamlibet rem eſſe, quando eſt; quæ neceſſitas non excludit libertatem, quia ſupponit actum ipſum liberè factum, & vocatur à S. Thoma q 24. de veritate a. 1. ad 13. *neceſſitas conſequentiæ*, quā aſſerit non officere libertati, ſed ſolam *neceſſitatem conſequentis.*

L 2 Porrò

Porrò, neceſſitas eſt tantùm conſequentiæ,& non conſequentis,quando ſuppoſitio inuoluit ipſam operationem liberam,cuiuſmodi eſt,ſuppoſitio exiſtentiæ actus,vel Scientię Dei pręuidentis, reuelantíſque actum,aut futuritionem eius; imò & voluntas Dei præfinientis actum illum, poſitâ ſcientiâ conditionatâ, qua præuiderat illum ſaluâ libertate eſſe futurum,caſu quo voluntas creata in hac aut illa occaſione,& circunſtantia poneretur:& ratio eſt, quia cùm præfinitio iſta, & reuelatio actus futuri præſupponat in Deo præſcientiam eius,& ipſa præſcientia præſupponat obiectum ſuum (cuius ſanè non eſt cauſa) ſuppoſitio præfinitionis, reuelationis, & præſcientiæ, eſt ſuppoſitio exiſtentiæ, & productionis ipſius actus; Cùm ergo hæc omnia præſupponant actum ipſum ſaluâ libertate eſſe futurum, clarum eſt huiuſmodi ſuppoſitionem minimè tollere libertatem; & neceſſitatem quæ reperitur in actu, in ſenſu compoſito iſtius ſuppoſitionis, nimirum ſtante ipſâ ſuppoſitione,non eſſe niſi neceſſitatem conſequentiæ,iuxta quam dicimus, ſi effectus eſt, neceſſariâ conſequentiâ infertur illum eſſe pro eo temporis momento quo eſt,neque enim poteſt ſimul & ſemel eſſe,& non eſſe.

Hinc ſequitur,ſuppoſitionem conſequentem inducere *neceſſitatem conſequentiæ*, quam alij dicunt, *neceſſitatem ſecundùm quid*, quæ non opponitur libertati: Suppoſitionem verò antecedentem inducere *neceſſitatem conſequentis*, quam alij vocant *neceſſitatem ſimpliciter*,oppoſitam libertati; In illa, conſequens non eſt neceſſarium, ſed ſola conſequentia; In hac,& conſequens,& conſequentia, ſeu illatio ſunt neceſſaria, quia antecedens eſt neceſſarium, & infert neceſſariò conſequens.

Propter hoc, dum ſe offert dubitatio, an aliqua hypotheſis relinquat necne libertatem in actu, eo quòd eâ ſuppoſitâ neceſſe ſit poni in re effectum; plurimùm debemus attendere ad naturam, & qualitatem ipſius ſuppoſitionis,nimirùm, an talis ſit vt præſupponat,& ſubſequatur effectum, an verò illum omnino antecedat; non modò ordine temporis,ſed etiam cauſalitatis, naturæ, & rationis, quod quidem in præſenti quæſtione diligenter eſt obſeruandum.

V. Suppono tertiò, adeò certum eſſe dari aliquos actus intrinſecè

prauos

prauos, qui communiter dici ſolent ideò prohibiti, quia mali, non autem ideò mali, quia prohibiti, cuiuſmodi eſt agere contra propriam conſcientiam, odiſſe Deum, & huiuſmodi, vt communis & certa Theologorum ſententia doceat, quòd ſi contingeret, vt aliquis inuincibiliter ignorãs Deum eſſe, aliquid ageret contra conſcientiam ſuam, exempli causâ, Si furaretur aduersùs practicum rectæ rationis iudicium dictans illi, & ſuadens non eſſe furandum, nihilominùs tamẽ iſte peccaret, & talis actus eſſet turpis, atque illicitus; Cúmque iſta turpitudo, ac fœditas actui non proueniat ex aliqua prohibitione Dei, (quia cùm iſte inculpabiliter, vt ſupponimus, ignoret Deum eſſe, conſequenter ignorat omnem ipſius legem, & perinde ſe habet reſpectu diuinæ legis, ac ſi nulla prorſus à Deo lata lex eſſet de non furando) ſequitur actum illum eſſentialiter eſſe illicitum, atque ex obiecto turpem, & qui contrarium tueretur, diceret conſequenter Deum poſſe alicui præcipere vt Deum oderit, quod quàm ſit inconueniens patet, quia tunc auertere ſe vitaliter ac liberè à ſummo honeſto, ſcilicet Deo, non eſſet turpe, ſed honeſtum, licitum, meritorium, & rationi conſentaneum: Neque obſtat quod fortè vnus, aut alter in oppoſitum citari poſſit, quia non cuiuſlibet auctoritas ſufficit ad fulciendum dogma prorſus inopinabile, quale eſt iſtud à Schola Pariſienſi aliàs condemnatum, quòd aliquis odio Dei mereri poſſit, quod tamen verum eſſet ſi nullus daretur actus intrinſecè atque eſſentialiter inhoneſtus; inde enim ſequeretur Deum præcipere poſſe homini, vt eum odiſſet, ex quo rurſum ſequeretur eo præcepto poſito laudabile fore, ac meritorium odiſſe Deum; quod celeberrima Schola Pariſienſis merito condemnauit, *Neque articulus iſte*, vt inquit Pitigianis in 3. diſt. 37. quæſt. vnic. art. 4. *admittit gloſſam vt intelligatur de potentia ordinaria, nam de illa, nulla vnquam potuit eſſe controuerſia; articulus autem non eſt definitus, niſi ad aliquam controuerſiam dirimendam*; & paulò pòſt addit, *Deum odio haberi, tam intrinſecè eſt malum, quàm intrinſecum eſt homini eſſe rationalem, & ſicut neceſſarius eſt vnus Deus, ita neceſſaria malitia eſt fateri multos eſſe Deos, & Deus in hoc diſpenſare non poteſt, vt colantur multi Dij*; Conſtat igitur dari actus aliquos intrinſecè, atque eſſentialiter prauos.

His præmiſſis; Ingens emergit difficultas inter Auctores Con- VI.

VIII. Ecce qualiter beneficio Scientiæ Mediæ Aſſertores eius explicare, & conciliare conantur efficaciam, neceſſitatémque diuini Concurſus proximi, & identificati cum libertate atque adeo cum imputabilitate noſtræ actionis, ſcilicet quia Deus vel non decernit coniungere, & applicare ſe ad coëfficiendam cum voluntate creata eamdem actionem decreto abſoluto, & determinato, ſed ſolùm conditionato, ac veluti diſiunctiuo vnà cum ſcientia conditionalium: vel ſi decernit abſoluto, & determinato decreto; non habet illud antecedenter ad præuiſam creatæ voluntatis determinationem, ſed conſultâ, exploratâ, & expectatâ ipſâ eadem voluntate per Scientiam Mediam, vt præuidens operationem ſecuturam à voluntate creata in talibus diſpoſitionibus, & circunſtantiis; decernat concurrere & coëfficere cum illa eandem omnino operationem.

Vnde, ſi ab iſtis Auctoribus percuncteris, quare Deus hîc & nũc Concurſum in actu ſecundo præbet mihi ad odium potiùs quàm ad amorem? Reſpondent. Quia per Scientiã Mediam præuidit voluntatem meam pro ſua libertate odium elicituram, daturúſque eſſet oppoſitum Concurſum identificatum cum actu amoris, ſi voluntas mea fuiſſet elicitura oppoſitum amoris actum prout elicere, & eligere poterat, & Deus per eandem Scientiam Mediam id præuidere.

Rurſúmque ſi percuncteris. Quomodo Deus à peccato immunis eſſe poteſt quandó præbet influxum proximum & identificatum cum actu quem ipſe prohibuit fieri, & qui eſt ipſi etiam Deo prohibitus, ſeu potius, vt correctè loquamur, impoſſibilis; nimirùm repugnante rectâ ratione & lege naturali qua etiam ipſe conſtringitur? Quomodo poteſt actus eſſe turpis, & Concurſus realiter identificatus cum actu, eſſe non turpis?

Reſpondent, excuſari Deum à malitia, & formalitate peccati. Quia prius ratione, quàm ipſe aliquid in particulari ſtatueret de Concurſu ſuo, præuidit per Scientiam Mediam quid creatum arbitrium in ſingulis occaſionibus facturum eſſet, & ex illa præuiſione obiectiuè, ac veluti ex pacto excitatus decreuit dare Concurſum huius potius quàm illius ſpeciei, & ſic malitiæ, & electioni noſtræ imputari debere dicunt, quòd Deus, ex munere, ac debito

bito cauſæ primæ tam ſæpè nobis cooperari debeat ad prauos actus; cùm ipſe ex parte ſua optaret, mallétque concurrere ad actus bonos, ſi voluntas noſtra id vellet, ac poſtularet, quemadmodum pro ſua libertate poſtulare poſſet, & Deus eam ita volentem, ac poſtulantem præuidere.

At verò, Prædeterminantes arbitrati Scientiam illam Mediam eâ ratione explicatam, quâ Deus ab homine determinetur ad ſic aut ſic concurrendum, prorſus eſſe impoſſibilem, & indignam Deo, qui non à creatura determinari, ſed eam potiùs ad quidlibet agendum determinare debet, admiſſo decreto concurrendi immediatè, proximè, & identificè, imò & admiſſo inſuper decreto prædeterminandi phyſicè, necnon ipſâ etiam Prædeterminatione phyſicâ ex vi illius decreti conſecuturâ, tum ad actus bonos, tum etiam ad malos (pro materiali) nihilominus tamen arbitrantur ſaluari poſſe incolumem creati arbitrij libertatem, diuinámque innocentiam, tametſi ex munere cauſæ primæ compellatur ſæpè ad coëfficiendas nobiſcum Concurſu prædeterminante, prætereáque ſimultaneo, & identificato actiones intrinſecè, atque ex obiecto turpes: quam vtramque Dei & noſtram conditionem vt ſaluare poſſint multo labore ſudatum eſt, poſitáque ab illis diligens opera, quemadmodum nos infrà tertiâ parte præſentis opuſculi dicturi ſumus.

Ego verò ſoluendam puto, ſeu potiùs anteuertendam eſſe difficultatem inficiatâ neceſſitate diuini Concurſus identificati, proximi, immediati; & conſequenter inficiato decreto ſic concurrendi, denegato quoque vſu illo Scientiæ Mediæ dirigendi Deum ad dandum vnum determinatum Concurſum potiùs quàm oppoſitum, ac denique denegatâ Prædeterminatione phyſicâ, & decreto illius nobis conferendæ; reformatóque illo principio aduerſariorum; admiſſo autem duntaxat Concurſu Dei remoto, ac mediato, qualem toto præſente opuſculo ſufficere & requiri contendimus. IX.

Et quidem quòd attinet ad noſtram libertatem; cùm ſententia noſtra aſſerat Deum non concurrere ad actus noſtros proximè, & immediatè, ſed voluntatem noſtram cæteris omnibus ad operandum prærequiſitis inſtructam, eſſe cauſam totalem, & adæ-

M quatam

Digitized by Google

curſus proximi,& identificati, Quomodo ſtante hypotheſi decreti diuini æterni de concurrendo mecum hodie ad actum odij, verbi cauſa, ipſe actus odij poſſit nihilominus reſpectu meæ voluntatis, eſſe liber, & contingens ad vtrumlibet; quandoquidem poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, inter quæ eſt illud diuinum decretum abſolutum, & efficax concurrendi mecum ad actum odij Concurſu identificato, qui eſt ipſe actus odij, & non aliquid aliud, quique ad omnem alium actum eſt inutilis; voluntas mea non poteſt amplius actionem illam omittere, ſed ſolum poteſt elicere actum iſtum odij, ad quem per volitionem illam diuinam, & ex ea conſecuturam motionem, & Concurſum in actu ſecundo Dei, compellitur: Neque enim decretum illud Dei, eſt præfinitio pure immanens, quæ nihil ponat in voluntate mea, ſed tranſit, mouetque ad extra, eſtque ita efficax, vt vi eius ponatur aliquid in voluntate mea, quo ipſa determinatur ad odiendum; Imò vi eius ponitur in voluntate aliquid, iuxta hos Auctores, indiſtinctum realiter ab ipſo actu odij, ſcilicet Concurſus in actu ſecundo Dei ad odium, & conſequenter ipſe actus odij.

Sanè, difficile intelligitur quomodo voluntas mea ſit libera, quandoquidem eo decreto diuino poſito non videtur eſſe amplius Domina iſtius actus ſui, quippe quem non poteſt cohibere, nec continere ſe quin eum eliciat; & quomodo actio illa ſit libera reſpectu hominis eam producentis, quæ non elicitur vi facultatis quam voluntas habeat ad eam prout voluerit ab intrinſeco ſuſpẽdendam, aut producendam, ſed elicitur vi decreti diuini extrinſeci abſoluti, determinantis efficaciter voluntatem ad odiendum; neque enim fieri poteſt vt Deo volente producere actum illum interuentu creatæ voluntatis, ipſa tamen nolit eum producere; Neque poteſt intelligi vt producatur & exhibeatur Concurſus in actu ſecundo Dei ad actum odij, quin producatur id quod ab illo Concurſu realiter non diſtinguitur, ſcilicet ipſe actus odij.

VII. Præterea verò, quia ſæpè contingit actum iſtum pro quo Concurſus in actu ſecundo Dei efficaciter à Deo eſt volitus, & poſitiuo decreto præfinitus, eſſe prohibitum lege naturali atque intrinſecè malum, cuiuſmodi eſt mendacium, vel odium Dei. Hinc grauior multò redditur difficultas, quomodo fieri poſſit vt non imputetur

tetur Deo formalitas peccati, ſeu malitia moralis iſtiuſmodi actibus inſeparabiliter annexa? Quandoquidem ipſe influxu proximo, & identificato dicitur operari eundem actum; & iam olim decreto æterno veluti legem ſibi indixiſſe illius nobiſcum, & in nobis efficiendi: Ecce qualiter ſtante neceſſitate Concurſus proximi; & identificati, ac decreto illius nobis exhibendi difficile eſt ſaluare incolumem, tùm creatam libertatem, tùm diuinam innocentiam & ſanctitatem.

Propter hæc, nonnulli ex his Auctoribus omnino negant dari poſſe in Deo huiuſmodi volitionem, ſeu decretum efficax, & abſolutum concurrendi certo, determinato, & identificato Concurſu ad actus noſtros liberos; arbitrati eo decreto deſtrui prorſus humanæ voluntatis libertatem; diuinámque innocentiam violandam, quoties contingeret actum noſtrum eſſe vitioſum; Contra quos tamen euidenter oſtenſuri ſumus infrà 2. parte, capite 12. & 13. Neceſſe eſſe admittere in Deo decretum illud abſolutum, & efficax concurrendi proximè, & identificè, ſi Deus in tempore præbet Concurſum proximum, & indiſtinctum.

Alij, præter decretum conditionatum concurrendi, vel ad hunc, vel ad illum actum indeterminatè, & diſiunctiuè, admittunt quidem in Deo aliud decretum liberum efficax, abſolutum, & determinatum; ſed ita tamen, vt Deus decreto illo ſuo non antecedat cauſaliter voluntates noſtras, ſed potiùs per Scientiam Mediam exploret, conſulat, expectet, animaduertat quidnam ipſæ voliturę ſint, vt cùm ipſæ prænoſcentur hunc vel illum Concurſum poſtulare, illicò Deus conſtituat, decernátque eundem exhibere: Atque hinc fieri putant vt actus noſtri liberi nobis potiùs quàm Deo tribuantur, & vt neceſſitas quæ reperitur in actu meo, verbi cauſâ, odij ex decreto abſoluto concurrendi, atque adeo ex actuali Concurſu Dei ad eum, non ſit antecedens, ſed conſequens, & præſupponens vſum liberum meæ volũtatis vt per Scientiam Conditionatam præcognitum: quæ quidem neceſſitas non magis præiudicat libertati, quàm ea quæ in actione mea ſequitur ex ſuppoſitione ipſiuſmet liberæ actionis meæ, ſecundùm quam neceſſitatis rationem dicere ſolemus, poſito quòd liberè eligo, non poſſum non liberè eligere; alioquin idem eſſe poſſet & non eſſe.

Ecce

curſus proximi,& identificati, Quomodo ſtante hypotheſi decreti diuini æterni de concurrendo mecum hodie ad actum odij, verbi cauſa, ipſe actus odij poſſit nihilominus reſpectu meæ voluntatis, eſſe liber, & contingens ad vtrumlibet; quandoquidem poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, inter quæ eſt illud diuinum decretum abſolutum, & efficax concurrendi mecum ad actum odij Concurſu identificato, qui eſt ipſe actus odij, & non aliquid aliud, quique ad omnem alium actum eſt inutilis; voluntas mea non poteſt amplius actionem illam omittere, ſed ſolum poteſt elicere actum iſtum odij, ad quem per volitionem illam diuinam,& ex ea conſecuturam motionem, & Concurſum in actu ſecundo Dei, compellitur: Neque enim decretum illud Dei, eſt præfinitio purè immanens, quæ nihil ponat in voluntate mea, ſed tranſit, mouetque ad extra, eſtque ita efficax, vt vi eius ponatur aliquid in voluntate mea, quo ipſa determinatur ad odiendum; Imò vi eius ponitur in voluntate aliquid, iuxta hos Auctores, indiſtinctum realiter ab ipſo actu odij, ſcilicet Concurſus in actu ſecundo Dei ad odium,& conſequenter ipſe actus odij.

Sanè, difficilè intelligitur quomodo voluntas mea ſit libera, quandoquidem eo decreto diuino poſito non videtur eſſe amplius Domina iſtius actus ſui, quippe quem non poteſt cohibere, nec continere ſe quin eum eliciat; & quomodo actio illa ſit libera reſpectu hominis eam producentis, quæ non elicitur vi facultatis quam voluntas habeat ad eam prout voluerit ab intrinſeco ſuſpendendam, aut producendam, ſed elicitur vi decreti diuini extrinſeci abſoluti, determinantis efficaciter voluntatem ad odiendum; neque enim fieri poteſt vt Deo volente producere actum illum interuentu creatæ voluntatis, ipſa tamen nolit eum producere; Neque poteſt intelligi vt producatur & exhibeatur Concurſus in actu ſecundo Dei ad actum odij, quin producatur id quod ab illo Concurſu realiter non diſtinguitur, ſcilicet ipſe actus odij.

VII. Prætereà verò, quia ſæpè contingit actum iſtum pro quo Concurſus in actu ſecundo Dei efficaciter à Deo eſt volitus, & poſitiuo decreto præfinitus, eſſe prohibitum lege naturali atque intrinſecè malum, cuiuſmodi eſt mendacium, vel odium Dei. Hinc grauior multò redditur difficultas, quomodo fieri poſſit vt non impu-

tetur

Digitized by Google

tetur Deo formalitas peccati, ſeu malitia moralis iſtiuſmodi actibus inſeparabiliter annexa? Quandoquidem ipſe influxu proximo, & identificato dicitur operari eundem actum; & iam olim decreto æterno veluti legem ſibi indixiſſe illius nobiſcum, & in nobis efficiendi: Ecce qualiter ſtante neceſſitate Concurſus proximi, & identificati, ac decreto illius nobis exhibendi difficile eſt ſaluare incolumem, tùm creatam libertatem, tùm diuinam innocentiam & ſanctitatem.

Propter hæc, nonnulli ex his Auctoribus omnino negant dari poſſe in Deo huiuſmodi volitionem, ſeu decretum efficax, & abſolutum concurrendi certo, determinato, & identificato Concurſu ad actus noſtros liberos; arbitrati eo decreto deſtrui prorſus humanæ voluntatis libertatem; diuinámque innocentiam violandam, quoties contingeret actum noſtrum eſſe vitioſum; Contra quos tamen euidenter oſtenſuri ſumus infrà 2. parte, capite 12. & 13. Neceſſe eſſe admittere in Deo decretum illud abſolutum, & efficax concurrendi proximè, & identificè, ſi Deus in tempore præbet Concurſum proximum, & indiſtinctum.

Alij, præter decretum conditionatum concurrendi, vel ad hunc, vel ad illum actum indeterminatè, & diſiunctiuè, admittunt quidem in Deo aliud decretum liberum efficax, abſolutum, & determinatum; ſed ita tamen, vt Deus decreto illo ſuo non antecedat cauſaliter voluntates noſtras, ſed potiùs per Scientiam Mediam exploret, conſulat, expectet, animaduertat quidnam ipſæ volituræ ſint, vt cùm ipſæ prænoſcentur hunc vel illum Concurſum poſtulare, illicò Deus conſtituat, decernátque eundem exhibere: Atque hinc fieri putant vt actus noſtri liberi nobis potiùs quàm Deo tribuantur, & vt neceſſitas quæ reperitur in actu meo, verbi cauſâ, odij ex decreto abſoluto concurrendi, atque adeo ex actuali Concurſu Dei ad eum, non ſit antecedens, ſed conſequens, & præſupponens vſum liberum meæ voluntatis vt per Scientiam Conditionatam præcognitum: quæ quidem neceſſitas non magis præiudicat libertati, quàm ea quæ in actione mea ſequitur ex ſuppoſitione ipſiuſmet liberæ actionis meæ, ſecundùm quam neceſſitatis rationem dicere ſolemus, poſito quòd liberè eligo, non poſſum non liberè eligere; alioquin idem eſſe poſſet & non eſſe.

Ecce

curſus proximi,& identificati,Quomodo ſtante hypotheſi decreti diuini æterni de concurrendo mecum hodie ad actum odij, verbi cauſà, ipſe actus odij poſſit nihilominus reſpectu meæ voluntatis, eſſe liber, & contingens ad vtrumlibet; quandoquidem poſitis omnibus ad agendum præreqniſitis, inter quæ eſt illud diuinum decretum abſolutum, & efficax concurrendi mecum ad actum odij Concurſu identificato, qui eſt ipſe actus odij, & non aliquid aliud, quique ad omnem alium actum eſt inutilis; voluntas mea non poteſt amplius actionem illam omittere,ſed ſolum poteſt elicere actum iſtum odij, ad quem per volitionem illam diuinam,& ex ea conſecuturam motionem, & Concurſum in actu ſecundo Dei,compellitur: Neque enim decretum illud Dei, eſt præfinitio purè immanens,quæ nihil ponat in voluntate mea,ſed tranſit,mouetque ad extra,eſtque ita efficax,vt vi eius ponatur aliquid in voluntate mea,quo ipſa determinatur ad odiendum, Imò vi eius ponitur in voluntate aliquid, iuxta hos Auctores, indiſtinctum realiter ab ipſo actu odij, ſcilicet Concurſus in actu ſecundo Dei ad odium,& conſequenter ipſe actus odij.

Sanè, difficilè intelligitur quomodo voluntas mea ſit libera, quandoquidem eo decreto diuino poſito non videtur eſſe amplius Domina iſtius actus ſui, quippe quem non poteſt cohibere, nec continere ſe quin eum eliciat; & quomodo actio illa ſit libera reſpectu hominis eam producentis, quæ non elicitur vi facultatis quam voluntas habeat ad eam prout voluerit ab intrinſeco ſuſpendendam, aut producendam, ſed elicitur vi decreti diuini extrinſeci abſoluti, determinantis efficaciter voluntatem ad odiendum; neque enim fieri poteſt vt Deo volente producere actum illum interuentu creatæ voluntatis, ipſa tamen nolit eum producere; Neque poteſt intelligi vt producatur & exhibeatur Concurſus in actu ſecundo Dei ad actum odij, quin producatur id quod ab illo Concurſu realiter non diſtinguitur,ſcilicet ipſe actus odij.

VII. Præterea verò, quia ſæpe contingit actum iſtum pro quo Concurſus in actu ſecundo Dei efficaciter à Deo eſt volitus, & poſitiuo decreto præfinitus, eſſe prohibitum lege naturali atque intrinſecè malum,cuiuſmodi eſt mendacium,vel odium Dei.Hinc grauior multò redditur difficultas,quomodo fieri poſſit vt non imputetur

Digitized by Google

tetur Deo formalitas peccati, ſeu malitia moralis iſtiuſmodi actibus inſeparabiliter annexa? Quandoquidem ipſe influxu proximo, & identificato dicitur operari eundem actum; & iam olim decreto æterno veluti legem ſibi indixiſſe illius nobiſcum, & in nobis efficiendi: Ecce qualiter ſtante neceſſitate Concurſus proximi, & identificati, ac decreto illius nobis exhibendi difficile eſt ſaluare incolumem, tùm creatam libertatem, tùm diuinam innocentiam & ſanctitatem.

Propter hæc, nonnulli ex his Auctoribus omnino negant dari poſſe in Deo huiuſmodi volitionem, ſeu decretum efficax, & abſolutum concurrendi certo, determinato, & identificato Concurſu ad actus noſtros liberos; arbitrati eo decreto deſtrui prorſus humanæ voluntatis libertatem; diuinámque innocentiam violandam, quoties contingeret actum noſtrum eſſe vitioſum; Contra quos tamen euidenter oſtenſuri ſumus infrà 2. parte, capite 12. & 13. Neceſſe eſſe admittere in Deo decretum illud abſolutum, & efficax concurrendi proximè, & identificè, ſi Deus in tempore præbet Concurſum proximum, & indiſtinctum.

Alij, præter decretum conditionatum concurrendi, vel ad hunc, vel ad illum actum indeterminatè, & diſiunctiuè, admittunt quidem in Deo aliud decretum liberum efficax, abſolutum, & determinatum; ſed ita tamen, vt Deus decreto illo ſuo non antecedat cauſaliter voluntates noſtras, ſed potiùs per Scientiam Mediam exploret, conſulat, expectet, animaduertat quidnam ipſæ volituræ ſint, vt cùm ipſæ prænoſcentur hunc vel illum Concurſum poſtulare, illicò Deus conſtituat, decernátque eundem exhibere: Atque hinc fieri putant vt actus noſtri liberi nobis potiùs quàm Deo tribuantur, & vt neceſſitas quæ reperitur in actu meo, verbi cauſâ, odij ex decreto abſoluto concurrendi, atque adeo ex actuali Concurſu Dei ad eum, non ſit antecedens, ſed conſequens, & præſupponens vſum liberum meæ voluntatis vt per Scientiam Conditionatam præcognitum: quæ quidem neceſſitas non magis præiudicat libertati, quàm ea quæ in actione mea ſequitur ex ſuppoſitione ipſiuſmet liberæ actionis meæ, ſecundùm quam neceſſitatis rationem dicere ſolemus, poſito quòd liberè eligo, non poſſum non liberè eligere; alioquin idem eſſe poſſet & non eſſe.

Ecce

curſus proximi, & identificati, Quomodo ſtante hypotheſi decreti diuini æterni de concurrendo mecum hodie ad actum odij, verbi cauſâ, ipſe actus odij poſſit nihilominus reſpectu meæ voluntatis, eſſe liber, & contingens ad vtrumlibet; quandoquidem poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, inter quæ eſt illud diuinum decretum abſolutum, & efficax concurrendi mecum ad actum odij Concurſu identificato, qui eſt ipſe actus odij, & non aliquid aliud, quique ad omnem alium actum eſt inutilis; voluntas mea non poteſt ampliùs actionem illam omittere, ſed ſolùm poteſt elicere actum iſtum odij, ad quem per volitionem illam diuinam, & ex ea conſecuturam motionem, & Concurſum in actu ſecundo Dei, compellitur: Neque enim decretum illud Dei, eſt præfinitio purè immanens, quæ nihil ponat in voluntate mea, ſed tranſit, mouetque ad extra, eſtque ita efficax, vt vi eius ponatur aliquid in voluntate mea, quo ipſa determinatur ad odiendum; Imò vi eius ponitur in voluntate aliquid, iuxta hos Auctores, indiſtinctum realiter ab ipſo actu odij, ſcilicet Concurſus in actu ſecundo Dei ad odium, & conſequenter ipſe actus odij.

Sanè, difficilè intelligitur quomodo voluntas mea ſit libera, quandoquidem eo decreto diuino poſito non videtur eſſe ampliùs Domina iſtius actus ſui, quippe quem non poteſt cohibere, nec continere ſe quin eum eliciat; & quomodo actio illa ſit libera reſpectu hominis eam producentis, quæ non elicitur vi facultatis quam voluntas habeat ad eam prout voluerit ab intrinſeco ſuſpẽdendam, aut producendam, ſed elicitur vi decreti diuini extrinſeci abſoluti, determinantis efficaciter voluntatem ad odiendum; neque enim fieri poteſt vt Deo volente producere actum illum interuentu creatæ voluntatis, ipſa tamen nolit eum producere; Neque poteſt intelligi vt producatur & exhibeatur Concurſus in actu ſecundò Dei ad actum odij, quin producatur id quod ab illo Concurſu realiter non diſtinguitur, ſcilicet ipſe actus odij.

VII. Prætereà verò, quia ſæpè contingit actum iſtum pro quo Concurſus in actu ſecundo Dei efficaciter à Deo eſt volitus, & poſitiuo decreto præfinitus, eſſe prohibitum lege naturali atque intrinſecè malum, cuiuſmodi eſt mendacium, vel odium Dei. Hinc grauior multò redditur difficultas, quomodo fieri poſſit vt non impu-

tetur

tetur Deo formalitas peccati, ſeu malitia moralis iſtiuſmodi actibus inſeparabiliter annexa? Quandoquidem ipſe influxu proximo, & identificato dicitur operari eundem actum; & iam olim decreto æterno veluti legem ſibi indixiſſe illius nobiſcum, & in nobis efficiendi: Ecce qualiter ſtante neceſſitate Concurſus proximi, & identificati, ac decreto illius nobis exhibendi difficile eſt ſaluare incolumem, tùm creatam libertatem, tùm diuinam innocentiam & ſanctitatem.

Propter hæc, nonnulli ex his Auctoribus omnino negant dari poſſe in Deo huiuſmodi volitionem, ſeu decretum efficax, & abſolutum concurrendi certo, determinato, & identificato Concurſu ad actus noſtros liberos; arbitrati eo decreto deſtrui prorſus humanæ voluntatis libertatem; diuinámque innocentiam violandam, quoties contingeret actum noſtrum eſſe vitioſum; Contra quos tamen euidenter oſtenſuri ſumus infrà 2. parte, capite 12. & 13. Neceſſe eſſe admittere in Deo decretum illud abſolutum, & efficax concurrendi proximè, & identificè, ſi Deus in tempore præbet Concurſum proximum, & indiſtinctum.

Alij, præter decretum conditionatum concurrendi, vel ad hunc, vel ad illum actum indeterminatè, & diſiunctiuè, admittunt quidem in Deo aliud decretum liberum efficax, abſolutum, & determinatum; ſed ita tamen, vt Deus decreto illo ſuo non antecedat cauſaliter voluntates noſtras, ſed potiùs per Scientiam Mediam exploret, conſulat, expectet, animaduertat quidnam ipſæ volituræ ſint, vt cùm ipſæ prænoſcentur hunc vel illum Concurſum poſtulare, illicò Deus conſtituat, decernátque eundem exhibere: Atque hinc fieri putant vt actus noſtri liberi nobis potiùs quàm Deo tribuantur, & vt neceſſitas quæ reperitur in actu meo, verbi cauſâ, odij ex decreto abſoluto concurrendi, atque adeo ex actuali Concurſu Dei ad eum, non ſit antecedens, ſed conſequens, & præſupponens vſum liberum meæ voluntatis vt per Scientiam Conditionatam præcognitum: quæ quidem neceſſitas non magis præiudicat libertati, quàm ea quæ in actione mea ſequitur ex ſuppoſitione ipſiuſmet liberæ actionis meæ, ſecundùm quam neceſſitatis rationem dicere ſolemus, poſito quòd liberè eligo, non poſſum non liberè eligere; alioquin idem eſſe poſſet & non eſſe.

Ecce

Digitized by Google

VIII. Ecce qualiter beneficio Scientiæ Mediæ Aſſertores eius explicare, & conciliare conantur efficaciam, neceſſitatémque diuini Concurſus proximi, & identificati cum libertate atque adeo cum imputabilitate noſtræ actionis, ſcilicet quia Deus vel non decernit coniungere, & applicare ſe ad coëfficiendam cum voluntate creata eamdem actionem decreto abſoluto, & determinato, ſed ſolùm conditionato, ac veluti diſiunctiuo vnà cum ſcientia conditionalium: vel ſi decernit abſoluto, & determinato decreto; non habet illud antecedenter ad præuiſam creatæ voluntatis determinationem, ſed conſultâ, exploratâ, & expectatâ ipsâ eadem voluntate per Scientiam Mediam, vt præuidens operationem ſecuturam à voluntate creata in talibus diſpoſitionibus, & circunſtantiis, decernat concurrere & coëfficere cum illa eandem omninò operationem.

Vnde, ſi ab iſtis Auctoribus percuncteris, quare Deus hîc & nũc Concurſum in actu ſecundo præbet mihi ad odium potiùs quàm ad amorem? Reſpondent. Quia per Scientiã Mediam præuidit voluntatem meam prò ſua libertate odium elicituram, daturúſque eſſet oppoſitum Concurſum identificatum cum actu amoris, ſi voluntas mea fuiſſet elicitura oppoſitum amoris actum prout elicere, & eligere poterat, & Deus per eandem Scientiam Mediam id præuidere.

Rurſúmque ſi percuncteris. Quomodò Deus à peccato immunis eſſe poteſt quando præbet influxum proximum & identificatum cum actu quem ipſe prohibuit fieri, & qui eſt ipſi etiam Deo prohibitus, ſeu potius, vt correctè loquamur, impoſſibilis; nimirùm repugnante rectâ ratione & lege naturali qua etiam ipſe conſtringitur? Quomodò poteſt actus eſſe turpis, & Concurſus realiter identificatus cum actu, eſſe non turpis?

Reſpondent, excuſari Deum à malitia, & formalitate peccati. Quia prius ratione, quàm ipſe aliquid in particulari ſtatueret de Concurſu ſuo, præuidit per Scientiam Mediam quid creatum arbitrium in ſingulis occaſionibus facturum eſſet, & ex illa præuiſione obiectiuè, ac veluti ex pacto excitatus decreuit dare Concurſum huius potius quàm illius ſpeciei, & ſic malitiæ, & electioni noſtræ imputari debere dicunt, quòd Deus, ex munere, ac debito

bito cauſæ primæ tam ſæpè nobis cooperari debeat ad prauos actus; cùm ipſe ex parte ſua optaret, mallétque concurrere ad actus bonos, ſi voluntas noſtra id vellet, ac poſtularet, quemadmodum pro ſua libertate poſtulare poſſet, & Deus eam ita volentem, ac poſtulantem præuidere.

At verò, Prædeterminantes arbitrati Scientiam illam Mediam eâ ratione explicatam, quâ Deus ab homine determinetur ad ſic aut ſic concurrendum, prorſus eſſe impoſſibilem, & indignam Deo, qui non à creatura determinari, ſed eam potiùs ad quidlibet agendum determinare debet, admiſſo decreto concurrendi immediatè, proximè, & identificè, imò & admiſſo inſuper decreto prædeterminandi phyſicè, necnon ipsâ etiam Prædeterminatione phyſicâ ex vi illius decreti conſecuturâ, tum ad actus bonos, tum etiam ad malos (pro materiali) nihilominus tamen arbitrantur ſaluari poſſe incolumem creati arbitrij libertatem, diuinámque innocentiam, tametſi ex munere cauſæ primæ compellatur ſæpè ad coëfficiendas nobiſcum Concurſu prædeterminante, prætereáque ſimultaneo, & identificato actiones intrinſecè, atque ex obiecto turpes: quam vtramque Dei & noſtram conditionem vt ſaluare poſſint multo labore ſudatum eſt, poſitáque ab illis diligens opera, quemadmodum nos infrà tertiâ parte præſentis opuſculi dicturi ſumus.

Ego verò ſoluendam puto, ſeu potiùs anteuertendam eſſe difficultatem inficiatâ neceſſitate diuini Concurſus identificati, proximi, immediati; & conſequenter inficiato decreto ſic concurrendi, denegato quoque vſu illo Scientiæ Mediæ dirigendi Deum ad dandum vnum determinatum Concurſum potiùs quàm oppoſitum, ac denique denegatâ Prædeterminatione phyſicâ, & decreto illius nobis conferendæ; reformatóque illo principio aduerſariorum; admiſſo autem duntaxat Concurſu Dei remoto, ac mediato, qualem toto præſente opuſculo ſufficere & requiri contendimus. IX.

Et quidem quòd attinet ad noſtram libertatem; cùm ſententia noſtra aſſerat Deum non concurrere ad actus noſtros proximè, & immediatè, ſed voluntatem noſtram cæteris omnibus ad operandum prærequiſitis inſtructam, eſſe cauſam totalem, & adæ-



Digitized by Google

quatam actus ſui; nihil eſt cur metuamus libertati noſtræ ex Concurſu Dei, aut ex decreto æterno illius nobis in tempore conferendi, quandoquidem voluntas noſtra poteſt determinare ſemetipſam, & ex indifferente, atque indeterminata transferre ſe ad ſtatum actualis determinationis, ſeu exercitij actus ſui, ſolúmque ad hoc erit ei neceſſaria influentia, Concurſus, applicatio illa, præmotio, & excitatio ad agendum quam Deus illi contulit tribuendo virtutem agendi, & inclinationem, propenſionémque ad operandum, vel, quod ferè in idem recidit, ſufficiet determinatio quam à Deo naturaliter inditam accepit ad amandum bonum in communi & vagè, qua quidem determinatione præſuppoſitâ, poſtmodum ipſa voluntas noſtra, propoſito ſibi obiecto per actionem intellectus, ſemetipſam ad libitum inclinare, ac determinare poteſt actu ſuo libero, & vitali, ad bonum particulare, vel verum, vel apparens ſibi propoſitum. Facile eſt, inquam, nobis demonſtrare nihil inde præiudicij noſtram libertatem accipere eò videlicet quòd Deus neque prædeterminet voluntatem, neque cum ea proximè, & identificè operetur; neque immittat in eam aliquid indiſtinctum ab actu eius, aut vnde neceſſitetur ad vnam contradictionis partem; ſed relinquat eam operari actum ſuum, præſtito illi Concurſu eiuſmodi remoto, ac mediato, qui eſt aliquid antecedens operationem voluntatis, realiter diſtinctum, & facilè ſeparabile ab ipſa operatione, & quo poſito, voluntas, etiam in ſenſu compoſito, poteſt operari, ſi velit, aut ab operatione deſiſtere ad libitum, quod eſt eam relinqui planè liberrimam.

Contrà verò, ſi Concurſus Dei proximus, & identificatus exiſtimetur eſſe neceſſarius ad quemcunque actum noſtrum, impoſſibile eſt vt explicemus quomodo cum diuino illo Concurſu ad amãdum, exempli cauſâ, qui ab ipſo amoris actu realiter non diſtinguitur, componi poſſit negatio amoris, prout eam componi poſſe neceſſarium eſſet ad integritatem libertatis.

X. Quod verò ſpectat diuinam innocentiam: Cùm eadem ſententia noſtra aſſerat Deum non concurrere ad actus noſtros prauos Concurſu immediato, & indiſtincto, ſed remoto, ac mediato qualem deſcripſimus, liquidò conſtat nihil ex eiuſmodi Concurſu derogari poſſe diuinæ innocentiæ, & Sanctitati; quandoquidem



Digitized by Google

ineptè prorſus attribueretur Deo optimo maximo malitia illius actus noſtri quem tantùm permiſit à nobis fieri, & ad quem ipſe non niſi remotè ac mediatè concurrit cùm impedire eum minimè teneretur: Proptereàque Scotus in ſecũdo diſtinctione 57. poſteaquàm ſententiam iſtam retulit, quam poſteriores illo Durandus, Aureolus, & alij plures quos in quarta parte adducimus; amplexi ſunt, meritò ſubiunxit, *Si hæc opinio vera eſſet, faciliter aſſignari poſſet modus, quomodo Deus non eſſet cauſa peccati; quia totum quod eſt in peccato, & materiale, & formale, eſſet cauſatum à voluntate, quodlibet ſuo modo tanquam à cauſa totali: & ita nullo modo à Deo niſi mediatè, quia Deus produxit voluntatem quæ ſic & ſic poſſet velle*: hæc Scotus ibi, qui circa hanc quæſtionem de Concurſu Dei remoto aut proximo fuit problematicus, vti nos infrà dicemus & cuius prædicta verba deſumpſit Gabriel Biel in ſecundo, & alij Scholaſtici plerique ibidẽ.

Neque obſtat Axioma quo vulgò dicitur *Cauſam Cauſæ eſſe etiam Cauſam Cauſati*, vel, *Cauſam alicuius, eſſe etiam cauſam eius quod conſequitur ad illud*, ex quo inferri videtur Deum eſſe cauſam peccati quod à voluntate noſtra cauſatur, quia ipſe eſt cauſa noſtræ voluntatis, facilè enim reſpondetur, Axioma habere locum in rebus quæ neceſſariò, & inſeparabiliter conſequuntur ad aliquem effectum, quemadmodum ad actum odij Dei liberè factum conſequitur malitia; Vel ſecundo, locum habet Axioma in cauſa cuius effectus eſt determinatus ad vnam operationis ſpeciem, non autem in ea cuius effectus liber eſt ad varias operationis ſpecies, quam iuxta interpretandi rationem ignis qui eſt cauſa immediata caloris, eſt etiam cauſa calefactionis neceſſitate naturali manantis ab illo calore. At verò pater qui genuit filium non dicitur cauſa malarum actionum filij; neque parentes fortè iampridem mortui filios agũt præcipites, quoties hi deorſum ex alto ruunt: Reſpondent alij Axioma locum non habere quando deſcenditur à cauſa phyſica, vt tali, ad cauſam moralem, vt talem, propter quod pater qui eſt cauſa phyſica filij, non eſt cauſa moralis malarum actionum eius, quia vt moralis earum cauſa dicatur per rationabilem attributionem, non ſatis eſt quòd quouis modo aliquid ad earum eſſe, vel ad eſſe cauſæ ipſarum contulerit, ſed oporteret inſuper eum, vel ex illa intentione id feciſſe, vel certè id contuliſſe quod conferre

prohibebatur, vel eiuſmodi actiones ſuaſiſſe, aut certè non impediuiſſe, cùm impedire teneretur, quorum neutrum reperitur in eo quòd pater generet filium, aut in eo quòd Deus ſit cauſa voluntatis noſtræ, aut quòd ei potentiam indifferētem contulerit ad operandum bonum, & malum: eſt verò ſanè Deus cauſa bonarum actionum quas facimus, tametſi non concurrat immediatè, quia concurrit ad eas multis particularibus modis, quibus non concurrit ad malas, ſcilicet impellendo, ac ſuadendo, viréſque ea intentione nobis conferendo vt benè operemur, &c.

---

## CAPVT IX.

*Controuerſiam de modo quo Deus vniuersè coniungitur ad cooperandum creaturæ, abſtrahendo à Concurſu ad actus naturales, aut ſupernaturales, earum omnium eſſe maximam quæ ſunt inter Prædeterminantes, & Aſſertores Scientiæ Mediæ, nihilque in particulari eſſe dicendum de auxiliis gratiæ.*

I. TAmetſi grauiſſimæ difficultates philoſophicæ ac Theologicę prorſus depēdeant ab ea quæſtione qua diſputatur. An Deus concurrat proximè, immediatè, & identificè; An verò ſolùm remotè, mediatè, ac proinde Concurſu realiter diſtincto, & ſeparabili ab operatione creaturæ: Contigit tamen vt quæſtio iſta, quæ præ omnibus erat inueſtiganda, & debitâ firmitate ſtabilienda, eò quòd eſſet aliarum baſis, ac fundamentum, relicta fuerit abſque illo diligente ſtudio quod iure poſtulabat, nimirum, Doctoribus Scholaſticis ferè ſupponentibus tanquam certum, atque etiam velut in Scripturis contentum, Concurſum Dei proximum, immediatum, & indiſtinctum ad quoſlibet actus noſtros, bonos, & malos eſſe neceſſarium, cùm tamen id non modò non certum, ſed nequidem eſſet verum: Ex quo factum eſt, vt, diuiſis Theologis in duas celeberrimas acies circa modum coniunctionis prætenſi

Con

Concurſus immediati, & indiſtincti, & creſcente in dies dimicantium numero, ac zelo, abyſſus vnius dubitationis, vt ille alter inquiebat, maioris alterius dubitationis abyſſum inuocauerit.

Propter quod, ego hac iam deprehensâ controuerſiarum ſcaturigine, & radice, cœpi quæſtionem iſtam de Concurſu Dei, proximo aut remoto profundiore multò quàm antea feceram meditatione tractare; Cúmque mihi omnino viſum fuiſſet corrigendam eſſe illã propoſitionem qua aſſerebatur neceſſitas Concurſus proximi, & indiſtincti, nonnulli, quibus hæc noſtra ſententia vehementer diſplicuit, cùm viderent aſſerentem me præcipuas vtriuſque factionis controuerſias ortas eſſe ex putata immediatione diuini Concurſus, eiuſdémque identitate cum influxu creaturæ; primò quidem commenti, aut ſuſpicati ſunt propoſitum mihi eſſe: vt diſſidentes de gratiæ efficacia ſententias Prædeterminantium, & Aſſertorum Scientiæ Mediæ in concordiam reuocarem; Tum deinde obiecerunt *me diſsidium illud componere voluiſſe, per id, de quo nulla erat quæſtio, quódque cũ eo de quo Controuerſia eſt connexionem nullam habet, hoc eſt, per diuini nobiſcum Concurſus inficiationem: Quod planè non ſecus eſt quàm ſi quis contendentes de vinea conciliare tentet excitatâ nouâ nec vllatenus cum priore nexâ contentione de prato, quod non eſt lites ſopire, ſed ſerere: Vel certè nõ ſecus eſt quàm ſi quis pedem ſaucium curaturus, oculis non caligantibus collyrium adhibeat*, addiderúntque *hinc liquere, me in conciliatione diſsidiorum quam molitus ſum, ab ipſo oſtio aberrare, & quæ profero de radice & remediis diſsidij Prædeterminatorum cum Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, non plus ad eam controuerſiam facere quàm Boreas ad meridiem pertineat; Atque ad pacandam litem inter binas illas ſcholaſticas acies vigentem inane eſſe & planè alienum.* Hęc in me ſatis acerbè pronuntiauit quidã Theologus libro quẽ nuper ex parte aduersùs noſtrã ſententiã edidit, quod ipsũ & alij nonnulli in ſcholis ſuis ſi nõ totidẽ verbis, at eodẽ ſanè ſenſu aduersũ me dixere, quæ tamẽ quã immeritò in nos effuderint manifeſtum eſſe poteſt ex iis quę totâ hac primâ parte, prolixiùs fortè quã par erat, diſſeruimus, & adhuc patebit euidentiùs per ea quæ hìc addam, vt appareat Auctorem illum hac in parte mentem meam minimè fuiſſe aſſecutum.

Dico igitur primò. Quemadmodum Iudices in re ciuili tribus potiſſimùm modis controuerſias litigantium finire ſolent; vel rem II.



Digitized by Google

integram adiudicando vni parti, & alteram condemnando, eique euidenter oſtendendo quòd ius in re illa, aut ad rem non habuerit ſiue id fiat à Iudice, ſiue ab Arbitro: vel rem diuidendo inter vtrumque litigantem æqualiter aut inæqualiter prout vniuſcuiuſque meritum, & ratio poſtulauerit: vel vtrumque dimittendo vacuum eo quòd abſque ſufficiente fundamento litem mouerit, cùm nullum ius in re, aut ad rem haberet, ſed tertius quidam; propter quod ſæpe dicitur quòd *inter duos litigantes tertius gaudet.*

Ita ferè in re literaria controuerſiæ finiuntur tribus modis: Primò, quando pronuntiatur ſententia in fauorem vnius partis, euidenter conuincendo oppoſitam, & condemnando, ſiue id fiat à Summo Pontifice, aut Concilijs in rebus quidem fidei, ſiue priuatâ auctoritate in diuerſis materiis, à Doctoribus Theologis, aut Philoſophis, aut ab peritis hominibus vniuſcuiuſque facultatis.

Secundò, quaſi diuidendo inter vtrumque, ſcilicet, dum laboratur in æquiuoco, eò quòd vna pars rem aliquam vno modo definiat, aut in vno ſenſu accipiat; altera autem modo oppoſito; & tunc finitur diſcordia, tribuitúrque vnicuique quod ſuum eſt, dum dicimus, ſi res in hoc ſenſu intelligatur, pars iſta verum dicit, ſin autem in altero illo ſenſu rem accipias, altera pars verum docet; atque ita ſæpe contingit vtrámque partem in bono ſenſu verum dixiſſe ac reuerà ſenſiſſe idem, ſolúmque in nomine ac voce diſſenſionem extitiſſe, & laboratum fuiſſe in æquiuoco.

Tertiò, finiri poteſt controuerſia dum oſtendimus vtramque factionem fuiſſe deceptam, eò quòd falſo niteretur principio; proptereáque patefactâ falſitate principij, & fundamenti non debere eos amplius litigare, ſed arma deponere, & principium illud corrigere ac reformare; neque ſeſe amplius ad inuicem ſuper hac controuerſia moleſtare.

Nobis itaque in propoſito non eſt animus, neque ſcopus reuocare ad concordiam factiones illas Theologorum diſcrepantes, vnam illarum alteri præferendo, aut in fauorem alterutrius ſententiam pronuntiando, vel oſtendendo laboratum fuiſſe in æquiuoco ob malè intellectam, vel in diuerſis ſenſibus interpretatam vocem aliquam, propter quod adhibitâ aliquâ diſtinctione demonſtrari poſſit, quòd vtraque pars idem in re ſenſerit, aut verum docuerit:

tantùm

tantùm enim abeſt vt Prædeterminantes cum Aſſertoribus Scientiæ Mediæ hac in re conueniant,vt potius eorum ſententiæ prorſus è regione,& contradictoriè opponantur,quemadmodum patet ex dictis ſupra: Sed finis, atque intentio mihi propoſita eſt, vt demonſtrem euidenter ambas iſtas, celeberrimas licet hac tempeſtate Theologorum factiones,( ita enim poſſumus eas appellare vocabulo in re literaria minimè contumelioſo)errore fuiſſe deceptas, eo quòd propoſitionem illam philoſophicam qua aſſeritur neceſſitas cooperationis immediatæ, & indiſtinctæ exiſtimarent eſſe veriſſimam & fidei proximam,cùm tamen ea ſit falſiſſima, vt mirandum non ſit quòd huiuſmodi propoſitio cauſa & ſcaturigo fuerit tantæ diſſenſionis, ac deceptionis vtrorumque, quandoquidem fundamento ruinoſo,ac non ſatis firmiter iacto non niſi falſæ atque adeo difficillimæ ad intelligendum opiniones ſuperædificari potuerint.Hinc enim fiet, vt patefactâ principij illius, cui innitebantur,falſitate,finienda ſit eorum controuerſia, nec debeant amplius ſuper hac re aduerſum ſe inuicem litigare,ſed iunctis copiis, reformatóque ac dimiſſo illo principio,aduerſùm communes Catholicæ Religionis hoſtes hæreticos,diuinæ ſanctitatis,& humanæ libertatis inimicos acriter dimicare.

Dico ſecundò, earum controuerſiarum quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte,eorúmque Aduerſarios ex altera, debere illam exiſtimari ſi non dignitate, ſaltem aliis titulis ac nominibus omnium maximam,quæ difficultates habet, vel magis latè patentes, vel tales,vt in iis ſuperandis,aut euadendis plus ſit laboris, ac moleſtiæ;& in quibus vtrimque acriùs pugnetur:atqui controuerſia quæ inter Catholicos orta eſt circa coniunctionem identitatémque Concurſuum Dei & Creaturæ, & de modo cooperationis diuinæ proximæ, & immediatæ ad quemlibet actum noſtrum, & latiùs patet,& grauioribus hinc inde difficultatibus implicatur: Ergo eſt earum omnium maxima: probatur minor quoad Prædeterminantes,quia cùm qualitatem illam, ſeu motionem phyſicè prædeterminantem, atque inſuper cooperationem immediatam, ac ſimultaneam ſtatuant eſſe neceſſariam non modò ad actus ſupernaturales, ac meritorios, ſed etiam ad naturales, quinimò & ad malos, ſiue ſint neceſſarij, ſiue ſint liberi; latiſſimè omnino exten- III.

ditur,

ditur, & Aſſertores Scientiæ Mediæ, præter alia multa argumenta, efficaciſſimè eos impugnant, ex eo quòd tametſi inuiti ac nolentes, humanæ tamen libertati, ac diuinæ ſanctitati præiudicare videâtur.

Probatur quoque eadem minor quoad Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ, quia iſti dum ſaluare conantur humanam libertatem, diuinamque innocentiam non obſtante prouidentia Dei indefectibili, & Concurſu eius immediato, proximo, & indiſtincto ad quamlibet actionem noſtram, bonam ac malam; ſiue ea ſit ordinis ſupernaturalis, ſiue naturalis, & ad pleráque alia fidei noſtræ myſteria explicanda, recurſum habent ad Scientiam Mediam, in eáque ſtabilienda toti ſunt, exiſtimantes, eâ confractâ, neceſſe eſſe vt prouidentiæ diuinæ indefectibilitas cum humana libertate, & diuina ſanctitas cum Dei Concurſu ad actus noſtros prauos, & multæ aliæ difficultates Theologicæ, explicari non poſſint; Prædeterminantes autem validiſſimè eos impugnant, eò quòd ſtante veritate illius principij de neceſſitate diuini Concurſus immediati, quod vtrique exiſtimant eſſe veriſſimum, aduerſarij reperire non poſſint quodnam ſit obiectum Scientiæ illius Mediæ, cuius beneficio ſaluare ſe poſſe putant humanam libertatem, & diuinam ſanctitatem, cum eodem Concurſu immediato ad quoſlibet actus noſtros, tametſi prauos; quemadmodum diximus capite quinto huius primæ partis, atque amplius dicturi ſumus ſecunda parte huius opuſculi ferè per totam; Ergo controuerſia de modo coniunctionis Concurſuum Dei, & Creaturæ eſt omnium maxima, veluti *extenſiuè*, hoc eſt, maximè vniuerſalis, ac latiſſimè patens, necnon etiam moleſtiſſima, atque adeo maxima veluti *intenſiuè*, earum, inquam, omnium quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte & Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera; cúmque in ea plurimæ fundentur grauiſſimæ difficultates, quarum iſta eſt radix & ſcaturigo, quemadmodum ex dictis totâ hac prima parte liquet, dicenda eſt ex hoc etiam capite omnium maxima, veluti *effectiuè*.

IV. Porrò, ex innumeris quæſtionibus quæ pendent, lucémque accipiunt ab ea quam in præſente opuſculo diſcutimus, potiſſimè videri poſſunt quæ ſequuntur.

Quid ſit, cauſas aliquas eſſentialiter ad inuicem eſſe ſubordinatas, alias verò ſubordinatas eſſe per accidens; & in quo conſiſtat eſ-

ſen

eſſentialis ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam.

An Deus vbique, & in omni operatione creaturæ cooperetur immediatè, immediatione ſuppoſiti, & virtutis; & quid termini iſti ſignificent.

An verum ſit, quidve ſignificet id quod vulgò philoſophi dicunt, Deum concurrere cum cauſis neceſſariis neceſſariò, & cum liberis liberè.

Quid ſit Concurſus Dei in actu primo, & in actu ſecundo; Et An Concurſus in actu ſecundo ſit vnum ex prærequiſitis ad operationem creaturæ. An potiùs ipſamet eiuſdem creaturæ operatio.

An Deus offerat creaturis liberis varios Concurſus, tam pro actibus qui fiunt, quàm pro iis qui non fiunt.

An verum ſit, quídve ſignificet, Cauſam ſecundam non agere niſi prout mouetur, applicatur, excitatur, determinatur à prima.

An viciſſim, cauſa ſecunda excitet, ac determinet primam ad agendum vno modo potiùs quàm alio, tam quoad ſpeciem actus, quàm quoad exercitium.

An cauſæ ſecundæ ſint inſtrumenta cauſæ primæ; An verò ſint cauſæ principales effectuum, & operationum ad quas habent proportionem naturalem.

An cauſa ſecunda dicenda ſit cauſa totalis, & adæquata; An verò ſolùm inadæquata, & partialis reſpectu operationis à ſe procedentis.

An diuiſio Scientiæ Dei in Scientiam ſimplicis intelligentiæ, & in illam viſionis, ſeu in neceſſariam, & liberam, ſit bona, ſufficiens, & adæquata; An verò debuerit ſuperaddi tertium membrum, Scientiæ nimirum Mediæ, & Conditionatæ.

An Deus cognoſcat futura contingentia quæ à libertate creata pendent, in aliquo decreto, & determinatione ſuæ voluntatis

An cognoſcat futura contingentia conditionata in decreto conditionato prædeterminandi voluntatem creatam; aut cum ea concurrendi proximè, & immediatè, & identificè; vel abſque vllo tali decreto.

Quid ſit illud, ad quod attendens Deus decernat concurrere cum humana voluntate vno potiùs Concurſu quàm alio.

N Quid

Quid ſit, actum aliquem ab homine elicibilem formaliter præfiniri, quid ſit etiam eundem actum præfiniri virtualiter.

An Deus præfiniat omnes actus noſtros liberos priùs ratione quàm præuiderit eos determinatè, & abſolutè eſſe futuros.

An detur in Deo decretum abſolutum, & efficax, quo ipſe abſolutè velit vt ſinguli actus noſtri fiant; An verò ſufficiat decretum conditionatum, & voluntas diſiunctiua, qua velit concurrere, vel ad hunc vel ad illum actum prout noſtra voluntas elegerit.

Quomodo, & An ſtare poſſit libertas humana cum indefectibilitate prouidentiæ quam Deus habet ab æterno de actibus noſtris liberis futuris; & An Deus coniungere poſſit in eadem actione creaturæ, poteſtatem non agendi, cum infallibilitate agendi.

An dentur aliqui actus intrinſecè mali quos Deus verè, propriè, ac per ſe operari non poſſit, repugnante eſſentiali ipſius rectitudine, & ſanctitate.

An Deus propriè, ac per ſe operetur actus noſtros liberos quibus annexa eſt malitia; An verò ad eos duntaxat permiſſiuè ſe habeat, & an dici poſſit cauſa peccati.

Quomodo actus noſtri euadant ſupernaturales, & quid ſit in actu ſupernaturalitas.

An ſuppoſito quòd Deus non concurrat proximè ad actus noſtros, poſſit nihilominus impedire Angelum ne operetur, ſubſtantiâ illius minimè deſtructâ.

Quale ſit dominium Dei in voluntates noſtras, & in earum operationes, & in quo fundetur.

An gratia, ſeu vocatio efficax, eiuſmodi ſit, hoc eſt, efficax, ex propria, præciſáque entitate ſua phyſica, per quam voluntas creata prædeterminetur; An potius efficaciam habeat ex euentu, ſeu conſenſu, vel prout ſubeſt Scientiæ Mediæ, & bonæ voluntati Dei conuertere efficaciter volentis.

V. At fortè obiicere poſſet aliquis, difficultatem quæ inter vtramque factionem interceſſit circa efficaciam auxiliorum gratiæ cæteris omnibus longè eſſe ſuperiorem, videlicet ob præſtantiam actuum ſupernaturalium de quibus in ea agitur, cui tamen explicandæ inepta atque inutilis eſſe videtur ſententia noſtra, negans Concurſum Dei proximum, & identificatum ad actus noſtros:

ſtatus

ſtatus autem iſtius controuerſiæ ferè eſt huiuſmodi.

Nimirum, prouidentia ſupernaturalis Dei hominem prædeſtinantis in vitam æternam talis eſſe debet, vt per eam certiſſimè liberentur quicunque liberantur; adeò vt contradictionem implicet, hominem eſſe prædeſtinatum ad vitam æternam per bona opera liberè facta conſequendam, & tamen eum minimè facere huiuſmodi opera meritoria, & non conſequi per illa gloriam: Porrò huiuſmodi opera viribus naturæ fieri nequeunt, ſed præuenientis gratiæ auxilio indigent, fiúntque interuentu doni perſeuerantiæ, & gratiæ efficacis; quamobrem gratia iſta efficax, vt eſſe poſſit infallibile medium quo Deus certiſſimè liberat, habere debet infallibilem omnino connexionem cum libero conſenſu creaturæ rationalis, adeò vt implicet contradictionem, Deum conferre alicui gratiam efficacem ad liberum conſenſum in aliquod opus pium, & tamen eum minimè præſtare illud opus, vt ſic Deus hominem prædeſtinans ad vitam æternam per opera meritoria conſequendam, de euentu efficacitet à ſe volito ſecuriſſimus eſſe poſſit, nimirum, & de præſtatione operis pij, & de conſecutione gloriæ.

Atque hinc ſanè ortum eſt dubium celebratiſſimum; An gratia iſta efficax habeat infallibilem illam connexionem cum libero conſenſu hominis in opus pium ex vi propriæ entitatis phyſicæ; An verò aliunde, ſeu, quod idem eſt; An cogitatio ſancta ſupernaturalis, & motus ſubitus pius voluntatis, ac denique omnis illa realitas creata in qua conſiſtit gratia excitans efficax, talis ſit, vt ex præciſa illius virtute, atque entitate phyſica, voluntas humana determinetur ad certò & infallibiliter conſentiendum; An verò infallibilitas illa, & certitudo petenda ſit ex Scientia Conditionata Dei volentis hominem excitare, & vocare cogitatione, atque inſpiratione illâ, quam in priore ſigno rationis præuiderat habituram effectum, atque adeò futuram eſſe efficacem, ſi homini in tali occaſione poſito conferretur, tametſi ipſa eadem vocatio, & inſpiratio, attentâ præciſâ illius virtute, atque entitate phyſicâ potuiſſet non determinare voluntatem, neque obtinere conſenſum, ſed remanere vacua, & inefficax, ſi voluntas hominis reſiſtere, aut abiicere illam voluiſſet, quemadmodum pro ſua libertate abiicere, & reſiſtere poterat.

At verò, ſiue dicamus Deum concurrere nobiſcum proximè,

N 2 imme

immediatè, & identificè, ſiue mediatè ſolùm, ac remotè; ſupereſt tamen eadem quæſtio; An cogitatio illa ſancta, & ſupernaturalis, motúſque pius voluntatis, à Deo quidem remotè, ac mediatè producti, à nobis autem proximè, & immediatè; huiuſmodi ſint, vt voluntatem humanam phyſicè prædeterminent ad conſenſum in opus pium; An verò non prædeterminent; & ſi ſic, læditur libertas arbitrij creati; ſi non, infallibilitas, & certitudo diuinæ prædeſtinationis minimè explicantur; eritque periculum ne arbitrium creatum, ſi ſuæ indeterminationi relinquatur, nolit fortè actum illum exercere propter quem Deus hominem ſaluare decreuerat & pro quo gratia excitans actualis illi confertur.

Ergo diſputatio de Concurſu Dei mediato, & diſtincto, vel immediato, & indiſtincto videtur eſſe inutilis; & inepta, prorſúſque impertinens ad finiendam controuerſiam de auxiliis, earum quidem omnium dignitate maximam quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & eorum Aduerſarios ex altera, & à qua ſanè difficultate potiùs quàm ab aliis duæ illæ celeberrimæ Theologorum acies Prædeterminantium, & Aſſertorum Scientiæ Mediæ, ſeu Conditionatæ appellationem ſortitæ ſunt.

VI. Reſpondeo primò; nondum adeſſe facultatem imprimendi de auxiliis gratiæ quæ dantur ad actus ſupernaturales, propter quod etiam in titulo opuſculi præfiximus nos ſermonem habituros de côiunctione Concurſuum Dei & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis, præſertim autem ad prauos, eo quòd nullo, quod ad nos hactenus peruenerit, decreto prohibeamur de Concurſu ad actus naturales, præſertim prauos edere, ac diſputare.

Reſpondeo ſecundò, non poſſe nobis obiici in propoſito difficultates quæ inter vtramque factionem interceſſerunt circa efficaciam auxiliorum diuinæ gratiæ; quia illæ difficultates in quibus agitur ſolùm de actibus ordinis ſupernaturalis, pro quibus duntaxat, & non etiam pro actibus ordinis naturalis, præſertim prauis, dantur auxilia gratiæ; tametſi dignitate ſuperiores dici poſſint, tamen ſunt multò minus vniuerſales, minúſque latè patentes, quàm illa quæſtio in qua vniuerſè diſputatur de modo coniunctionis diuini Concurſus ad quoſlibet actus creaturæ; vt per ſe patet; & cum plurimum pendeant à quæſtione de Concurſu Dei remoto,

vel

vel proximo, ſuppoſitâ aduerſariorum ſententiâ videntur interminabiles, cùm è contrariò in noſtra nullo ferè negotio explicentur: Nam ſi dicamus Deum non concurrere ad actus noſtros liberos, tametſi ſupernaturales, influxu proximo, & indiſtincto, & gratiam præuenientem conſtituamus in actu vitali ſupernaturali quo illuſtratur intellectus, & in inſpiratione ſimiliter vitali, & ſupernaturali voluntatis, & in aliqua ſupernaturali qualitate præcedente conſenſum noſtrum liberum, à quo etiam ſeparari poteſt, & de facto ſæpiſſimè ſeparatur, nimirum quoties diuinæ vocationi reſiſtimus; facilè erit demonſtrare nihil inde præiudicij humanam libertatem accipere; quia euidens eſt cum huiuſmodi vocatione, & qualitate ſupernaturalibus diſſenſum noſtrum, etiam in ſenſu compoſito, reperiri poſſe: At verò ſi Concurſus Dei proximus, & identificatus ſupernaturalis ordinis exiſtimetur eſſe neceſſarius ad quamcumque ſupernaturalem actionem noſtram, impoſſibile eſt vt explicemus quomodo cum diuino illo Concurſu ad conſenſum, à quo ipſe Concurſus realiter non diſtinguitur, ſed eſt idem ipſe conſenſus, componi poſſit, tum negatio conſenſus, tum etiam diſſenſus noſter, prout tamen componi poſſe neceſſarium eſſet ad integritatem libertatis.

Reſpondeo tertiò, eos qui in hac diſputatione verſati fuerint facilè intellecturos ex his quæ diximus de Concurſu Dei ad actus naturales ſiue bonos, ſiue malos, quid dicendum ſit in propoſito de auxiliis ad ſupernaturales; eo quòd vtrobique eædem prorſus difficultates agitari ſoleant, ſiue ſermo ſit de prædeterminatione phyſica, & decreto prædeterminandi, ſiue de Concurſu concomitante, ſimultaneo, & decreto illius nobis conferendi interuentu Scientiæ Mediæ, ſiue de præſcientia actuum liberorum tum conditionatè tum etiam abſolutè futurorum, aut de affinibus controuerſiis; in quarum omnium explicatione, ea quæ dicta fuerint reſpectu actuum naturalium, de ſupernaturalibus quoque dicta, ſeruatâ proportione, cenſeri debent.

Tametſi enim actus ſupernaturales, ob ſuam eminentiam, & perfectionem eſſentialem, ac ſpecificam vires noſtras naturales ſuperent, nobíſq; adeo ſint improportionati, vt eos producere nequeamus, niſi ab aliquo comprincipio ſupernaturali adiuuemur,

vel nobis indito,& inhærente,vel ſaltem ita coniuncto,ac aſſiſtente vt potentias noſtras naturales eleuet roborétque ad eorum productionem ; tamen non eſt difficilius nobis auxilium illud, & comprincipium ſupernaturale habentibus producere liberè actum ſupernaturalem,quàm habentibus principia, & auxilia naturalia producere actum naturalem:neq; difficilius eſt Deo coniungere in eadem actione ſupernaturali infallibilitatem cum libertate, & contingentia,quàm in eadem actione noſtra naturali;nec conſequenter,difficilius nobis erit explicare modum iſtius coniunctionis in vno genere actionum,quàm in alio:nimirum, quia difficultas coniungendi iſta duo in eadem actione, aut eam coniunctionem intelligendi & explicandi, non prouenit ex ſpeciali actuum noſtrorum ſupernaturalium perfectione, & dignitate quam habent præ actibus ordinis naturalis, eoquòd ſint generis cuiuſdam præſtantioris, & altioris;ſed ex alia quadam radice quæ communis eſt actui libero naturali cum actu libero ſupernaturali, nimirum ex indefectibilitate diuinæ prouidentiæ, & ex contingentia euentus prouiſi ac præfiniti;quæ duo videbantur eſſe contraria,atque adinuicem repugnare : Et ratio propter quam introducta fuit, vel Prædeterminatio phyſica, vel Concurſus identificatus concomitans interuentu Scientiæ Mediæ exhibendus, non eſt perfectio maior actuum ſupernaturalium præ cæteris,ſed, tum prædicta firmitas diuinę prouidentiæ,& contingentia actus noſtri;tum ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam ; tum eiuſdem cauſæ ſecundæ indeterminatio, & indifferentia;aut aliæ quædam huiuſmodi rationes,quæ communes ſunt, tam reſpectu actuum ſupernaturalium, quàm naturalium, & quæ omnes in ſententia noſtra negante Concurſum Dei proximum, & identificatum facillimè explicantur, prout apparebit in decurſu opuſculi. Et hæc de prima parte.

SECVNDA

# SECVNDA PARS TRACTATVS,

In qua diſputatur aduersùs illam Theologorum aciem, quæ exiſtimat beneficio Scientiæ Mediæ ritè explicari poſſe difficultates omnes quę moueri ſolent occaſione coniunctionis, identitatíſque Concurſuum Dei, & Creaturæ ad quamlibet iſtius operationem.

## CAPVT PRIMVM.

*Continens argumentum, & ſcopum huius ſecundæ partis.*

POSTEA quàm primâ parte huius opuſculi demonſtratum fuit euidenter, veram propriámque ſcaturiginem controuerſiarum quæ ſunt inter Prædeterminantes, eorúmque Aduerſarios eſſe propoſitionem illam philoſophicam, quâ ab plurimis aſſeritur indiſpenſabilis neceſſitas coniunctionis diuini Concurſus proximi, immediati, & identifici ad quamlibet actionem noſtram, bonam, ac malam; ex qua propo I.

propoſitione, ſi vera fuiſſet, ſequebatur vt neceſſariò alterutra factio eſſet amplectenda, propter quod etiam maior ſyllogiſmi à nobis initio propoſiti, quo præſentis opuſculi Summarium continetur, hæc fuit; Vel Deus non coniungit ſe creaturæ ad concurrendum in omni illius operatione Concurſu proximo, immediato, & identificato; vel ſi coniungit, neceſſe eſt eum id facere vel iuxta modum dicendi Aſſertorum Scientiæ Mediæ, vel iuxta eum, quem Auctores Prædeterminationis phyſicæ tenuerunt.

Veniendum eſt ad primam partem minoris eiuſdem ſyllogiſmi, oſtendendo in hac ſecunda parte, Deum minimè poſſe cooperationem ſuam proximam, immediatam, & indiſtinctam voluntati creatæ coniungere ad eandem numero actionem, iuxta viam modúmque dicendi Aſſertorum Scientiæ Mediæ, ſcilicet aliquid aduertendo in voluntate creata, ex cuius præuiſione determinetur ad ſic potius quàm aliter concurrendum, ex quo ſanè conſequens erit, vt, vel illum Concurſum ſuum nobis adhibere debeat iuxta modum dicendi Aſſertorum Prædeterminationis phyſicæ, quod tamen nos in tertia parte huius opuſculi oſtenſuri ſumus eſſe falſum, vel vt Deus non ſe coniungat cum creata voluntate ad eandem numero actionem proximè, immediatè, atque identificè, ſeu indiuiſim producendam, ſed potius taliter, vt Concurſus generalis quem ipſe creaturæ præbet ſit aliquid diſtinctum, & ſeparabile ab operatione Creaturæ, præuium, & antecedens eandem, ac per modum principij, & actus primi, & quo poſito, etiam in ſenſu compoſito, voluntas poſſit operari vtrumlibet, aut ab operatione deſiſtere; quod nos in poſtrema parte demonſtraturi ſumus eſſe veriſſimum, vt ſic correctâ, ac reformatâ propoſitione illâ philoſophicâ prædictæ difficultates quæ ab illa originem duxerant, finiantur.

II. Itaque vt ad propoſitæ minoris examen accedamus ſciendum eſt, Patrem Suarium, Leſſium, & alios, qui per Scientiam Mediam diuini Concurſus proximi, identificati, & ſimultanei neceſſitatem, & efficaciam, cum humani arbitrij libertate conciliant ita rem explicare ſolere prout ſequitur.

Primò enim ſtatuunt; Deum non abſolutè velle vt liberi noſtri actus fiant, ſed ſub conditione tantùm, ſi ſcilicet voluntas noſtra ad illos ſe determinare voluerit: Secundò, Deum ſub eadem conditione

ditione velle concurrere,& influere ad actum liberum,expectando tamen influxum creatæ voluntatis,ante quem nullum adhuc Concurſum præbet,neque in particulari decernit; ſed tantùm paratus eſt ad concurrendum ad hunc,vel illum actum prout ipſa voluntas elegerit. Tertiò ſtatuunt,Deum, poſteaquàm decretum iſtud conditionatum habuit,intueri, & veluti expectare quid ipſa voluntas ſit electura,vt ipſam Concurſu ſuo comitetur,& adiuuet, quod eſt (vt verba Suarij referamus) *ex illa voluntate conditionata concurrendi,ſi voluntas creata cooperari voluerit, manere applicatam omnipotentiam Dei, vt ſi videatur creata voluntas inclinatura & determinatura ſe in vnam partem potiùs quàm in aliam, ſicque poſtulatura Concurſum hunc potiùs quàm illum,ſcilicet amoris,quàm odij,opportunus Concurſus impendatur*; & in illa præuiſione inclinationis, & determinationis creatæ voluntatis,antequàm aliquid ſtatuatur de peculiari Concurſu Dei præſtando,collocant propriam rationem Scientiæ Mediæ, nimirum eâ intentione, ac conſilio vt defendere poſſint neceſſitatem, quæ ex ſuppoſitione diuini decreti,& Concurſus reperitur in noſtra actione,non eſſe niſi conſequentem,aut ſaltem comitantem voluntatis noſtræ liberum vſum, quem tantùm abeſt vt deſtruat, vt eundem potiùs præſupponat,ita Suares partim in metaph. diſp. 22. tom. 1. partim in opuſcul.lib. 1. de Concurſu Dei ad actiones liberas, quo loco proteſtatur modum hunc dicendi eſſe poſſibilem, verúmque ac probabilem valde,& alium non poſſe excogitari meliorem. Primò,inquit,quia in eo nulla eſſe poteſt contradictio: Secundò, quia Sol etiam ex natura ſua eſt illo generali modo expoſitus ad concurrendum cum ſingulis cauſis ſecundis quæ ab illo pendent, iuxta illarum capacitatem: Tertiò, quia vnus homo poteſt auxilium ſuum offerre alteri ad id omne quod ille alter elegerit. Molina in Concordia q. 14.art. 13.diſput.32.§.nonum eſt,ſic habet; *Deus opera noſtra bona moralia quæ ab arbitrio pendent vt exiſtant, vult imprimis voluntate conditionatâ,ſi & nos pro noſtra voluntate ea velimus, eo pacto quo vult omnes homines ſaluos fieri,ſi & ipſi velint,præuidens verò quænam eorum pro noſtra libertate ſint futura,complacet in illis, vúltque voluntate abſolutâ vt ſint*; Similia fere habet Leſſius opuſculo de gratia cap. 3. itemque alij prope omnes Scientiæ Mediæ Aſſertores,ſi non expreſsè & formaliter,ſaltem in virtute,& latenter.

Sed omnium diſtinctiſſimè, & luculentiſſimè, vt mihi quidem videtur, idipſum docuit Theophilus Raynaudus in Theologia naturali diſtinct. 8. quæſt. 3. artic. 4. num. 104. *Cum primùm*, ait, *Deus eam diſpoſitionem in voluntate aduertit, & actionem ex ea orituram, ſi per ipſam ſolam oriri poſſet, conditionaliter prænoſcit, illicò decernit applicare ſe ad agendum cum ea, & quidem tali numero Concurſu ex varijs qui poſſent à Deo nobiſcum elici; delectus enim ille numerici Concurſus, cùm non interſit ad noſtram libertatem, nec poſſit per nos fieri, Deo tribuendus eſt, vi ergo illius decreti diuini ſic formati, exprometur ſuo tempore actualis Concurſus à diuina potentia exequente nobiſcum cooperante.*

Et ruſum eadem diſt. quæſt. 5. art. 5. num. 348. §. Quomodo cauſa prima coniungat Concurſum ſuum cum Concurſu ſecundæ, *Quod attinet*, inquit, *ad cauſas liberas, eſt difficultas in eo conſiſtens, quòd neceſſe ſit Deo Cõcurſum ſuum cum cauſa ſecunda coniuncturo, ſiue applicanti ſe ad coëfficiendam actionem liberam cum voluntate creata, occurrere aliquid, quo poſito videat exigi ab ipſo coniunctionem illam Concurſus.* Et paulò pòſt; *Manet ergo difficultas illa quam dicebam, nempe quid Deus, cùm cooperatur, videat; propter quod cognoſcat exhibendum ſibi nunc eſſe Concurſum, non antè, vel pòſt; Negari enim non poteſt, quin Deus qui non ſe applicat cæco modo ad concurrendum, debeat ab aliquo obiectiuè excitari ad præſtandum tunc potiùs, quàm antè, vel poſt Concurſum ſuum.* Et ruſus paulò pòſt num. 349. *Quia enim Deus priuſquam quidquam abſolutè videat, agnoſcit quid liberè euenturum eſſet, ſi hæc vel illa conditio poneretur, proptereà, cùm primùm decreuit, aut permiſit, atque adeò vidit abſolutè conditiones illas, quibus poſitis cauſa, ſi ſe ſolâ poſſet agere, operaretur liberè, hoc, vel illud; ſtatim quoq; decernit exhibere Concurſum illum determinatum, quẽ videt à voluntate in his circunſtantiis expoſci, ſeu qui ſit conſentaneus actioni ſub conditione præuiſa, tanquam ſecutura in talibus cõditionibus ſi non ſtet per decretum, & Scientiam Dei practicã, ac per potentiam exequentẽ ab eo decreto applicatam.* Deniq; iterum paulò poſt, *Cùm primùm*, inquit idem author, *abſolutè viſis conditionibus illis, prænoſcit conditionaliter actionem quoque à cauſa ſecunda manaturam, ſi ipſe ex parte ſua exhibeat Concurſũ, cùm primùm, inquam, hoc conditionaliter videt, decernit abſolutè exhibere Concurſum ſuum per potentiam ſuam exequentẽ à diuina Sciẽtia practica directam, quia enim poſita fuit conditio ſub qua decreuerat exhibere Concurſum, volitio quæ antè erat conditionata, tranſiit hoc ipſo in abſolu-*

*tam,*

Digitized by Google

*tam, & reddita eſt efficax, applicauitque actu potentiã exequentem ad coëfficiendam cum voluntate actionẽ ſeu ad exhibendum ei Concurſum*, hæc ille.

Ex quibus, & aliis ſupra poſitis conſequitur, tria ſigna rationis in æterna determinatione voluntatis diuinæ circa Concurſum nobis in tempore præſtandum ex mente Aſſertorum Scientiæ Mediæ eſſe diſtinguenda; Primum, in quo decreuit Deus generalem Concurſum voluntati noſtræ præbere, nondum tamen definiendo qualis, & cuiuſmodi, ſpecificæ, aut numericæ differentiæ futurus ſit Concurſus nobis exhibendus, *ſed expectando* (verba ſunt Suaris vbi ſuprà & ſæpè alibi) *liberum vſum voluntatis humanæ*; ex quo quidem decreto nihil aliud ſequi poteſt, niſi quòd Deus remanet ex parte ſua paratus ad concurrendum, adhuc tamen indifferens eſt & quaſi ſuſpenſus non magis reſpiciens vnam partem, quàm alteram; ſed omnes æqualiter ac proinde cum obligatione aliud decretum abſolutum habendi quo determinatè ſtatuet hunc vel illum Concurſum præſtare, poſteaquam præuiderit per Scientiam Mediam in quam partem voluntas creata ſe ſit determinatura. III.

Secundum igitur inſtans eſt, in quo per dictam Scientiam Mediam Deus explorat, animaduertit, & præuidet in quam partem creata voluntas pro ſua libertate, in tali vel tali occaſione, & in tali, vel tali puncto temporis, ſe ſit inflexura; vt ex illa præuiſione, & præſcientia determinet ſe, & quaſi reſoluat, vt potiùs in hoc, quàm in illo inſtante temporis Concurſum ſuum præſtet, & vt iſte Concurſus ſit potiùs ad volendum, quam ad nolendum, & ad volendum hoc, potius quàm illud obiectum; ſupponit enim iſta ſententia Concurſum quo Deus producit actum amoris cum voluntate creata, inutilem eſſe ad producendum actum odij, quia ſcilicet Concurſus eſt ipſiſſima actio creaturæ; creatura autẽ eadem actione non poteſt odiſſe, & amare, ſed actus creatus odij adeo eſt addictus & determinatus vt ſit actus odij, vt in æternum nequeat, nec potuerit vnquam ipſe idem eſſe actus amoris.

Tertium inſtans, aut ſignum rationis eſt illud, in quo iam tandem ſtatuit Deus in tali vel tali puncto temporis, hoc, vel illo momento, determinatum in ſpecie ac numero Concurſum ſuum præſtare voluntati creatæ, prout in ſecundo puncto, vel inſtante præuiderat illã ex ſua libertate ſeſe determinaturam, & poſtulaturam.



Digitized by Google

Hæc omnia neceſſariò conſequuntur ſententiam Suarij, & ſectatorum, quamquam ipſe poſtea aduertens huiuſmodi decretum abſolutum dandi determinatum Concurſum fore deſtructiuum libertatis humanæ, & diuinæ ſanctitatis, negauit illud in Deo eſſe admittendum: ſed profectò eſſet omnino admittendum ſi vera eſſet illius ſententia de Concurſu Dei proximo & identificato ad ſingulos actus noſtros; propter quod alij multi conſequentius quidem hac parte locuti, eadem ſententiâ ſuppoſitâ de Concurſu Dei proximo, decretum iſtud abſolutum admittunt, quorum eſt Vaſquez prima parte diſputat. nonageſima nona, capite ſeptimo & aliis in locis, Raphaël Auerſa prima parte de voluntate Dei, & alij: à quibus proinde ſi quæras, quare Deus hîc, & nunc Concurſum mihi præbet ad amorem, potiùs quàm ad odium, & quomodo poſſum eſſe liber eliciendo actum amoris? cùm in hoc inſtante temporis in quo illum elicio, fieri non poſſit vt eliciam oppoſitum, vel vt ab illo ipſo actu amoris abſtineam ſtante hypotheſi iſtâ nimirum præſente Concurſu actuali quem Deus mihi de facto præſtat ad amandum? Reſpondent; Deum dare potius Concurſum ad amorem quàm ad odium, quia ipſe attendens ad meam voluntatem beneficio Scientiæ Mediæ præuidit eam pro ſua libertate eſſe amaturam, daturúſque ac decreturus eſſet oppoſitum Concurſum ſi quidpiam aliud in mea voluntate præuidiſſet; nimirum ſi oppoſitum actum voluntas mea pro ſua libertate fuiſſet electura, vt reuerà eligere poterat. Atque hinc fieri putant vt neceſſitas, quæ ex actuali Concurſu Dei reperitur in actu meo, non ſit antecedens, ſed conſequens, & præſupponens vſum liberum meæ voluntatis, quæ quidem neceſſitas non magis præiudicat libertati, quàm ea quæ ſequitur ex ſuppoſitione ipſiuſmet liberæ actionis; ſecundùm quem neceſſitatis modum dicere ſolemus, poſito quòd liberè eligam, non poſſum non liberè eligere, alioquin idem eſſe poſſet, & non eſſe.

IV. Propter hoc itaque nobis eſt animus inueſtigare diligenter in hac ſecunda parte huius opuſculi, poſsítne ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ reperiri, & explicari quid ſit illud ad quod attendens Deus in ſecundo rationis ſigno cognoſcat, atque in tertio decernat abſolutè exhibendum ſibi nunc eſſe, & non antè vel poſt, Concurſum

curſum iſtum identificatum creatæ voluntati liberè operaturæ, cúmque determinatum in hac potius quàm in illa Concurſus, & operationis ſpecie, nam ſi illud reperiri non poſſit, ſed potiùs demonſtratum fuerit eſſe impoſſibile diſcurrendo per ſingulos aduerſariorum dicendi modos, omnino abiiciendus erit vſus ille Scientiæ Mediæ quem plerique Aſſertores illius eidem attribuũt; ſcilicet dirigendi Deum ad prudenter iudicandum, decernendúmque, debeátne, an non debeat coëfficere proximè, & identificè cum creata voluntate actiones quas in ſingulis occaſionibus ab ea videt emanaturas, ſi ipſe ad eas coëfficiendas coniungere ſe voluerit, & Concurſum ſuum minimè quidem Prædeterminantem, ſed duntaxat comitantem, ſimultaneum, & ab ipſo actu creaturæ indiſtinctum præbere, & accommodare; eritque manifeſtum, Deum non ſic coniungere ſe nobiſcum ad operandum, ſed alium quemdam diuinæ cooperationis, & Concurſus modum eſſe admittendum; ſcilicet, vel amplectendo præmotiones, ac Prædeterminationes phyſicas ad mentem eorum quos Prædeterminantes appellant, quorum tamen dicendi modum tertiâ parte huius opuſculi examinabimus, & refellemus; vel potius admittendo Concurſum Dei remotum duntaxat, & mediatum qualem nos abundè ſufficere in poſtrema parte oſtenſuri ſumus, & quo admiſſo facilè omnia conſtant, quæ aliter explicari non poterant; nimirum, diuinæ Scientiæ certitudo, prouidentiæ ipſius indefectibilitas, puriſſima Dei ſanctitas, creata libertas, &c.

Porro, abiicere talem vſum Scientiæ Mediæ, non eſt negare, V. aut abiicere ſententiam Aſſertorum illius, ſed eam potiùs purgare, emaculare, ac plurimùm cohoneſtare, viámque demonſtrare qua illius Scientiæ Aſſertores, eandem ſecuriùs ab impugnatoribus tueri, ac loco tutiſſimo collocare poſſint, ſicque illam explicare, vt omni ex parte munitiſſima ſit, adeo vt nihil contra eam poſſit amplius obiici quo labefactari queat, aut quod momenti aliquid habeat; Eſtque perinde ac ſi dicamus, in variis quidem locis, ac materiis Theologicis commodiſſimam interpretationem accipere, tum eam ipſam Scientiam, tum illius obiectum; tamen inter vera illius obiecta annumerari non poſſe iſtud, nimirum quidnam voluntas creata in ſingulis occaſionibus, ac conditionibus



Digitized by Google

factura ſit priùs ratione quàm verum ſit Deum identificè eſſe Concurſurum, ſeu quod idem eſt, priùs quàm Concurſus Dei ſub eadem conditione ſit futurus, eò quòd ſtante ſententiâ Auctorum Concurſus identificati, repugnet actionem creaturæ eſſe futuram, atque adeò vt talem præuideri, tametſi poſitis quibuſcunque aliis conditionibus ad operationem requiſitis, quandiu Concurſus Dei ab eadem illa operatione indiſtinctus nondum eſt determinatè futurus, ſed eſt quaſi adhuc pendens atque indifferens ad eſſendum, aut non eſſendum, eſt autem indifferens ad eſſendum, aut non eſſendum tametſi aliis quibuſcunque conditionibus poſitis, donec accedente decreto Dei ſtatuentis eum Concurſum exhibere, ſi hæ, & illæ circunſtantiæ & conditiones occurrant, transferatur à ſtatu meræ poſſibilitatis, atque indeterminationis, ad ſtatum determinatę futuritionis, ca ſu quo præuiſæ conditiones impleantur.

Veruntamen, cùm huiuſmodi decretum (ſi daretur in Deo) eſſet deſtructiuum libertatis humanæ, & reſpectu operum noſtrorum turpium eſſet etiam contrarium diuinę Sanctitati, vt dicemus infrà; cúmque ad operandum ſufficiat nobis Concurſus Dei remotus, ac mediatus; ſequitur, inter alias conditiones in obiecto iſtius Conditionatæ Scientiæ requiſitas, non poſſe, nec debere numerari iſtam, *ſi Deus proximè & identificè cooperari voluerit*.

Rurſúmq; hinc cōſequēs erit, Deum, qui futura omnia cōditionata clariſſimis oculis videt, intueri illa eſſe futura conditionatè, abſq; vllo decreto conditionato proximè & immediatè concurrēdi; Vnde iterùm conſequēter inferendū erit, ea quæ ſunt abſolutè futura cognoſci vt talia nullo præuiſo Concurſu proximo, & identificato, vt abſolutè futuro, quia id quod non requiritur conditionatè poſitum vt actus aliquis videatur conditionatè futurus, non requiritur abſolutè poſitum vt ille idem actus videatur abſolutè futurus; Ex quo denique concludendum erit, ea quæ Deus videt tanquam conditionatè aut abſolutè futura, eadem poſtmodum ſuo tempore produci in rerum natura, abſque eo quòd Deus per Scientiam Mediam dirigatur ad decernendum nobis, conferendúmque huiuſmodi Cōcurſum proximum, & indiſtinctum prout eum dirigi Aſſertores Moderni Scientiæ Mediæ prætendebant.

CAPVT

## CAPVT II.

### *In quo refelluntur qui dicunt obiectum Scientiæ Mediæ, qua Deus dirigitur ad decernendum, prouidendúmque Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, eſſe determinationem eiuſdem creatæ voluntatis.*

VT expendamus præcipuos dicendi modos eorum qui reiectâ Prædeterminatione phyſicâ, exiſtimant coniunctionem, identitatémque Concurſuum Dei, & Creaturæ, ac difficultates inde pendentes explicari poſſe ac debere beneficio Scientiæ Mediæ: Imprimis aliqui docuerunt, Deum creatæ voluntati cooperaturum expectare, ſeu, quod idem eſt, per Scientiam Mediam animaduertere, ſcrutari, explorare determinationem, & influxum eiuſdem creatæ voluntatis, vt ex illius intuitu moueatur ad decernendum, exhibendúmque hunc potiùs, quàm illum Concurſum, ex pluribus quos paratos offerebat: nimirum prout determinatio creatæ voluntatis exigere, & poſtulare videretur; Influxus autem, ac determinatio, apud eos, non eſt aliud quàm cooperatio, ſeu coëfficientia eiuſdem liberæ voluntatis: Sed profectò, (saluâ meâ in eos obſeruantiâ, haud enim neſcio ſapientiſſimis illis hominibus quantus omnino ſit habendus honos) dicendum videtur, impoſſibilem eſſe, prorſúſque in intelligibilē modum dicendi quem auctores iſti ſecuti ſunt, quocunque modo intelligatur, videlicet ſtante illorum principio, cui maximè innituntur, de indiſpenſabili neceſſitate Diuini Concurſus proximi, identificati, & ſimultanei ad quamlibet operationem creaturæ, quod vt faciliùs conuinci poſſit. I.

Notandum eſt; hunc dicendi modum à diuerſis auctoribus diuerſimodè fuiſſe intellectum: aliqui enim ſimpliciter initio dixerunt, Deum Concurſum ſuum homini operaturo coniuncturum, beneficio Scientiæ Mediæ intueri voluntatem humanam pro ſua libertate determinaturam ſe ad hoc aut ad illud, & ex præuiſione illius

illius determinationis quaſi erumpētis à noſtra volũtate, & quam veluti expectabat, excitari vt etiam ipſe coniungat ſe ad eundem actum ſimul ac ſemel producendum.

Et iſti quidem dixerunt Deum iam antè, in priore ſigno rationis, decretum habuiſſe concurrendi cum voluntate creata ad quemcunque actum ipſa determinare ſe vellet, ex quo decreto manebat applicata omnipotentia Dei ad operandum, ſi creatura vellet,& prout vellet;adeò vt nihil ampliùs deſideraretur ad opus, niſi determinatio voluntatis humanæ, & actualis coniunctio Diuini Concurſus cum illa; de qua rurſum coniunctione diſſenſio fuit inter eos; An fieret per nouum Dei decretum ſub forma abſoluta repetitum; An verò abſque vllo tali decreto nouo; eò quòd ſufficeret voluntas illa prior conditionata concurrendi,ſi,& prout humana voluntas determinare ſe vellet, aliis negantibus, aliis autem affirmantibus decretum huiuſmodi ſub forma abſoluta repeti oportere in tertio ſigno rationis, poſteaquàm Deus in ſecundo per Scientiam Mediam præuidit humanam voluntatem pro ſua libertate determinaturam ſe ad hoc, aut ad illud.

Alij rem paulò aliter intellexerunt; nimirum, Deum non præuidere, aut expectare determinationem noſtræ voluntatis vt iam abſolutè futuram, ſed tantùm ſub conditione, ſi non deſit Concurſus Dei: & iſti etiam diuiſi ſunt ſimiliter circa decretum, aliis affirmantibus,aliis verò negantibus dari in Deo poſitiuam abſolutam volitionem concurrendi determinatè ad eam contradictionis partem,quæ præuiſa fuit beneficio Scientiæ Mediæ.

Alij tertiò dixerunt; Deum primò quidem intueri actum ipſum immediatè, non iam vt erumpentem à voluntate creata, ſed præcisè vt habiturum exiſtentiam aliquando, nullâ factâ mentione, pro illo rationis ſigno, cauſatum à quibus eſſet producẽdus, poſteà autem Deum aliâ quadam poſteriore cognitione quaſi regredi ad cauſas actus,primam,& ſecundam; cùm enim ipſe ſciat actum illum non poſſe aliter in rerum natura produci, quàm per coëfficientiam vtriuſque cauſæ,primæ ſcilicet,ac ſecundæ; hâc vtráque cognitione dicunt moueri Deum vt ſimul cum cauſa ſecunda,cõgruo tempore,producat illum actum, quem in priore ſigno rationis,viderat pro illo puncto temporis,exiſtentiam habiturum.

Notandum

Notandum ſecundò,ſiue dixerimus id ad quod attendens Deus concurrit nobiſcum eſſe determinationem noſtræ voluntatis abſolutè,aut conditionatè futuram,ſiue dixerimus eſſe actum ipſum cognitum in ſeipſo immediatè ſecundùm exiſtentiam quam habiturus eſt, ſiue aliud quidpiam, neceſſariò illam rem habere aliquam anteceſſionem ad determinationem Diuinæ voluntatis, & ad Concurſum illius: Inquirimus enim id vnde, aut cuius intuitu ac præſcientiâ excitatur, & determinatur Diuina voluntas, ſeu, quid ſit illud quòd Deus expectet,& requirat in voluntate, priuſquàm ſic aut ſic concurrat abſque nouo decreto. II.

Propter hæc, videndum eſt in hoc præſenti capite; An Deus expectare poſſit determinationem creaturæ vt abſolutè futuram, vt,eâ per Scientiam Mediam præcognitâ, ipſe decretum particulare habeat concurrendi ad eandem numero actionem, quod vbi oſtenderimus eſſe impoſſibile,alios dicendi modos ſeorſim diſtinctis capitibus examinaturi ſumus.

Imprimis igitur argumentari poſſumus ratione deſumptâ ex obiecto Scientiæ Mediæ,quia regula,& menſura alicuius ſcientiæ, eſt obiectum illius; ex quo fit vt nihil eſſe poſſit obiectum Scientię certæ, neceſſariæ, & infallibilis, & cui repugnet ſubeſſe falſum, qualis ſola Deo eſt tribuenda, niſi vel reipsâ neceſſarium ſit, vel aliquem induerit ſtatum neceſſitatis ( prout ex cap.2.primi poſter. & toto illo libro conſtat, & fatetur omnis Schola ) Igitur ſi obiectum non modò non ſit neceſſarium,neque vllum induerit ſtatum neceſſitatis; ſed potiùs impoſſibile ſit, ac repugnans; atque adeò in ſtatu impoſſibilitatis, ac repugnantiæ; Scientia ipſa erit impoſſibilis, ac repugnans: atqui obiectum Scientiæ Mediæ, prout ab Aſſertoribus illius exponitur, eſt impoſſibile, ac repugnans: ergo ipſa ſcientia eſt impoſſibilis,ac repugnans,& conſequenter inepta ad dirigendum prouidentiam Dei decernentis concurrere ad actus noſtros. Probatur Minor; obiectum Scientiæ iſtius Mediæ ab Aſſertoribus ponitur creatum arbitrium ſuâ libertate hanc & illam actionem facturum, atque ad eam ſe determinaturum ſi in hac & illa occaſione conſtituatur,idque priùs ratione quàm Deus abſolutè,& determinatè ſtatuerit ſe concurſurum ad illam peculiari, & determinato Concurſu, quem tamen iſti auctores exiſti- III.

P mant,

mant,& ſupponunt tanta neceſſitate eſſe requiſitum,vt ſit conditio omnino indiſpenſabilis quâ deficiente, ne minima quidem actio à creatura poſſit erumpere:at res iſta omnino eſt impoſſibilis, ac repugnans principiis auctorum Concurſus immediati, & Scientiæ Mediæ, ergo. Maior patet ex antè dictis,& ex ſtatu controuerſiæ ſupra declarato: Minor verò iterum confirmatur & explicatur.

Supponamus diuinam voluntatem habere hunc actum,quando Petrus tali momento temporis, in tali occaſione conſtituetur, & proponetur illi tale obiectum taliſque cogitatio circa illud, decerno non ſubtrahere illi Concurſum meum qui omnino neceſſarius eſt ipſius voluntati ad ſe determinandum,& ad volendum, vel nolēdum;neque enim excepi hunc caſum à lege vniuerſali quam tuli de conferenda cooperatione, & Concurſu cauſis ſecundis, ſed omnino paratus ſum ad concurrendum cum illo ſecundum exigentiam tamen voluntatis illius,quam propterea expectare, attendere, explorare, & conſulere debeo,vt præuidens quid ſit volitura, inde quaſi excitatus obiectiuè,ſtatim me illi adiungam ad coëfficiendum cum illa eundem actum, & non alium, ne ſi ego ex meipſo antecedēter,hoc eſt inconſultâ illius voluntate ſtatuerem conferre illi hunc potius Concurſum quàm alium alterius ſpeciei, non eſſet volūtati illius liberum, & integrum elicere alium quemcumque actum,pro quo ſcilicet Concurſum meum non haberet; Sane in voluntate Petri ita ſpectata,& in illo, ſeu, ex illo actu diuinæ voluntatis præcisè,nulla determinatio præuideri poſſet vt certò futura, nullus effectus præuideri poſſet erumpens, à creatura; quia, (per te) deeſt aliquod cōprincipium omnino requiſitum ad agendum,& ſine quo voluntas creata eſt impotens ad minimam actionem eliciendam, nimirum decretum Dei abſolutum, & efficax conferendi Petro Concurſum particularem, & determinatum, ſolúmque adeſt volitio immanens Dei, indifferens, conditionata, & ſuſpenſa, atque indeterminata, non vergens magis ad Concurſum vnius,quàm alterius ſpeciei,ex qua ſola nihil in re ponitur.

Confirmatur;quia quandiu voluntas creata,eſt, & ſpectatur in tali ſtatu in quo impoſſibile ſit vt operetur;Deus non poteſt videre illam vt operantem,neque vt operabundam, aut operaturam pro illo ſtatu;atqui voluntas creata antequam intelligatur habere Concurſum

curſum

curſum Dei peculiarem, ac determinatum, aut eſſe certa de illo habendo, eſt in tali ſtatu in quo impoſſibile eſt illi vt operetur, non minùs quàm ſi eſſet annihilata, quia Concurſus Dei identificatus omnino cum actione voluntatis (per te, ac ſuppoſitis principiis tuis) non minùs eſt neceſſarius vt voluntas operetur, quàm exiſtentia eiuſdem voluntatis operaturæ; ergo ante decretum tribuendi hunc aut illum Concurſum ſingularem, non magis præuideri poterit vt operans, vel operatura, quàm ſi ſpectaretur in ſtatu annihilationis; quia eiuſmodi Concurſus Dei non tribuitur niſi ex decreto, & libera volitione tribuendi illum; hæc autem volitio nondum intelligitur eſſe in Deo, ſed ſolùm voluntas indifferens, & quaſi ſuſpenſa concurrendi, vel ad hunc, vel ad illum actum.

Iterum confirmatur; cauſa quæ eſt inſufficiens ad producendum effectum in ratione entis, eſt etiam inſufficiens ad inferendũ illũ in ratione ſcibilis; ſed ante decretũ quo Deus ſtatuit producere actum creatæ voluntatis in illa, & cum illa, ipſa eſt inſufficiens ad conſtituendum actum in ratione entis, id eſt, ad efficiendum illum, ſeu, quod eodem recidit, ad ſe determinandum ad illum; ergo creata voluntas non poteſt tribuere ſuæ determinationi, & actui ſcibilitatem, & veritatem prius ratione quàm adiunctum habeat decretum diuinæ voluntatis; ergo Deus præuidere non poteſt determinationem creatæ voluntatis vt abſolutè futuram, niſi poſito, & viſo decreto abſoluto concurrendi ad illam. Atqui decretum huiuſmodi nondum eſt, neque eſſe poterit, per te, niſi præuiſâ determinatione, quæ rurſum ipſa eſſe non poteſt ante decretum; ergo iſte dicendi modus manifeſtâ contradictione implicatur. IV.

Ampliùs, voluntas creata in quacunque occaſione, & conditione poſita ſit, non poteſt ſe ad quidquam determinare, niſi per aliquam actionem ſuam; at illius actio non diſtinguitur realiter à Concurſu Dei; ergo voluntas creata non poteſt ſe ad quidquam determinare priuſquam habeat Concurſum Dei, ſeu antecedenter ad illum; ergo dum Deus vult decernere quem Concurſum exhibiturus ſit creaturæ, non poteſt expectare influxum, & determinationem illius; quæ à ſuo Concurſu non diſtinguitur; perinde enim hoc eſſet, ac ſi quis diceret Deum vt decernat quàm actionem creatura ſit habitura, expectare ipſam creaturæ actionem. Sanè ſi Con-

curſus Dei, quem vocant in actu ſecundo, exiſtimaretur eſſe aliquid diſtinctum realiter à determinatione voluntatis creatæ, facilius intelligi poſſet quòd Deus ex intuitu, & præuiſione vnius moueretur ad decernendam productionem alterius ; ſed identitas Concurſus diuini cum actione, & determinatione, ſeu influxu creaturæ tantum abeſt vt compati poſſit iſtum dicendi modum contra quem diſputamus, vt potius conuincat eum eſſe impoſſibilem, ac repugnantem.

Confirmatur hæc ratio. Quia vel voluntas humana poteſt fundere ex ſe determinationem illam, antequam habeat Concurſum illum Dei quem dicunt identificari cum illa; vel non poteſt : ſi primum ; ergo poteſt aliquid efficere abſque identificato Concurſu Dei, quod tamen auctores iſti omnino inficiantur, exiſtimantes dependentiam quam omnis cauſa ſecunda habet in operando ab immediato, & identificato influxu primæ, eſſentialem eſſe, & intrinſecam, & prorſus indiſpenſabiliter neceſſariam. Probatur conſequentia, Quia determinatio voluntatis creatæ, vt præclarè docet Scotus, eſt ipſum agere eiuſdem ; Cùm enim non ſit actus primus, vt per ſe patet, non poteſt non eſſe actus ſecundus ; atque adeo actio ipſa voluntatis: Si ſecundum; ergo neque Deus ex æternitate præuidere poteſt in quam partem liberum arbitrium, pro ſua libertate, ſe ſit determinaturum, prius ratione vel naturâ, quàm ipſe ſtatuat illi prǽſtare Concurſum ſuum particularem, ac determinatum ſine quo determinatio illa eſſe non poteſt, quippe qui ab illa ipſa voluntatis determinatione non diſtinguitur; Deus enim præuidere non poteſt vnum eſſe futurum priuſquàm aliud, ſi reuerà non eſt aliud, & aliud; ſed potiùs vnum, & idem; & tamen iſte dicendi modus aſſerebat Deum ideo decernere ſe daturum talem Cõcurſum, quia præuidebat voluntatem creatam ad talem actum ſeſe eſſe determinaturam; quod quidem eſſet videre Concurſum ſuum, & determinationem ſeu Concurſum voluntatis creatæ tanquam aliud, & aliud; cùm tamen Aſſertores Scientiæ Mediæ ſupponant vnum ab alio realiter non diſtingui.

Præterea, quælibet volitio, aut nolitio libera creatæ voluntatis, quæ eſt fórmalis determinatio eiuſdem; identificatur realiter cum certò quodam ac determinato Concurſu qui non poteſt identifi-

cari

cati cum alia vlla volitione, aut nolitione creaturę, neque vtilis eſſe ad vllam aliam: ſed ante tertium inſtans de quo ſuperius, tametſi poſitis quibuſcumque aliis conditionibus ad operationem creaturæ requiſitis, tamen nullus adhuc Concurſus intelligitur eſſe determinatus in decreto Dei, vt impendatur creaturæ, quin potiùs omnes ſunt adhuc indifferentes, & indeterminati ad eſſendum, aut non eſſendum vſque ad tertium inſtans; ergo in ſecundo inſtante nulla determinatio creatæ voluntatis poteſt eſſe adhuc futura; ergo in eodem ſecundo inſtante nulla determinatio voluntatis creatæ poterat à Deo præuideri vt futura; Igitur in tertio inſtante non poteſt Deus ex præuiſione, & intuitu futuræ determinationis creatæ voluntatis, induci ad dandum hunc potiùs quàm illum Concurſum; ſiquidem prius eſt determinationem voluntatis eſſe futuram, quàm præuideri à Deo vt talem, non eſt autem adhuc futura determinatio creatæ voluntatis pro illo ſecundo inſtante, quia voluntas in illo ſigno eſt adhuc indeterminata, aut etiam impotens ad agendum, vtpote carens adhuc Concurſu neceſſario ad operandum.

Omitto argumenta, quæ in hanc rem peti poſſunt ex eo quòd non poſſit eſſe mutua prioritas inter decretum Dei, & operationem creaturæ, quæ tamen prioritas eſſet admittenda, ſi aduerſariorum ſententia eſſet vera; Nam ſi Deus decernit ſe hoc operaturum quia videt creaturam hoc ipſum operaturam; ergo priùs naturâ eſt operatio creaturæ: At verò, per te, decretum Dei eſt cauſa cur creatura operetur, quia ſine Concurſu eius nihil poteſt, Concurſus autem non datur niſi ex decreto; ergo ipſum decretum prius eſt operatione creaturæ, quâ tamen dicebatur eſſe poſterius, éſtque ſimul effectus illius rei cuius mox dicebatur eſſe principium. V.

Prætereo ſimiliter argumenta, quæ peti poſſunt ex eo quòd huiuſmodi decretum Dei ſi daretur in Deo, ſiue antè, ſiue poſt præuiſionem operationis humanę, libertatem deſtrueret; Itemque ea quę ſumi debent ex eo quòd idem decretum conſtitueret Deum vel auctorem, vel ſaltem complicem peccati noſtri, quoties ipſe decerneret operari nobiſcum actus prauos, quos certum fide eſt eum non poſſe operari *propriè ac per ſe*, non modo ante, ſed neque poſtquàm homo eoſdem operari præuiſus eſt: Taceo, inquam, omnia hæc argumenta quia de iis fuſiòr nobis infrà recurret ſermo, &

 quia

quia cætera quæ protulimus abundè in præſenti ſufficiunt.

VI. Manet ergo difficultas illa maxima, quam dicebamus; nempe quid ſit illud, ad quod attendens Deus cognoſcat, ac decernat abſolutè exhibendum ſibi nunc eſſe & non ante vel poſt Concurſum creatæ voluntati liberè operaturæ, eúmque determinatum in hac potius, quàm in illa ſpecie, neque enim fieri poteſt, vt res illa ſit determinatio creatæ voluntatis vt abſolutè futura ante decretum; quia non poteſt intelligi quòd decretum Diuinæ voluntatis neceſſarium vt creatura operetur ſit in Deo poſt præuiſam operationem creaturæ, vt iam abſolutè futuram.

## CAPVT III.

### *Refelluntur qui exiſtimant Deum, vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, per Scientiam Mediam explorare ipſum actum conditionate futurum, videlicet ſi non deſit Concurſus Dei.*

I. Fatentur nonnulli Deum nihil præuidere poſſe vt abſolutè futurum, niſi præuiſo abſoluto ſuo decreto concurrendi certo ac determinato Concurſu; Contendunt tamen præuideri poſſe per Scientiam Conditionatam, quem actum voluntas creata eſſet habitura, in his & illis circunſtantiis, ſi in illis conſtitueretur, & non deeſſet illi Concurſus Dei: Et hac Scientiâ Conditionatâ ſuppoſitâ, dicunt Deum in ordine abſoluto, id eſt, abſolutè decernere ſe concurſurum hoc aut illo Concurſu peculiari, & indiuiduo, qui aptus ſit ad producendum actum præuiſum conditionatè futurum; Et ſic, inquiunt, Deus determinatur in ordine abſoluto à cauſa ſecunda, ex hoc præcisè, quòd in ordine conditionato videat per Scientiam Conditionatam, quòd cauſa ſecunda habitura ſit talē effectum, ſi non deſit illi Concurſus Dei; Et hoc eſt quod docet Suarez in metaph. tom. 1. diſp. 22. reſponſione ad argumenta num. 38. Cùm Deus præſcit quid voluntas creata factura ſit ſi cum

talibus

talibus circumſtantiis applicetur, inter alias conditiones ponenda eſt hæc, Si Deus offerat ſufficientem Concurſum, quia ſine eo creata voluntas nihil operari poteſt.

Neque dicendum eſt, ait, propoſitiones illas eſſe falſas, ac proptereà minimè à Deo affirmabiles, aut cognoſcibiles tanquam veras, quibus aliquis effectus affirmatur eſſe futurus antecedenter ad decretum Dei ſtatuentis concurrere ad productionem illius; quia enunciationes illæ veritatem habent dependenter à decreto Diuinæ voluntatis vt intellecto ſub conditione; vnde hic erit ſenſus propoſitionis conditionatæ, *Si Petrus in tali rerum ordine ponatur, & talem cogitationem habeat, & ego velim concurrere cum illo ad amandum, ipſe amabit*; hoc autem antecedit decretum concurrendi, eſtque obiectum cognoſcibile. Ergo actus liber præuideri poterit ante decretum: hæc Suarez, & plures eiuſdem opinionis.

Reſpondeo tamen, & Dico quòd ſi propoſitio conditionata hũc ſenſum habeat, *Si Petrus in tali rerum ordine conſtituatur, & ego velim proximè, & immediatè concurrere cum illo ad actum amoris, ipſe amabit*: talis propoſitio eſt omnino neceſſaria, quia perinde eſt ac ſi quis diceret, ſi Petrus in tali ordine conſtituatur, & ego velim concurrere cum illo Concurſu prædeterminante ad amandum, aut Concurſu identificato cum actu amoris, ipſe amabit; ad cuius propoſitionis cognitionem ſufficit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quam etiam quilibet Angelus, aut homo poteſt cognoſcere, non ſolùm in actu amoris propoſitam, ſed & in omni prorſus actu qui ſit à Deo ſimul & ab homine elicibilis; nam nullus eſt actus, quem voluntas humana non ſit elicitura poſito Concurſu immediato ad illum, ſiue Concurſus iſte ſit prædeterminans, ſiue non ſit, ſed ſolùm identificatus cum actu, qui ſunt duo modi ſoli probabiles concurrendi immediatè quemadmodum diximus ſuprà; Impoſſibile eſt enim poni Concurſum immediatum Dei, ſiue prædeterminantem, ſiue non prædeterminantem, ſed duntaxat identificatum, quin eo ipſo ponatur actio creaturæ quæ ex Concurſu prædeterminante neceſſariò ſequitur, aut à qua Concurſus Dei realiter non eſt diſtinctus, ſed omnino identificatus.

Itaque omnes iſtæ propoſitiones ſunt æternæ veritatis, & omnino

nino neceſſariæ; *Si Petrus in tali rerum ordine conſtitutus huiuſmodi cogitationem habuerit*, *& Deus voluerit cooperari cum illo ad actum amoris, ipſe amabit*; *ſi ad actum odij, oderit*; *ſi ad actum ambulationis, ambulabit, &c.* quia omnino neceſſarium eſt, vt vbi fuerit Concurſus diuinus identificatus ad amandum, ibi ſit actus amoris; vbi Concurſus ad odium, ibi ſit actus odij; vbi Concurſus ad ambulationem, ibi ſit ambulatio; ſicut vbicunque fuerit homo, ibi neceſſarium eſt vt ſit animal: Concurſus enim diuinus ad actum amoris, non magis diſtinguitur ab actu amoris, quàm gradus Metaphyſicus hominis à gradu Metaphyſico animalis, à quo non niſi ratione, vt ſuppono, diſtinguitur: Igitur ad cognitionem huiuſmodi propoſitionum non requiritur Scientia Media, neque eminentiſſima ingenij altitudo, ſed ſufficit illa perſuaſio cui ad hæc vſque tempora inhæſerunt Aſſertores Scientiæ Mediæ, nimirum quòd diuina cooperatio quam putant indiſpenſabiliter eſſe neceſſariam, à noſtra cooperatione realiter non diſtinguatur, ſed omnino identificetur cum illa.

II. Inſtabis: ſenſus propoſitionis conditionatæ quæ eſt obiectum Scientiæ Mediæ, non eſt iſte immediatè antè relatus, ſed longè diuerſus; nimirum, *Si Petrus in tali rerum ordine conſtitutus huiuſmodi cogitationem habuerit, & Deus ex ſua parte noluerit ab illo ſubtrahere Concurſum ſuum generalem, ſed paratus fuerit ad concurrendum cum illo, iuxta exigentiam cauſarum liberarum, ſcilicet offerendo illi multos Concurſus, & nullum in particulari determinando, niſi conſultâ voluntate Petri, & eadem exploratâ & expectatâ, Petrus amabit, oderit, aut alium ſimilem actum habebit*, provt reuerà habiturus eſſet, & provt ipſe Deus ob altitudinem intellectus ſui optimè cognoſcit; Atqui ad huiuſmodi obiectum cognoſcendum non ſufficit Scientia naturalis ac neceſſaria; ſed alia quædam requiritur cui nomen impoſitum eſt perquàm accommodatum *Scientiæ Mediæ* & *Conditionatæ*.

Reſpondeo; illa propoſitio non poteſt eſſe obiectum vllius Scientiæ diuinæ quâ ad operandum dirigatur, ſi verum eſt ad quamlibet operationem creatæ voluntatis requiri Concurſum Dei identificatum, & ſimultaneum; Ratio eſt, quia Scientia diuina quâ Deus dirigitur ad operandum debet eſſe de obiecto vero, poſſibili, & infallibili; atqui falſum & impoſſibile eſt quòd Deus

explo

explorare, conſulere, expectare poſſit creatam voluntatem, vt prę-uidens quid illa ſit operatura ſub quacunque conditione, & occaſione antecedente Concurſum Dei, ex illa præuiſione moueatur ad decernendum, determinandúmque Concurſum ſuum; ſcilicet vt illum præbeat in hac potiùs quàm in illa ſpecie, verbi gratiâ, ad amorem potiùs quàm ad odium; ad ambulationem potiùs quàm ad ſeſſionem: Cùm enim ſententia contra quam diſputamus ſupponat creatam voluntatem eſſe omnino impotentem ad operandum abſque Concurſu Dei identificato, & ſimultaneo; ſequitur eam præuideri non poſſe vt aliquid facientem, per quod à Deo exigat hunc potiùs quàm illum Concurſum.

Confirmatur; quia tametſi fingamus Petrum in hac aut illa occaſione conſtitutum, & hac aut illâ cogitatione, & propoſitione obiecti inſtructum, & Deum paratum ad cooperandum, offerentémque illi multos Concurſus, quandiu tamen Deus nullum in particulari determinauerit, non poteſt eſſe verum quòd Petrus in eo ſtatu conſtitutus ſit amaturus, aut odio habiturus, quia non poteſt eſſe in particulari amaturus, verbi gratiâ, quin eo ipſo ſit iam habiturus Concurſum Dei particularem ad amandum; ſed nondum eſt verum, quòd ipſe ſit habiturus Concurſum ad amandum, quia, per te, Deus nondum ſtatuit de vllo particulari Concurſu, ſed adhuc quaſi ſuſpenſus manet, expectans (vt tu inquis) exigentiam voluntatis creatæ: ergo nullus particularis Concurſus pro illo ſtatu intelligitur adhuc eſſe futurus, ſed omnes intelliguntur vt poſſibiles; adhuc tamen indeterminati, & indifferentes ad eſſendum, aut non eſſendum, prout creata voluntas elegerit habere illos, aut non habere: Ergo vt Deus determinet, & ſtatuat hũc aut illum Concurſum exhibere, non poteſt dirigi per Scientiam quâ ſcrutetur, & exploret, quem actum voluntas ſit elicitura priùs ratione quàm Concurſus Dei indiſtinctus ab illo actu intelligatur eſſe futurus; quia obiectum iſtius Scientiæ nondum eſt verum, actus enim voluntatis nondum eſt eliciendus, ſeu, quod eodem recidit, nondum eſt futurus ab ea, donec Concurſus Dei ab illo actu indiſtinctus, ſit etiam à Deo conferendus, ſeu quod idem eſt, futurus; at pro illo ſigno rationis nondum eſt futurus, ſiue, quod idem eſt, determinatus ad futuritionem, aut ad ali-

quando eſſendum,ſed ſolùm poſtquàm Deus decreuit illum fore; quia per huiuſmodi decretum extrahetur à ſtatu poſſibilitatis & indifferentiæ, ad ſtatum determinatum futuritionis & exiſtentiæ in certa quadam differentia temporis accipiendæ, Deus autem, per te, non decernet vt Concurſus iſte ſit futurus donec videat voluntatem creatam eſſe amaturam: At nunquam poteſt eſſe verum quòd creata voluntas ſit amatura,quin iam eo ipſo verum ſit Concurſum ab illo amore indiſtinctum eſſe futurum, quia idem eſt Concurſum ad actum amoris, & actum ipſum amoris eſſe futurum: Ergo Deus non poteſt videre vnum eſſe futurum priùs quàm alium.

III. Dices; in illo priori quo nondum intelligitur poſitum decretum diuinum, intelligitur & præuidetur à Deo vt ponendum, & futurum pro ſequente ſigno; Atque ita Deus præuidere poterit in illo priori, quid tam diuinum, quàm creatum arbitrium ſit voliturum, ſi hæ & illæ circunſtantiæ, & occaſiones occurrant; Sed contrà; nam præterquàm quòd iſtam præcognitionem diuini decreti, ſub ratione futuri, pleríque Aſſertores Scientiæ Mediæ pernegant; vt appareat Sententiam quam in præſente opuſculo ſequimur non conſtringi anguſtiis vnius tantùm opinionis, ſed veritatem habere,vt nobis quidem videtur,etiam ſuppoſitis diuerſis, iiſdémque inter ſe pugnantibus Scholaſticorum ſententiis; Eſto Deus præuidere poſſit decretum ſuum vt ponendum, & futurum pro ſequente ſigno: Tamen hoc non poteſt eſſe vtile ad ſaluandam libertatem, nam vel præuideretur decretum vt ponendum inconſultâ voluntate creatâ, & antecedenter ad determinationem illius; & ſic præuideretur vt omnino determinaturum, ac neceſſitaturum hominem; vel præuideretur vt ponendum conſultâ voluntate, & expectatâ, ſeu exploratâ per aliam Scientiam Mediam determinatione illius; At hoc eſt impoſſibile,alioqui vel eundum eſſet in infinitum multiplicando huiuſmodi Præſcientias Conditionatas, & earum obiecta,vel tandem deuenire poſſemus ad aliquid in voluntate creata exiſtens independenter à Concurſu Dei, ex cuius intuitu, & præuiſione Deus obiectiuè excitatus, formaturus eſſet hoc decretum quod dicitur præuideri vt ponendum, ac futurum; hoc autem repugnat omnino principiis,quibus iſte

iſte dicendi modus innititur, nimirum, quòd impoſſibile ſit creaturam aliquid operari, quin Deus identificato Concurſu illud ipſum opus coëfficiat.

Dices; negari non poteſt quin enunciationes, de quibus hîc diſputamus, poſſint eſſe veræ ſi includant decretum diuinæ voluntatis ſtatuentis exhibere Concurſum illum particularem qui identificatur cum actione libera voluntatis; in hunc modum. Si Petro in tali occaſione poſito decreuero exhibere Concurſum ad amandum, amabit; At inde ſequitur eaſdem etiam ante decretum eodem modo eſſe veras; quia ſecundùm Ariſtotelem 1. de interpretatione cap. vlt. *Quod ſemel eſt verum, ſemper anteà verum fuit*: Reſpondetur; illud philoſophi, *quod modò verum eſt, ſemper anteà verum fuit*, intelligi de ordine temporis, non de ſignis rationis, aut naturæ in indiuiſibili nunc æternitatis; nam hæc non ſunt ſigna in quibus, ſed à quibus, vt loquuntur, nihilque aliud important, quàm dependentiam vnius ab alio, aut præſuppoſitionem vnius ab alio; atque ita propoſitiones conditionatas non eſſe veras pro illo ſigno, quo nondum intelligitur incluſum decretum conditionale diuinæ voluntatis, non eſt aliud quàm non eſſe veras independenter ab illo decreto conferendi Concurſum quem iſti auctores exiſtimant eſſe neceſſarium, non eſt autem illas in aliquo inſtanti temporis non eſſe veras, & in alio incipere eſſe veras.

Reſpondeo ſecundò; enunciationes iſtas conditionales quæ ſunt obiectum Scientiæ Cōditionatæ eſſe veriſſimas etiamſi nullum includant conditionale decretum diuinæ voluntatis ſtatuentis exhibere Concurſum identificatum & ſimultaneum, ſeu, quod idem eſt, abſque vllo tali decreto, eò ſcilicet quòd nullum tale decretum requiratur ad operationem creatæ voluntatis, quippe quæ operari poteſt abſque identificato, & ſimultaneo Concurſu Dei, quemadmodum fusè demonſtramus in quarta & poſtrema parte huius opuſculi: Sed ſi vera eſſet ſententia Aduerſariorum, enunciationes illæ conditionales veritatem habere non poſſent, niſi incluſo decreto conditionato concurrendi, certo, & peculiari Concurſu, tunc autem cognoſcerentur à Deo per Scientiam naturalem, & neceſſariam; ſicut iſta conditionalis neceſſaria, *Si Sol eſſet in puncto orientis, ibi luceret*; Si verò decretum conditionale con-

currendi non determinaret certum illum Concurſum, eò quòd expectanda eſſet determinatio, ſeu exigentia creatæ voluntatis, huiuſmodi enunciationes eſſent falſæ, & ineptæ ad dirigendam diuinam voluntatem, ac prouidentiam.

IV. Quod quidem vt adhuc meliùs intelligatur, & abundantiùs confirmetur: fingamus nos hic diſputare aduersùs aliquem opinantem Prædeterminationem phyſicam eſſe vnam ex conditionibus neceſſariis ad hoc vt voluntas creata operetur; quemadmodum Aſſertores Scientiæ Mediæ exiſtimant Concurſum identificatum & ſimultaneum ad illud idem indiſpenſabiliter eſſe neceſſarium; atque vt perſpicuè iudicare poſſimus, an iſta propoſitio conditionata, quam dicunt eſſe obiectum Scientiæ Mediæ, talis ſit quæ ſufficere poſſit ad hoc, vt diuina voluntas illius cognitione dirigatur ad prouidendum nobis hunc potiùs quàm illum Concurſum: proponatur, exempli gratiâ, diuino intellectui huiuſmodi propoſitio conditionata; *Si Petrus in tali occaſione poſitus prædeterminetur à me ad amandum, amabit; ſi ad odiendum, oderit, &c.* Sanè iſta propoſitio cognoſcitur à Deo tanquam vera, & ab eo affirmatur, ſed per Scientiam naturalem, ac neceſſariam, nullatenus autem per Scientiam Mediam, quia eſt propoſitio, & veritas neceſſaria, non contingens, ſuppoſito quòd Prædeterminatio phyſica ad amandum, aut odiendum, neceſſariò inferat actum amoris, vel odij: Adde quòd illa cognitio inepta eſt, atque inſufficiens, vt inclinare aut mouere poſſit diuinam voluntatem ad conferendam prædeterminationem amoris potiùs quàm illam odij: ſimiliter enim idem cognoſcit de omni prorſus actu ab homine producibili, nam nullus eſt actus quem voluntas humana non ſit certiſſimè & neceſſariò elicitura in quacunque occaſione ponatur, ſi Deus homini Prædeterminationem contulerit neceſſariò inferentem illum actum; Eſtque omnino impoſſibile poni Prædeterminationem phyſicam ad aliquem actum, quin ponatur actus ipſe à tali Prædeterminatione oriundus.

Si verò conditionalis propoſitio obiiciatur diuino intellectui in hunc modum, *ſi voluntas Petri in tali occaſione ponatur, & habeat cætera omnia requiſita ad operandum & ego nolim illi ſubtrahere auxilium phyſicæ prædeterminationis, de qua tamen nondum conſtitui cuiuſnam ſpeciei futura*

Digitized by Google

*tura ſit,donec aliquid intuear in ipſius voluntate, cuius occaſione permotus, decernam Prædeterminationem meam conferre ad hunc, aut illum actum, amabit*; Dico,tunc non eſſe certum quòd voluntas Petri pro illo ſigno ſit elicitura actum amoris,potius quàm illum odij;quia adhuc incertum eſt quænam prædeterminatio ſit illi à Deo conferenda, creata autem voluntas non poterit facere niſi actum illum certum ac determinatum quem prædeterminatio infert tanquam neceſſariò ab illa ſecuturum:Quinimò,ſi verum eſſet creatam voluntatem operari non poſſe abſque phyſica prædeterminatione; propoſitio illa conditionalis illo modo,& ſenſu expreſſa,ac concepta, contineret conditionem impoſſibilem, & quæ nunquam adimpleri, & purificari poſſet,ſcilicet, quòd Deus expectare deberet donec aliquid in voluntate videret,ex cuius intuitu & conſideratione permotus,decerneret hanc potius quàm illam prædeterminationem exhibere;Cùm tamen ſupponatur creatam voluntatem, ne minimam quidem actionem poſſe elicere vel inchoare, quin iam præhabeat phyſicam prædeterminationem(tanquam aliquid pertinens ad complementum actus primi):Atq; hinc ſequitur propoſitionem illam conditionalem eſſe falſam, quia ſignificat certum eſſe quòd voluntas Petri, ſi ponatur in tali occaſione, amatura ſit, tametſi nondum ſit certum quòd ipſa ſit habitura Prædeterminationem phyſicam omnino ad amandum neceſſariam;Et conſequenter,non poteſt eſſe obiectum conſentaneum diuinæ Scientiæ,à qua abeſſe debet omne periculum ambiguitatis, fruſtrationis, incertitudinis, aut deceptionis.

Pari modo igitur,redeundo ad Aſſertores Scientiæ Mediæ exiſtimantes Concurſum identificatum eſſe prorſus indiſpenſabiliter neceſſarium;Dico, tametſi propoſitio conditionalis includat omnes alias conditiones & auxilia neceſſaria ad operandum;ſi tamen nondum includat decretum conditionale exhibendi certum aliquem, determinatúmque Concurſum, adhuc eſſe dubium & incertum,quiſnam actus à tali voluntate ſit futurus,& conſequenter, propoſitionem qua certò ſignificatur,Petrum in tali occaſione poſitum fore amaturum, eſſe falſam, & conſequenter ineptam vt ſit obiectum diuinæ Scientiæ illius voluntatem dirigentis; Si verò propoſitio inter alias conditiones includat etiam conditionale

decretum concurrendi Concurſu requiſito ad amandum, in hunc modum; *Si Petrus in tali occaſione poſitus fuerit, & ego decretum habuero concurrendi cum illo ad amandum, amabit*; Propoſitio eſt quidem certa, ſed eſt inſuper neceſſaria, & ſempiternæ veritatis & quaſi identica ac minimè contingens; quia multò maior eſt connexio inter Concurſum ad amorem,& ipſum amoris actum, quàm inter Prædeterminationem phyſicam ad amandum, & eundem amoris actum;Cùm hic ſolùm adſit connexio cauſæ & effectus neceſſariò à cauſa ſecuturi,illic autem realis identitas,& indiſtinctio.

Iam verò, vt appareat verum non eſſe quod iſte dicendi modus adferebat, ſcilicet Deum determinari in ordine abſoluto à cauſa ſecunda,ex hoc præcisè quòd in ordine conditionato, id eſt, per Scientiam Conditionatam videat creatam voluntatem habituram eſſe talem effectum, dummodò Deus conſtituat ſuam illi præbere cooperationem;neceſſe eſt examinare breuiter, cuiuſmodi decretum Deus habere poſſit,ac debeat,poſteaquàm per Scientiam Mediam cognouit creatam voluntatem, ſi in tali occaſione poneretur,actum illum fore eliciturum;Sic enim meliùs conſtabit, Scientiam illam ita explicatam, ineptam eſſe vt dirigere poſſit Deum ad prouidendum nobis prudenter Concurſum vnum,potius quàm oppoſitum.

Itaque, vt actus ille de facto producatur à voluntate creata, & vt ab æterno præuideatur tanquam abſolutè futurus; neceſſe eſt Deum habere huiuſmodi decretum, *volo adimpleri conditionem, & voluntatem creatam conſtitui in illis occaſionibus,& omnibus auxiliis inſtrui quæ ſunt neceſſaria ad operandum,& inſuper volo cum illa concurrere ad illum actum*, nam ſi voluntas, vel non conſtitueretur in illis occaſionibus, vel Deus ſtatueret ſe non concurſurum ad illum actū, ille maneret in ſtatu non futuritionis, aut in ſtatu meræ poſſibilitatis, à quo nunquam extraheretur ad ſtatum futuritionis abſolutæ.

Voluntas igitur illa dandi Concurſum, (quæ includebatur in conditionali propoſitione quæ eſt obiectum Scientiæ Mediæ, & quæ nunc tranſit in voluntatem abſolutam,& quæ ſic exprimitur *volo concurrere*) vel eſt decretum abſolutum, & efficax præbendi realiter de facto,& in actu ſecundo Concurſum ad amorem,& ad odium

Digitized by Google

odium, & ad ambulationem, & ad omnes actus elicibiles à voluntate creata; & hoc dici non poteſt, quia ſic omnes iſti actus producerentur, cuius tamen contrarium accidit: vel eſt voluntas generalis conditionata, indifferens, & vt alij vocant, diſiunctiua dandi hunc, aut illum Concurſum quem voluntas creata poſtulauerit, & prout ipſa voluerit; quam Dei volunratem appellant *Concurſum in actu primo*, id eſt, præparationem & oblationem plurium Concurſuum, ſcilicet ad ſingulos actus quos creata voluntas poteſt elicere, vel etiam ad nullum ſi ea cohibere voluerit Cõcurſum ſuum: Et hoc quidem volunt aliqui ex Aſſertoribus Scientiæ Mediæ.

Sed tunc arguitur contra illos, quia tale decretum Dei non eſt ſufficiens ad prouidentiam illius explicandam, quandoquidem ex illa voluntate indifferente, præcisè vt talis eſt, nullus actus realiter, & de facto poteſt exerceri, donec impleatur conditio quàm iſta voluntas conditionata includit; ſcilicet, donec voluntas creata appareat in conſpectu Dei, poſtulans, & exigens Concurſum vnum, potius quàm oppoſitum: at hæc eſt conditio impoſſibilis, & quæ impleri ac purificari non poteſt, ſiquidem voluntas creata, per te, non poteſt ſola inchoare actionem ſuam, neque præuenire diuinam voluntatem, aut aliquid efficere quo illam trahat, aut obiectiuè excitet ad exhibendum ſibi certum aliquem & determinatum Concurſum; ergo fieri non poteſt, vt Deus in decernendo Concurſu ſuo expectet illam conditionem, ſeu, quod idem eſt, fieri non poteſt, vt voluntas dandi Concurſum, quo prouidentia Dei completur, ſit voluntas illa generalis, & indifferens, includens illam conditionem.

Supereſt igitur, vt, ſi Deus habere debet voluntatem concurrendi Concurſu aliquo identificato, & ſimultaneo, ea debeat eſſe abſoluta, efficax, & determinata volitio, ratione diſtincta ab illa priore, & quæ ſit voluntas concurrendi aliquo certo, peculiari, & determinato Concurſu, ex qua voluntate Concurſus ille, qui eſt obiectum talis voluntatis, immediatè conferatur; atque adeò actus amoris, qui ab illo Concurſu eſt indiſtinctus, immediatè producatur.

Sed tunc arguitur iterum contra Aduerſarios; vel enim Deus mouetur

Digitized by Google

mouetur ad iſtam voluntatem efficacem dandi ſuum Concurſum ad amorem ex ſuo tantum beneplacito, & mera voluntate; vel ex aliqua occaſione,& motiuo deſumpto ex parte creatæ voluntatis: non primum:Tum quia impoſſibile eſſet ſaluare incolumem creati arbitrij libertatem cum huiuſmodi decreto abſoluto concurrendi ad vnum tantùm actum, non minus quàm cum Prædeterminatione phyſica; poſito enim decreto abſoluto concurrendi ad vnum aliquem actum,non datur,neque offertur Concurſus niſi ad illum; ergo voluntas creata exercere non poteſt cæteros actus pro quibus non datur,neque offertur illi Concurſus,quem tu tamen affirmas eſſe neceſſarium;neque dici poteſt libera, ſiue quoad ſpecificationem, ſiue quoad exercitium, aut indiuiduationem ipſa voluntas; cùm præſente, & ſtante actuali Concurſu Dei, non poſſit ceſſare ab actione, aut carere illâ, quippe quæ realiter non diſtinguitur à Concurſu; ergo neceſſe eſt voluntatem creatam operari actum illum, neceſſitate quæ non oritur ab aliqua determinatione libera voluntatis creatæ,& quam ipſa ſibi non impoſuit, huiuſmodi enim neceſſitas eſſet Conſequens, neque præiudicaret libertati, cuius exercitium ſupponeret aut includeret, ſed quæ aduenit illi ab extrinſeca Dei voluntate,& quæ antecedit vſum liberum creatæ voluntatis; Tum quia,ſpecialis difficultas eſt in Concurſu qui daretur ad actus prauos; tolerari enim non poteſt quod aliqui dicunt, Deum ex ſe,& abſolutâ voluntate ſuâ ſtatuere, vt hi actus omnino fiant à cauſa ſecunda;alioqui non ſolùm illos permitteret,ſed etiam vellet ac propriiſſime & per ſe operaretur:cuius contrarium oſtendimus euidenter in quarta & poſtrema parte huius opuſculi.

Sed neque etiam dici poteſt ſecundum,ſcilicet,quòd decretum illud abſolutũ,& efficax cõcurrendi hoc aut illo peculiari Concurſu,procedat ex aliquo motiuo deſumpto ex parte creatæ voluntatis,ſuppoſitâ eorumdem Aduerſariorũ opinione;ſcilicet quòd ea nè minimam quidem actionem, tametſi naturalem,imo & intrinſecè turpem,ſe ſolâ inchoare poſſit,neque præuenire diuinam voluntatem,aut aliquid efficere quo illam trahat aut excitet ad exhibendum ſibi Concurſum.

Cùm igitur nulla huiuſmodi voluntas concurrendi identificato Concurſu admitti poſſit in Deo; Conſequens eſt vt dicamus

Deum

Deum nõ determinari in ordine abſoluto à cauſa ſecunda ex hoc præciſè; quòd per Scientiam Mediam in ordine conditionato viderit cauſam ſecundam talem actum eſſe habituram, ſi Deus velit concurrere cum illa, influxu immediato, identificato, & ſimultaneo.

Prætereà, poſſumus illud ipſum denuò confirmare; quia non eſt aliud, ſed planè idem numero decretū Dei concurrendi, quod priùs intelligitur ſuſpenſum per conditionem, dum dicitur. *Si Petrus in tali occaſione conſtitueretur, & ego haberem decretum concurrendi cum illo*, & illud quod poſteà format Deus abſolutè; & abſque vlla conditione, eâ iam poſitâ, & purificatâ, id eſt, facto decreto conſtituendi Petrum, aut permittendi vt conſtituatur in illa eadem occaſione, dum dicit, *decerno me concurſurum*; Sicut enim idem numero Petrus, eadem ancilla, eadem interrogatio vnius, & negatio alterius exprimuntur in propoſitione conditionali, & in abſoluta, quatum illa conditionaliter ſic exprimitur. *Si Petrus interrogetur ab Ancilla, negabit*; hæc verò abſolutè, ſic: *Petrus ab Ancilla interrogabitur, & negabit*, vel, *interrogatus, negat*, vel, *interrogatus, negauit.* Ita idem omnino decretum Dei concurrendi exprimitur primùm in propoſitione conditionali, dum dicitur. *Si ego habuero decretum concurrendi cum Petro*: & poſteà abſoluitur ab omni conditione, & ponitur in ordine abſoluto, in hunc modum; *Decerno me concurſurum cum Petro in tali occaſione conſtituto.* VI.

Hinc ſequitur, quòd ſi impoſſibile ſit, vt Deus abſolutè decernat ſe concurſurum Concurſu identificato & ſimultaneo, (ſaluâ libertate noſtrâ, & innocentiâ, ac ſanctitate ſuâ) illud idem decretum concurrendi videbitur à Deo, & apparebit cum ſua impoſſibilitate in propoſitione conditionali, qua dicitur, *Si Petrus in tali occaſione conſtitueretur, & ego haberem decretum concurrendi cum illo*: & conſequenter illa conditionalis erit ex hypotheſi impoſſibili; & æquiualebit huic. *Si Petrus in tali occaſione conſtitueretur, & ego, per impoſſibile, decernerem me concurſurum cum illo, ſaluâ illius libertate, negaret*: Igitur illa propoſitio non erit certa, nec proinde cognoſcibilis à Deo tanquam vera & certa; quandoquidem veritas illius adhuc ſuſpenſa eſt per conditionem impoſſibilem, & à qua nunquam abſolui poterit, ſcilicet quià illa negatio Petri, vt abſolutè

R ponatur,

ponatur, pendet ab vna conditione poſſibili, ſcilicet ab interrogatione ancillæ, & ab alia impoſſibili, ſcilicet à decreto Dei concurrendi cum illo identificato Concurſu, incolumi libertate Petri, & Diuinâ Sanctitate: Ergo perinde eſt, ac ſi propoſitio conditionalis exprimeretur in hunc modum: *Si Petrus in tali occaſione interrogaretur ab Ancilla, certiſſimè negaret, tametſi non decernerem, nec decernere poſſem me concurſurum cum illo*; Quæ propoſitio in hunc modum concepta, eſt falſa, ſtante ſententia Aduerſariorum, & omnino inepta ad decreta diuinæ prouidentiæ dirigenda; Itáque cùm ex alia parte exploratum ſit, negationem Petri fuiſſe certiſſimè à Chriſto Domino præuiſam in ſtatu conditionato, nimirum, ſi is ab ancilla interrogaretur, certum eſſe debet propoſitionem conditionalem, quæ fuit obiectum illius Scientiæ Conditionatæ, nullam incluſiſſe conditionem, quæ eſſet impoſſibilis, ſeu, quæ non poſſet abſolutè poni; Ergo non potuit continere huiuſmodi conditionem decreti concurrendi Concurſu identificato & ſimultaneo, in hunc modum: *Si Petrus in tali occaſione ab Ancilla interrogaretur, & ego decernerem me concurſurum cum illo, negaret*: Quod tamen dicebat iſte modus reſpondendi contra quem diſputamus, & cui maximè confidunt Aſſertores Scientiæ Mediæ: Iam verò probandum ſupereſt iſtam conditionem decreti concurrendi eſſe impoſſibilem in ſtatu abſoluto, & Deum non poſſe habere hunc actum: *Decerno abſolutè me concurſurum cum Petro ad liberè negandum, Concurſu identificato & ſimultaneo.*

Si Deus decerneret abſolutè ſe concurſurum identificato influxu in negationem Petri; vel id faceret expectatâ determinatione & conſultâ voluntate Petri, id eſt, non priùs determinando cuiuſmodi Concurſum daturus eſſet, quàm per Scientiam Conditionatam præuidiſſet aliquid in eiuſdem voluntate, vnde rationabiliter excitaretur ad decernendum, exhibendúmque Concurſum vnum potiùs quàm oppoſitum, vel id faceret eâdem Petri voluntate non expectatâ nec conſultâ, ſed omnino antecedenter ad illam, quia non poteſt dari alius modus concurrendi identificato Concurſu; ſiquidem concurrere conſultâ, & concurrere non conſultâ voluntate contradictoriè opponuntur, & ſunt duo modi concurrendi ita ſe habentes adinuicem, vt ſi Deus concurrit identificato Concurſu

curſu, neceſſe ſit id fieri alterutro ex duobus illis modis: At neutrum dici poteſt; ergo.

Probo Minorem; quia ſi decerneret concurrere expectatâ, & conſultâ voluntate Petri, oporteret explicare quidnam Deus in voluntate Petri obſeruare & intueri potuerit, vnde veluti obiectiuè excitaretur ad decernendum, exhibendúmque illi Concurſum potiùs ad negandum quàm ad confitendum; quod tamen hucuſque explicari & reperiri non potuit ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, tametſi plurimis, eruditiſſimíſque in hoc ſtudium labore multo incumbentibus, vt conſtat ex iis quæ aduersùs omnes illorum dicendi modos partim iam attulimus, partímque infrà adferemus: Si verò decerneret concurrere non expectatâ, nec conſultâ voluntate Petri, negatio Petri non eſſet illi libera, nec conſequenter imputaretur illi ad culpam, ſed ſoli Deo, quemadmodum pluribus argumentis oſtendemus in peculiaribus articulis de hac re, & fatentur omnes Aſſertores Scientiæ Mediæ. Igitur impoſſibile eſt decretum abſolutum, quo Deus ſtatueret ſe concurſurum identificato Concurſu ad negationem Petri liberam: Igitur propoſitio conditionalis quæ includebat huiuſmodi decretum, & quæ dicitur obiectum Scientiæ Mediæ, eſt propoſitio ex conditione impoſſibili, ac proinde minimè cognoſcibilis à Deo tanquam vera, atque adeò prorſus inepta, & inſufficiens, vt ex illius & ſimilium cognitione, ſapiens Dei prouidentia dirigatur.

Quòd ſi nos fatemur Deum præſciuiſſe, quòd ſi Petrus ab Ancilla interrogaretur, negaret, mirum non eſt, ſiquidem illa propoſitio, iuxta noſtram ſententiam, nullam continet conditionem impoſſibilem, quia & Ancilla poterat Petrum interrogare, & ipſe non modò poterat negare Chriſtum abſque vllo decreto Dei de conferendo ipſi Concurſu proximo, & identificato, ſed etiam à parte rei, & de facto negaturus erat.

## CAPVT IV.

*Refelluntur qui dicunt Deum, vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, priùs intuitiuè cognoſcere futuram actionem creaturæ in ſeipſa, ac deinde cognoſcere eandem in cauſa, veluti abſtractiuè.*

I. RESpondent aliqui, obiectum Scientiæ Mediæ ad quod attendens Deus cognoſcat, & decernat abſolutè exhibendum eſſe Concurſum hunc, aut illum, non eſſe arbitrium creatum ſuâ libertate hanc, aut illam actionem facturum, atque ad eam ſe determinaturum antecedenter ad decretum Dei, ſed potiùs ipſum actum vitalem liberum conditionatè futurum, qui quidem poteſt obiici, & apparere in conſpectu Dei, præſcindendo à cauſis illius efficientibus, id eſt, abſque eo quòd pro illo ſigno Deus intueatur, ſintne, an non ſint futuræ cauſæ illius efficientes, quia tamen Deus ſcit effectum illum non poſſe actu produci, quin ipſe ad eum concurrat ſimul cum cauſâ ſecunda, propterea quaſi regreditur ad cauſam, & ſtatim decernit hunc, aut illum Concurſum, quem iudicat eſſe opportunum vt actus ille in rerum naturâ producatur. Hæc reſponſio ſumi poteſt ex eo quod habet Ruiz libro de Scientia Dei diſput. 75. ſect. 7. num. 2. duplicem eſſe in Deo rerum cognitionem: aliam per ſe primò conuenientem & cæterarum originem; aliam quaſi ex conſequenti, & ſecundariò conuenientem: Cognitio per ſe primò conueniens, eſt ea per quam diuinus intellectus immediatè penetrat omnem veritatem, ex eo præciſè, & formaliter quòd veritas eſt; hanc cognitionem conſequitur alia ſecundaria, per quam Deus in cauſa, vel in effectu, vel in ſigno cognoſcit etiam eaſdem res quas in ſeipſis cognouerat, vnde infert num. 5. quòd quando Deus videt ſuum liberum decretum creandi voluntatem, ſub hoc rerum ordine, cum his occaſionibus, & circunſtantiis, quibus poſitis præſciebat talem volitionem liberè fuiſſe eliciendam, tunc certò, euidentérque cognoſcit

cognoſcit talem actionem eſſe abſolutè futuram, & illa cognitio eſt abſtractiua; nihilominus ante illam, ſiue independenter ab illa cognitione, datur alia cognitio intuitiua; quâ Deus videt quaſi intuitiuè præſentem eandem volitionem ſeu actionem; ad eundem ergo modum philoſophantur aliqui de actu qui fit à voluntate creata; Omnis actus, inquiunt, qui fit à voluntate creata, præuiſus fuit à Deo intuitiuè tanquam futurus, quia reuerà ab æterno futurus erat; Igitur hac cognitione Deus moueri potuit ad concurrendum cum voluntate creata quæ erat elicitura actum illum; cùm alioqui ſciat neceſſariò actum illum non poſſe fieri niſi ex Concurſu vtriuſque cauſæ, primæ videlicet & ſecundæ, & hunc ferè modum reſpondendi nos audiuimus à recentioribus nonnullis Aſſertoribus Scientiæ Mediæ alioqui eruditiſſimis.

Veruntamen; hic dicẽdi modus non modò nobis, ſed & omnibus II.
aliis Aſſertoribus Scientiæ Mediæ diſplicere debet. Diſplicet enim primò; quia ſine vlla ratione cõmodi deſerit modum loquendi eorum qui primi omnium dicuntur Scientiam Mediam excogitaſſe; & ferè omnium aliorum eiuſdem inſtituti; qui omnes vno ore profitentur; Deum ex eminenti ſupercomprehenſione quam habet vniuſcuiuſque arbitrij creati, cognouiſſe per Scientiam Mediam ante omne decretum voluntatis ſuæ, tam de euentu conditionis, quàm de præſtatione, aut negatione Concurſus ſui, quid vnumquodque creatum arbitrium voliturum eſſet in quacumque occaſione poſitum; ſciuiſſetque oppoſitum, ſi liberum arbitrium voliturum fuiſſet oppoſitum, vt reuerà pro ſua innata libertate poterat velle. Ex quo patet illos ad hæc vſque tempora exiſtimaſſe, obiectum Scientiæ Mediæ eſſe *ipſam voluntatem, hoc aut illud facturam, ſi talis, aut talis conditio poneretur, Et diuinus Concurſus decerneretur, aut conferretur*; Quanquam, vt verum fatear, perinde eſt ſiue dicas obiectum Scientię Mediæ prouidentiâ dirigentis, eſſe *arbitrium hoc aut illud ſub conditione facturum*, ſiue dicas eſſe *ipſum actum liberum ab arbitrio creato producendũ, ſi hæ, aut illæ conditiones euenīant, & permittantur*; Siue enim hoc, ſiue illud dicas; Deus eodem modo impelletur ad permittendas conditiones, decernendúmque Concurſum, aut retrahetur ab iiſdem permittendis, & Concurſu decernendo. Ac proptereà dixi hunc modum reſpondendi, abſque commodo, &

 vtili

vtilitate improbare modum loquendi aliorum Aſſertorum Scientiæ Mediæ.

III. Diſplicet ſecundò, quia voluntariè inuertit ordinem hucuſque obſeruari ſolitum à Theologis inter obiecta diuinæ voluntatis, & Scientiæ; Nam Becanus capite 10. de Scientia Dei, quæſt. 7. concl. 1. & alij doctores Scientiæ Mediæ communiter docent; Certum eſſe Deum non potuiſſe ab æterno cognoſcere liberos effectus arbitrij creati, niſi cognoſcendo priùs ratione liberum arbitrium tanquam cauſam à qua liberè manaturi eſſent tales effectus, eò quòd ipſi includant naturalem, ac neceſſariam dependentiam à libero arbitrio, tanquam à cauſa proxima efficiente ſine qua produci non poſſunt: Atque idipſum ampliùs confirmatur ex illa regula quam idem Becanus tradit quæſt. 2. eiuſdem capitis numero 6. Quando duæ res, inquit, naturaliter inter ſe connexæ ſunt, ita vt vna ab altera naturaliter dependeat, tunc illa cenſetur priùs cognita à qua alia pendet, illa poſteriùs quæ pendet ab altera.

Rurſúmque idem Becanus num. 6. & 7. eiuſdem quæſt. tradit hanc regulam, ſcilicet, id cenſeri priùs cognitum per Scientiam liberam quod eſt prius volitum per decretum liberum; at quando duæ res habent inter ſe ordinem cauſalitatis in tempore, tunc illa cenſetur priùs volita ab æterno, quæ eſt cauſa alterius; illa poſteriùs quæ eſt effectus.

Hinc ergo ſumitur argumentum; effectus futurus liber non poteſt à Deo præuideri, quin priùs ratione præuideatur cauſa illius à qua dependet, per regulam aſſignatam: Et quia Becanus, & alij Aſſertores Scientiæ Mediæ docent hoc eſſe certum; ſed decretum diuinum concurrendi ad productionem cuiuſcunque effectus creati eſt cauſa illius neceſſariò requiſita, & à qua, per ſe, eſſentialiter pendet; Ergo nullus effectus præuideri poteſt vt futurus, etiam factâ aliâ quacumque ſuppoſitione non ſupplente defectum illius decreti niſi præuiſo decreto: atqui decretum per Scientiam Mediam in ſecundo inſtante, & ſigno rationis nondum videtur vt poſitum: neque etiam vt futurum, ergo neque vllus effectus voluntatis creatæ per eandem Scientiam in eo ſigno rationis præuideri potuit vt futurus, alioqui præuiſus fuiſſet independenter à decreto, ſeu, quod idē eſt, ante decretū, à quo tamē dependet, velut à cauſa.

Denique,

Denique, quandiu res quæ dicitur eſſe cauſa alicuius effectus ſiue neceſſarij, ſiue contingentis, deſtituitur aliquo neceſſario ad agendum, infallibile eſt quòd huiuſmodi effectus, durante tali impotentiâ cauſæ non ſit futurus; etiam poſitâ quacumque aliâ conditione, & ſuppoſitione non ſupplente illius defectum; ergo Deus præuidere non poteſt effectum vt futurum, ante decretum, ſaltem permiſſiuum, & voluntatem concurrendi tali, vel tali Concurſu determinato; ſiquidem ante illud decretum quælibet creatura eſt incompletè potens, ſeu, quod idem eſt, inſufficiens ad producendum effectum: ergo irrationabiliter inuertitur ordo qui eſſe debet inter actus diuini intellectus, ac voluntatis, & earum obiecta, dum dicitur, Deum intueri obiecta vt futura, ac poſtmodum veluti regredi ad cognoſcendum decretum, per quod eadem obiecta acceperunt vt eſſent futura.

Luculentiùs explicatur; Ante decretum Dei determinans quid futurum ſit, obiecta creata nō cadunt ſub Scientiâ Dei, vt futura, ſed ſolùm vt poſſibilia. & indifferentia ad eſſendum, aut non eſſendum (etiam poſitâ quacumque aliâ hypotheſi non includente Concurſum Dei particularem & determinatum) ſed in illo inſtante, aut ſigno rationis quo hic dicendi modus exiſtimat obiecta apparere in conſpectu Dei, vt futura in ſeipſis; nondum adeſt decretum Dei, nec voluntas dandi aliquem certum, & particularem Concurſum, potius quàm alium; ſed ſolùm illa voluntas generalis, & indifferens concurrendi prout creata voluntas elegerit; ergo impoſſibile eſt quod effectus appareat vt futurus, ante decretum Dei concurrendi certo, ac determinato Concurſu; quod quidem non ſtatuitur niſi in tertio illo ſigno, ſeu inſtante rationis.

Sanè, per ſeipſum apparet incredibile, quòd intellectui diuino omnia perfectè, prout ſunt, cognoſcenti, appareat aliquis effectus tanquam futurus in aliquo caſu, niſi cum dependentia à ſua cauſa efficiēte, cuius cauſalitas ad effectum illum omnino eſt neceſſaria, hoc eſt, niſi ponantur omnes illius cauſæ neceſſariæ; aut ſaltem intelligantur vt poſitæ, aut ponendæ: At decretum Dei ſtatuentis concurrere ad hanc, vel illam actionem determinatè; eſt prima, & vniuerſaliſſima cauſa omninò neceſſaria vt ponatur aliquis determinatus effectus; Igitur antequam tale decretum Dei intelligatur

poſitum

poſitum aut ponendum, nihil eſt futurum, etiam poſitâ quacumque aliâ hypotheſi, & conditione, & conſequenter nec ſcibile vt futurum; ſed ſolùm vt poſſibiliter futurum, nimirum ſi accedat volũtas Dei efficiens, aut permittens; ergo impoſſibile eſt Deum intueri actum à voluntate creata eliciendum, priùs ratione quàm aliquid decernat in particulari; ergo non poteſt Deus in ſequente ſigno moueri ad hunc potius Concurſum quàm illum conferendum ex præuiſione effectus iam futuri, quemadmodum philoſophatur hic dicendi modus quem impugnamus.

VI. Dices; quòd hic aut ille actus liber à creata voluntate ſit futurus, ſeu quod idem eſt, quòd arbitrium creatum ex ſua parte hoc vel illud ſit voliturum, vel non voliturum hac, vel illâ conditione poſitâ, verum eſt præciſâ omni voluntatis diuinæ determinatione; ergo & ſcibile à Deo ante voluntatis ſuæ determinationem: Probatur antecedens; Quia hæc eſt lex contradictoriarum, quòd altera ſit determinatè vera, altera determinatè falſa; & ſimiliter in omni propoſitione diſiunctiua vera, altera pars eſt determinatè vera; & altera determinatè falſa; At de futuritione actus liberi creatæ voluntatis formari poſſunt ſub conditione propoſitiones contradictoriæ, & propoſitiones diſiunctiuæ veræ, exẽpli causâ, *Si Paulus talem vel talem cogitationem, præſente tali, vel tali obiecto habuerit, hoc, aut illud volet*, &, *ſi talem cogitationem habuerit, vel volet, vel non volet*, ergo neceſſe eſt alteram propoſitionum illarum contradictoriarum, & huius diſiunctiuæ partem vnam, eſſe determinatè veram, & alteram falſam.

Reſpondeo; nego antecedens, & ad illius probationem Dico, quòd ſicut iſta *arbitrium creatum, quantum ex ſe, hoc volet ſub conditione, præciſâ voluntatis diuinæ determinatione*, eſt neceſſariò falſa; ita illius contradictoria eſt determinatè, & neceſſariò vera: ſcilicet, *arbitrium creatum ſub quacumque conditione quantum ex ſe, nihil volet, neque velle poterit in æternum præciſâ diuinæ voluntatis determinatione*, ſtantibus nimirum principiis de quibus ſæpe, & contra quæ diſputamus.

Inſtabis, hoc ipſo iam admittimus aliquam conditionatam eſſe veram præciſo voluntatis diuinæ decreto, nempe hanc, *quòd arbitrium creatum nihil volet, etiam poſitâ quacumque conditione*. Reſpondeo, hanc conditionalem eſſe neceſſariam, non contingentem. Quia ſicut neceſſarium eſt quòd arbitrium creatum non exiſtat

præciſo

præciſo voluntatis diuinæ decreto, id eſt, ſi non fuiſſet in Deo decretum quo ſtatutum fuit vt eſſet, ita neceſſarium eſt, quòd ipſum nihil operari poſſit præciſo decreto cooperandi cum illo; hîc autem non agimus nos de veritate conditionatarum in materia neceſſaria, ſed in materia contingente, & libera; ex quo patet, non eſſe nobis hîc ſermonem de illo genere enunciationum, in quibus præmittitur conditio ex qua aliquid infertur propter phyſicam, & abſolutè neceſſariam connexionem quam habent cum conditione; vt, ſi Sol luceret, dies eſſet; Certum enim eſt Scientiam illarum eſſe in Deo omnino neceſſariam, & naturalem; ac proinde priorem quocũque decreto, & actu libero diuino, qui poſterior eſt quàm Scientia ſimplicis intelligentiæ, ad quam illæ conditionatæ veritates ſpectant; ipſæ autem veritates neceſſariæ priores ſunt eâ Scientiâ per quam cognoſcuntur: neque ſimiliter hîc agimus de conditionatis quæ in diuina promiſſione fundamentum habent; nam hæ liberam Dei voluntatem omnino ſupponunt, quâ ſtatuit ſe aliquid facturum, & à cuius executione impediri non poteſt; At verò propoſitio enuntians aliquem effectum eſſe futurum independenter à cauſa quæ neceſſariò ad productionem illius debet concurrere, eſt omnino falſa; & conſequenter minimè cognoſcibilis à Deo tanquam vera.

Dices; experimur propoſitiones de futuro contingente conditionato, dum nobis in mentem veniunt, etiam antecedenter ad decretum diuinæ voluntatis, non ſtatim nobis apparere falſas ex terminis, quin potiùs tametſi ſæpenumerò non aſſentimur, at ſaltem ſuſpenſi hæremus, vtra pars ſit, aut non ſit vera. V.

Reſpondeo, inde ſolùm ſequitur quòd falſitas iſtarum conditionatarum contingentium, quæ abſtrahunt à decreto diuinæ voluntatis, non ſit ita per ſe nota quin de ea inter viros doctos controuerſia eſſe poſſit, quam nunc pertractamus; quanquam reuerà nobis, ob ea quæ in hoc opuſculo tradimus, earum propoſitionum falſitas, atque impoſſibilitas omnino eſt perſuaſa, (ſi vera eſt ſententia Aduerſariorum, Concurſum proximum Dei, atque adeò decretum illius nobis conferendi omnino eſſe neceſſarium vt operemur) ſiue propoſitio illa enunciet actum eſſe futurum à libera voluntate, quemadmodum iſte dicendi modus contendit,

ſiue enunciet, quòd perinde erat, creatam voluntatem actum liberum eliciturum, ſi hæ, aut illæ conditiones ponantur, aut permittantur.

Ex quo ſequitur, multò magis eſſe falſum, quod ſtatim actus liber appareat in conſpectu Dei, prout eſt in ſeipſo, immediatè, & intuitiuè illum aſpicientis præſcindendo à cauſis illius efficientibus, id eſt, abſque eo quòd, pro illo ſigno, Deus intueatur, aut iam antè intuitus fuerit ſintne, an non ſint futuræ cauſæ illius efficientes; ac deinde Deum veluti regredi ad intuendas cauſas illius eiuſdem effectus; atque ad formandum decretum concurrendi hoc, aut illo Concurſu identificato cum illo ipſo actu, quem paulò antè viderat iam immediatè, & intuitiuè in ſeipſo, & ſecundùm illam ipſam exiſtentiam quam iſte actus erat habiturus.

VI. Diſplicet tertiò; quia dum conatur adſtruere Scientiam Mediam, maximè illam deſtruit, & præcipua illius fundamenta conuellit, nam Aſſertores Scientiæ Conditionatæ neceſſitatem illius potiſſimùm comprobant, ex eo quòd per ipſam Diuina prouidentia dirigatur, ad hoc vt prudenter decernat quid ſit agendum, aut permittendum; & contra; At verò iſte dicendi modus id muneris tribuit cognitioni intuitiuæ, quæ eſt Scientia viſionis; dum docet Deum primò immediatè intueri actus noſtros futuros in ſeipſis, ac deinde cognoſcere, & deliberare de cauſis à quibus huiuſmodi effectus ſunt oriundi.

Sanè, ſi Deus primariâ cognitione videt intuitiuè ea omnia quę ſunt abſolutè futura in aliqua differentia temporis; neceſſariò dicendum eſt eum intueri quoque ſimul & ſemel ea omnia quæ nũquam ſunt futura, quia *hæc non eſſe futura*; quædam veritas eſt, non minùs à Deo cognoſcibilis quàm, *illa alia aliquando futura eſſe*; ergo non eſt ampliùs neceſſaria Scientia Conditionata per quam Deus dirigatur ad decernendum, & prouidendum nobis Concurſum vnum, & actum, potiùs quàm alium oppoſitum; quia iam omnia repræſentantur vt præuiſa, & determinata ad eſſendum aliquando, aut ad nunquam eſſendum; ergo nimis ſerò Aſſertores Scientiæ Mediæ illam adferunt, vt Deus prudenter iudicet, eligátque quidnam ipſe velit fieri, aut non fieri; ergo iſte modus dicendi præcipua fundamenta Scientiæ Mediæ funditùs eradicat.

Prætereà;

Præterea; ſi Deus primariâ illâ cognitione intuetur actum voluntatis creatæ futurum, immediatè, & in ſeipſo; iam ille actus voluntatis repræſentatur Deo vt profectus à ſola creatura, & conſequenter non vt ens participatum, & dependens à Deo; nec ſubiectum eius Prouidentiæ: & ſic falſum eſt, Deum operari omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; potiùs enim operaretur ſecundùm conſilium voluntatis humanæ, cuius effectus iam videt eſſe futuros, priuſquàm ipſe de illorum futuritione, aut productione deliberauerit, aut vllo modo ſe immiſcuerit.

Item; ſequitur eſſentiam diuinam præcisè ſumptam repræſentare Deo res omnes, etiam actiones liberas futuras, tam ipſius Dei quàm hominum; idque naturali, & neceſſariâ repręſentatione; priuſquàm accedat Dei decretum ſtatuentis vt illæ exiſtant aliquando: At ſi repræſentantur neceſſariò vt futuræ; ergo Deus non poteſt ampliùs impedire ne fiant; & contrà, erit illi impoſſibile decernere vt fiant ea quæ dicitur præuidiſſe non eſſe futura: non impoſſibilitate quæ oritur ex immutabilitate Diuina; quo pacto ea quæ Deus ab æternò decreuit vt ſint, ſtante illo decreto ampliùs impediri non poſſunt; ſed impoſſibilitate ortâ ex omnimoda eſſendi neceſſitate quam ipſę actiones habent independenter à diuina voluntate, & decreto.

Item; ſequeretur Deum non habere prouidentiam diſtinctam, & primariam ſingulorum actuum noſtrorum liberorum; ſed tantùm acceptare, & complacere ſibi in iis, quatenus videt eos vt iam futuros, quod eſt complacere ſibi de prouidentia in ipſis rebus inuenta; quæ omnia ſunt Deo indigna; & impoſſibilia.

Quòd ſi quis obiiciat; Deum non intueri actus noſtros vt abſolutè futuros antecedenter ad decretum; & priuſquàm videantur cauſæ illorum; ſed tantùm futuros ſub conditione; contra hoc eſt, quia non poſſunt videri futura Conditionata, niſi viſis conditionibus ſub quibus effectus producentur: at iſtę conditiones ſunt cauſæ huiuſmodi effectuum: Quæſtio enim nobis eſt de futuris Conditionatis ex conditione cauſali, & congrua; ergo implicat in adiecto, dicere quòd futura conditionata, vt ſic, videantur in ſeipſis, nondum viſis cauſis illorum efficientibus, aut priuſquàm illæ intelligantur poſitæ, aut ponendæ: quandoquidem ea videri

non poſſunt non viſis conditionibus à quibus pendent.

VII. Denique diſplicet quartò; quia refelli poteſt eiſdem argumentis quibus ſuperior dicendi modus, cùm effectus creatæ voluntatis quem dicit à Deo intuitiuè videri, non ſit aliud in præſenti quàm determinatio eiuſdem: & qui ita reſpondent videri poſſent ex illorum numero eſſe, qui poſteaquàm ſententiam aliquam defendendam ſuſceperunt, conantur eam modis omnibus adornare, & rationes hinc inde conquirere, quibus non quid ſentiendum ſit edoceantur, ſed quibus aſſertionem ſuam iam in animo illorum conſtitutam quacunque via defendere, & eandem ſuadere poſſint iis omnibus qui eiuſdem inſtituti, & factionis eſſe voluerint, tametſi euertenda, aut immutanda ſint omnia principia, & argumenta quæ alij ante ſe eiuſdem ſententiæ ſectatores docuerant.

## CAPVT V.

### *Refelluntur qui dicunt Deum, vt decernat Concurſum voluntati creatæ exhibendum; conſulere circunſtantias, cauſáſque morales, & propenſionem voluntatis inde conſequentem.*

I. Nonnulli reſponderunt; fatendum eſſe, Deum in ſecundo illo inſtante rationis, de quo ſuprà cap. 1. huius 2. partis, præuidere non potuiſſe per Scientiam Mediam actum voluntatis humanæ, vt ab illa producendum ante decretum Dei, quòd ad tertium inſtans ſpectat; potuiſſe tamen Deum præuidere in ipſa voluntate creata quandam propenſionem maximam ad actum illum, qui reuerà futurus eſt, eliciendum; & ex illa præuiſione propenſionis Deum moueri, vt iuxta illam concurrat ad illum actum, potiùs quàm ad alium; quæ reſponſio deſumi poteſt, ex eo quod habet Cardinalis Bellarminus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. in Concordia diuinæ cooperationis cum libero arbitrio:

*Deus*, inquit, *quia perfectè cognoſcit omnes propenſiones, & totum ingenium animi noſtri, & rurſum non ignorat omnia quæ illi poſſunt occurrere in ſingulis deliberationibus, & denique perſpectum habet quid magis congruum, & aptum ſit, vt moueat talem animum, tali propenſione, & ingenio præditum; infallibiliter colligit quamnam in partem ſit animus inclinaturus*, & paucis interiectis, ait, *in ipſa contingente cauſa præcisè conſiderata, nulla eſt determinatio, tamen ſi quis coniungat cum cauſa contingente vel libera, omnia quæ poſſunt occurrere, & impedire, & videat propenſiones, & aptitudines, tam ipſius cauſæ, tum omnium obiectorum, & circunſtantiarum, quod ſolus Deus facere poteſt, exiſtet inde aliqua determinatio, & ratione illius verum erit dicere, hoc erit tali tempore.*

Et eodem capite paulò ſuperiùs reſponſione ad quintum argumentum. *Reſpondeo*, inquit, *Deum ab æterno determinaſſe omnes effectus, ſed non ante præuiſionem determinationis cauſarum ſecundarum, præſertim contingentium, & liberarum*; ex quibus omnibus patet eum ſenſiſſe, Deum moueri ad dandum hunc, potiùs quàm illum Concurſum, ex præuiſione determinationis creatæ voluntatis, hanc verò determinationem præuiſam à Deo fuiſſe in comprehenſione propenſionis, & inclinationis ingenij, taliter, vel taliter affecti, iunctis circunſtantiis, & obiectis quæ offerri poſſunt voluntati. Atque idipſum clarius etiamnum docent ſatis multi Scientiæ Mediæ Aſſertores.

Verùm hæc reſponſio facilè refellitur in hunc modum: Nam II.
vel illa inclinatio, & propenſio eſt actus ſecundus, & formalis determinatio voluntatis; & hoc non; alioquin actus ille productus eſſet à voluntate ſine Concurſu Dei, quod tamen iſta opinio reputat impoſſibile, vel eſt aliquid per modum actus primi, quo non obſtante, voluntas adhuc eſt indeterminata; neque enim intelligitur determinata niſi dum actu agit, cùm eius actio, & electio libera, ſit id quo formaliter determinatur, vt refert ex Scoto, Suarez diſp. 22. metaph. ſect. 4. n. 34. & alij ſatis communiter fatentur voluntatem determinatam, idem eſſe quod voluntatem cum actione: At hoc non ſufficit, vt ex illa propenſione, iunctis etiam omnibus obiectis, & circunſtantiis, vel earum omnium rerum præſcientiâ, poſſit Deus certò cognoſcere in quam partem ſe ſit determinatura voluntas creata, cùm adhuc intelligatur vt indifferens

ad vtrumlibet: ergo ex illa propenſione præuiſa Deus non poteſt ſemper induci, vt potius in vnam partem, quàm in alteram Concurſum ſuum determinet. Dixi, *ſemper*, quia fatemur interdum contingere vt Deus impellat nos ad eam partem, in quam ex naturali noſtra conditione propendemus, nimirum ſi actus ſint honeſti; minimè verò, ſi turpes.

Confirmatur; quia vt collectio omnium circunſtantiarum poſſet determinare intellectum diuinum ad hoc, vt in voluntate creata certò cognoſceret actus illius liberos eſſe futuros, vnde ipſe moueretur ad coëfficiendos illos, oporteret voluntatem ab eiuſmodi collectione circunſtantiarum determinari ad tales actus; ſed non ita determinatur, quin potiùs manente voluntate cum omnibus illis circunſtantiis, cauſiſque moralibus, additâ etiam propenſione ipſius voluntatis inde reſultante, effectus poteſt adhuc non eſſe, & voluntas poteſt adhuc non operari; ergo comprehenſio omnium circunſtantiarum non poteſt eſſe ſufficiens determinatiuum ad habendam omnimodam certitudinem cui repugnet ſubeſſe periculum fruſtrationis, erroris, ac deceptionis; ſed ſolùm ad habendam probabilitatem qua Deus induci non poteſt ad concurrendum in omni euentu nobiſcum.

Ampliùs non poteſt effectus cognoſci in cauſa ſua, aliter quàm in illa continetur: At in voluntate nondum operante actualiter, & nondum ſe determinante, volitio libera ſolùm indeterminatè continetur; tametſi poſitis quibuſcumque cauſis moraliter inducentibus voluntatem: Imo & quocumque iudicio intellectus præuio, dummodo tamen non ſit ablatus aut perturbatus rationis vſus.

Præterea; certum eſt Angelos non pollere Scientiâ Mediâ, nec cognoſcere poſſe naturaliter infallibili certitudine quoſnam actus liberos ſimus habituri: At ſi comprehenſio voluntatis noſtræ, & collectiones omnium circunſtantiarum, & diſpoſitionis inde reſultantis, eſſet ſufficiens determinatiuum, quo Deus inducatur ad dandum nobis ſemper & in omni euentu vnum Concurſum, potius quàm oppoſitum; Angeli cognoſcere poſſent naturaliter quem Concurſum à Deo in omni occaſione eſſemus accepturi, & conſequẽter quẽ actũ libera voluntas noſtra eſſet elicitura, quãdoquidem actus noſter ab illo Concurſu realiter eſt indiſtinctus.

Probatur

Probatur ſequela: Quia Angelus naturaliter comprehendere dicitur vires noſtræ voluntatis, & omnium motiuorum, cauſarúmque moralium, & diſpoſitionem ex illis in voluntate noſtra ſecuturam; & ſic infallibiliter poſſet prædicere quem Concurſum eſſemus habituri, niſi Deus peculiari, & extraordinariâ prouidentiâ vellet aliter de rebus noſtris diſponere; At hoc falſum eſt, & repugnat iis quæ traduntur communiter ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, in tractatu de Angelis.

Prætereà; ſæpenumero accidit vt voluntas quantumuis propenſa in obiectū aliquod, verbi gratiâ, delectabile; contra talem inclinationem faciat ex ſola ſua innata libertate: Ergo in illo caſu Deus non determinauit Concurſum ſuum ex illa propenſione voluntatis præuiſa: ſed vel ex ſeipſo, vel ex aliquo alio motiuo: Ergo neque in aliis actibus determinat illum ſemper, aut etiam communiter ex tali præſcientia.

Sanè circa eadem obiecta, vel omnino ſimilia; & ſub ſimilibus circunſtantiis frequenter eligimus contraria; & experimur nos aliquando eligere partem ad quam minùs propendebat voluntas ex vi omnium motiuorum: ſæpè etiam experimur nos eligere vnam ex pluribus rebus, inter quas nulla erat maior ratio vt eligeretur vna potius quàm altera: Similiter contingit ex duobus hominibus æqualiter affectis animo & corpore, alterum peccare, & alterum non peccare: imo etiam eumdem æqualiter affectum, diuerſis temporibus eligere contraria; quin etiam contingit eum hominem peccare, quem ad ſeruãdum præceptum tota collectio circunſtantiarum magis inclinabat, quàm alium qui de facto præceptum obſeruauit: Ergo comprehenſio cauſæ proximæ cum omnibus motiuis, & circunſtantiis, & auxiliis, & impedimentis, & cognitio diſpoſitionis, ſeu propenſionis inde in voluntate reſultantis, non eſt ſufficiens determinatiuum ex parte obiecti, ratione cuius Deus inducatur ad decernendum exhibendúmque voluntati creatæ vnum potius Concurſum quàm alterum: neque verò negari poteſt experientia quam proponimus in argumento; cum hæc ſit vna ex præcipuis rationibus naturalibus ad reuincẽdos hæreticos humanæ libertatis inimicos; & quia non aliter experimur in nobis libertatem noſtram, quàm aduertendo nos non ſemper ſequi maius pondus

obiecti,

ad vtrumlibet: ergo ex illa propenſione præuiſa Deus non poteſt ſemper induci, vt potius in vnam partem, quàm in alteram Concurſum ſuum determinet. Dixi, *ſemper*, quia fatemur interdum contingere vt Deus impellat nos ad eam partem, in quam ex naturali noſtra conditione propendemus, nimirum ſi actus ſint honeſti; minimè verò, ſi turpes.

Confirmatur; quia vt collectio omnium circunſtantiarum poſſet determinare intellectum diuinum ad hoc, vt in voluntate creata certò cognoſceret actus illius liberos eſſe futuros, vnde ipſe moueretur ad coëfficiendos illos, oporteret voluntatem ab eiuſmodi collectione circunſtantiarum determinari ad tales actus; ſed non ita determinatur, quin potiùs manente voluntate cum omnibus illis circunſtantiis, cauſiſque moralibus, additâ etiam propenſione ipſius voluntatis inde reſultante, effectus poteſt adhuc non eſſe, & voluntas poteſt adhuc non operari; ergo comprehenſio omnium circunſtantiarum non poteſt eſſe ſufficiens determinatiuum ad habendam omnimodam certitudinem cui repugnet ſubeſſe periculum fruſtrationis, erroris, ac deceptionis; ſed ſolùm ad habendam probabilitatem qua Deus induci non poteſt ad concurrendum in omni euentu nobiſcum.

Ampliùs; non poteſt effectus cognoſci in cauſa ſua, aliter quàm in illa continetur: At in voluntate nondum operante actualiter, & nondum ſe determinante, volitio libera ſolùm indeterminatè continetur; tametſi poſitis quibuſcumque cauſis moraliter inducentibus voluntatem: Imo & quocumque iudicio intellectus præuio, dummodo tamen non ſit ablatus aut perturbatus rationis vſus.

Præterea; certum eſt Angelos non pollere Scientiâ Mediâ; nec cognoſcere poſſe naturaliter infallibili certitudine quoſnam actus liberos ſimus habituri. At ſi comprehenſio voluntatis noſtræ, & collectiones omnium circunſtantiarum, & diſpoſitionis inde reſultantis, eſſet ſufficiens determinatiuum, quo Deus inducatur ad dandum nobis ſemper & in omni euentu vnum Concurſum, potius quàm oppoſitum; Angeli cognoſcere poſſent naturaliter quem Concurſum à Deo in omni occaſione eſſemus accepturi, & conſequẽter quẽ actũ libera voluntas noſtra eſſet elicitura, quãdoquidem actus noſter ab illo Concurſu realiter eſt indiſtinctus.

Probatur

Probatur ſequela: Quia Angelus naturaliter comprehendere dicitur vires noſtræ voluntatis, & omnium motiuorum, cauſarúmque moralium, & diſpoſitionem ex illis in voluntate noſtra ſecuturam; & ſic infallibiliter poſſet prædicere quem Concurſum eſſemus habituri, niſi Deus peculiari, & extraordinariâ prouidentiâ vellet aliter de rebus noſtris diſponere; At hoc falſum eſt, & repugnat iis quæ traduntur communiter ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, in tractatu de Angelis.

Præterea; ſæpenumero accidit vt voluntas quantumuis propenſa in obiectũ aliquod, verbi gratiâ, delectabile; contra talem inclinationem faciat ex ſola ſua innata libertate; Ergo in illo caſu Deus non determinauit Concurſum ſuum ex illa propenſione voluntatis præuiſa: ſed vel ex ſeipſo, vel ex aliquo alio motiuo: Ergo neque in aliis actibus determinat illum ſemper, aut etiam communiter ex tali præſcientia.

Sanè circa eadem obiecta, vel omnino ſimilia; & ſub ſimilibus circunſtantiis frequenter eligimus contraria; & experimur nos aliquando eligere partem ad quam minùs propendebat voluntas ex vi omnium motiuorum: ſæpè etiam experimur nos eligere vnam ex pluribus rebus, inter quas nulla erat maior ratio vt eligeretur vna potius quàm altera: Similiter contingit ex duobus hominibus æqualiter affectis animo & corpore, alterum peccare, & alterum non peccare: imo etiam eumdem æqualiter affectum, diuerſis temporibus eligere contraria; quin etiam contingit eum hominem peccare, quem ad ſeruãdum præceptum tota collectio circunſtantiarum magis inclinabat, quàm alium qui de facto præceptum obſeruauit: Ergo comprehenſio cauſæ proximæ cum omnibus motiuis, & circunſtantiis, & auxiliis, & impedimentis, & cognitio diſpoſitionis, ſeu propenſionis inde in voluntate reſultantis, non eſt ſufficiens determinatiuum ex parte obiecti, ratione cuius Deus inducatur ad decernendum exhibendúmque voluntati creatæ vnum potius Concurſum quàm alterum: neque verò negari poteſt experientia quam proponimus in argumento; cum hæc ſit vna ex præcipuis rationibus naturalibus ad reuincẽdos hæreticos humanæ libertatis inimicos; & quia non aliter experimur in nobis libertatem noſtram, quàm aduertendo nos non ſemper ſequi maius pondus obiecti,

obiecti, habituum, & circũſtantiarum; ſed nos aliquando illi reſiſtere, & inſuper ſub æquali pondere nunc reſiſtere, nunc conſentire. quod argumentum variis locis bene vrget, tametſi alterius rei probandæ gratiâ, Didacus Ruiz.

Præterea tam eſt alienum à diuina bonitate determinare Concurſum ſuum ex præuiſione propenſionis creatæ voluntatis, quando illa propenſio eſt in obiectum aliquod turpe & illicitum, quàm eſt ab eadem alienum prædeterminare voluntatem creatam ad actum peccaminoſum eo quod illa in talem actum propenderet; vtrumque, inquam, dedecet Deum; quia non minus ex illo modo concurrendi, quàm ex prædeterminatione phyſica ſequitur effectus, nimirum actus turpis & illicitus, quem efficere proximè, propriè & per ſe non eſt minus turpe, ſed fortè turpius quàm applicare, & præmouere ad eum: Ergo ſicut Aſſertores Scientiæ Mediæ abhorrent à prædeterminatione phyſica (tametſi ea conferri dicatur ob præuiſam voluntatis noſtræ propenſionem) ſcilicet ne Deus exiſtimetur eſſe cauſa peccati; ita propter eandem rationem tueri non poſſunt modum iſtum reſpondendi quem impugnamus.

Mecum enim conſidero hominem libidinis ſtimulis agitatum, dæmonis ſuggeſtione, prauâ conſuetudine, habitibus intenſiſſimis obiectique præſentiâ, nec non importunis ſenſitiui appetitus inſultibus oppugnatum vt peccatum aliquod graue committat, ita tamen vt nondum conſentiat. Atque hinc ſic arguo: Quãdiu homini illi, in tali ſtatu exiſtenti, non adfuerit Concurſus Dei particularis, determinatus, & identificatus ad conſentiendum, aut diſſentiendum, certum eſt, per te, eum ad nihil ſe determinaturum.

Inquiro igitur; ponamus illum tentationi tandem ſuccumbere, & eligere opus illicitum, cum poſſet oppoſitum eligere, vel fortè etiam actum omnem liberum voluntatis ſuſpendere (ſuppono enim vehemente illâ tentatione non fuiſſe ablatum rationis iudicium, nec libertatem) quare ergo Deus præbuit illi potius Concurſum ad eligendum opus illicitum, quàm ad illud reſpuendum? cum immediatè antè, ipſe Deus conciperetur à nobis vt indifferens ad dandum hunc aut illum, aut alterum Concurſum, atque vt offerens multos Concurſus ad plures actus, ſanè ſi, iuxta ſuprà allatam reſponſionem, dixeris id Deum feciſſe propter vehementem illam

tenta

Digitized by Google

tentationem, & propenſionem hominis, verè peccatum illud Deo volenti attribuis potiùs quàm permittenti; debuit enim ſuccurrere homini miſero, non vero dæmoni, & libidini cooperari, impellendo hominem ad ruinam, & ad conſenſum; & diuinæ bonitati conſentaneum erat præſtare opem ſuam ad oppoſitum, potiùs quàm tentationem dæmonis promouere; potéſtque ille de Deo conqueri quòd ſaluti ſuæ quaſi inſidiatus fuerit, & quòd illum implanarit, cùm deberet potiùs à ruina labentem impedire: hæc autem omnia ſunt impoſſibilia, & Deo indigna; Ergo impoſſibile eſt Deum moueri ad dandum hunc potiùs quàm illum Concurſum, ex præuiſione propenſionis creati arbitrij in vnam vel alteram contradictionis partem. Præterea; eſtq inclinatio illa eſſet aliquid per modum actus primi, eſt tamen aliquid reale, & productum: At non à ſolo Deo, quando eſt propenſio ad peccatum; nec à ſola creatura, per te; Ergo à Creatura concurrente Deo: Quæro igitur, vnde Deus determinatus eſt ad dandum Concurſum productiuum illius propenſionis? an quia vidit in creatura priorem aliquam propenſionem? Veruntamen id non admittes, quia ſermo iret in longum, dareturque progreſſus in infinitum.

Deniq; poſſumus argumẽtari; Quia poſità, & præuiſâ tali propẽſione nondũ poteſt colligi quo inſtante tẽporis creata voluntas ſit operatura, tametſi certiſſimũ eſſet eã eſſe cõſenſurã: quia remanet adhuc libera, potéſtq; adhuc aliquanto tẽpore conſenſũ ſuſpendere, & ſuſtinere: Ergo non potuit Deus moueri ex præſcientia illius inclinationis creaturæ, vt ſtatueret ſe cõcurſurum cum illa hoc vel illo puncto temporis, certo & peculiari determinatóque Cõcurſu.

Cæterùm, quod nonnulli dicunt, Deum determinari ad concurrendum cum voluntate creata ad hunc potiùs actum quàm ad illum, ex eo quòd præuideat vltimum iudicium practicum intellectus, quo poſito voluntas non poteſt non ferri in illam partem quam intellectus iudicauerit eſſe præferendam; hoc, inquam, ſuſtineri non poteſt: Tum quia idem iudicium eſſe debet de illo actu practico intellectus, quod de aliis cauſis moralibus & propenſione voluntatis inde conſequente; Tum quia ſententia de illa tanta efficacia iudicij practici pleriſque etiam Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, vt P. Suario, & aliis videtur apertè falſa, & ſi eſ-

T ſet

ſet vera, adhuc Deus inde excitari ac determinari non poſſet, vt in hanc potiùs quàm in illam partem concurreret: nam vel actus ille intellectus eſt liber, vel eſt neceſſarius: Si eſt neceſſarius, & illo poſito voluntas non poteſt amplecti oppoſitum: ergo nulla relinquitur libertas, nec culpæ imputabilitas in homine; ſi eſt liber: Vnde excitatus, ac determinatus fuit Deus, vt concurrens ad illum eundem actum Concurſu immediato, & identificato, non abſtulerit ab eo libertatem? An fortè quia per aliam Scientiam Mediam aliquem alium actum, aut diſpoſitionem præuiderat? Quapropter manet adhuc integra illa difficultas quá dicebamus; Ad quid attendens Deus cognoſcat, decernátque exhibendum ſibi nunc eſſe Concurſum vnius potiùs quàm alterius ſpeciei quando ipſe Concurſum ſuum immediatum, & identificatum Concurſui creatæ voluntatis eſt coniuncturus.

## CAPVT VI.

### *Refelluntur qui dicunt Deum conſulere relationem rationis, aut connotationem realem in creata voluntate conſurgentem ex futuritione actus ſui.*

1. NOn defuerunt qui ad relationem rationis confugerent; dicentes ex eo quòd hic, aut ille actus à voluntate ſit aliquando futurus; conſurgere in ipſa voluntate relationem quandam ad actum illum vt futurum; & ex illius relationis intuitu, moueri Deum vt hunc potiùs quàm illum Concurſum præbere decernat; illum ſcilicet qui ad talem actum producendum neceſſarius eſt.

Sed hoc eſt nimiis anguſtiis premi: conſtat enim relationem nullam conſurgere, niſi poſitis fundamento, & termino eius; atqui terminus huius relationis eſt actus ille liber vt futurus, fundamentum autem eſt ipſa voluntas vt ſe determinans, vel, vt alij loquuntur, ipſa determinatio voluntatis; Ergo prius eſt actum liberum eſſe futurum, quàm ex eius futuritione conſurgere in voluntate reſpe-

reſpectum quo referatur ad illum; Similitérque priùs eſt voluntatem agere, aut præuideri acturam, quàm præuideri relationem ex tali actione conſurgentem, ſed actus non potuit eſſe futurus, neque voluntas determinare ſeipſam ante decretum Dei concurrendi cum illa; decretum autem illud Dei non eſt niſi in tertio inſtante: Ergo ante tertium inſtans talis relatio non potuit à Deo præuideri; Ergo multò minùs potuit Deus ex præuiſione huiuſmodi effectus, & relationis ad eum terminatæ, moueri ad præſtandum talem vel talem Concurſum potiùs quàm oppoſitum.

Confirmatur; relatio voluntatis ad actum liberum vt futurum ab ea, & relatio actus futuri ad voluntatem vt ipſum actum producturam, ſunt ſimul naturâ; ſed euidens eſt actum futurum priorem eſſe relatione quâ ipſe refertur ad voluntatem, quia ſubiectum prius eſt ſuo accidẽte relatiuo quo refertur ad aliquid aliud: Igitur relatio voluntatis ad actum vt futurum, ſimiliter poſterior eſt ipſo actù; Ergo iſta relatio non potuit præuideri antequam præuideretur actus ipſe, ſed non potuit præuideri actus ipſe voluntatis vt futurus, ante decretum Dei concurrendi, vt ſuprà oſtẽſum eſt: Ergo non potuit Deus moueri ex illa præuiſione relationis ad determinandum, & decernendum hunc potiùs Concurſum quàm vllum alium.

Taceo, quòd Deus vel non attendit ad huiuſmodi entia rationis, vel, ſi intueatur illa quatenus fingi à nobis poſſunt, non ſatis religiosè de Deo ſentiret, qui exiſtimaret Deum moueri ac dirigi conſideratione minutiſſimorum huiuſmodi entium in formandis diuinæ ſuæ Prouidentiæ decretis.

Reſponderunt aliqui; reuerà non potuiſſe cognoſci actum in relatione rationis, ſed fuiſſe præcognitum in quadam connotatione reali, quia, inquiunt, Deus præuidere poteſt ante decretum ſuum, voluntatem creatam in his, & illis circunſtantiis connotare actum, vt futurum, & eliciendum ab ea; quamuis ipſum actum non præuideat ſub ratione futuri abſolutè niſi poſt decretum; Atqui non poteſt videre connotationem illam realem, quin ſimul videat terminum illius connotationis, ſcilicet actum à voluntate futurum, ſi Concurſus opportunus adfuerit; Quid ergo mirum, ſi ex illa præuiſione excitatus Concurſum decernat opportunum? II.

T 2 Sed

Sed contrà; quia falſum eſt antecedens; Nam immediatè antequam voluntas ageret, connotabat æqualiter omnes actus quos elicere poterat, non vt futuros, ſed vt poſſibiles; Ergo non poteſt incipere connotare de nouo actum (qui ſolus de facto futurus eſt) vt futurum, niſi aliquid ſuperueniat, quod ſit veluti cauſa & conditio neceſſaria ad huiuſmodi connotationem ſpecialem: Quicquid autem fingatur ſuperuenire erit inſufficiens, & impoſſibile, niſi accedente determinatione diuinæ voluntatis concurrere decernentis, ſi Concurſus Dei immediatus, phyſicus, & identificatus cum actione creaturæ eſt omnino neceſſarius, vt tu ponis; Ergo voluntas creata non poteſt habere illam connotationem ante decretum: Igitur Deus non poteſt ad illam connotationem attendere, vt ex illius intuitu moueatur ad decernendum hunc potiùs quàm illum Concurſum.

---

## CAPVT VII.

*Refelluntur qui exiſtimant Deum, vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, conſulere determinationem virtualem eiuſdem creatæ voluntatis, aut creatam voluntatem vt ſe accingentem ad operandum.*

I. FAtentur nonnulli; Deum præuidere non poſſe determinationem formalem creatæ voluntatis, ſeu, quod idem eſt, actum liberum ab eadem creata voluntate futurum, priùs *ratione* quàm præuideat ſe concurrere velle ad illum: Contendunt tamen eum ſaltem præuidere poſſe virtualem volitionem, ſiue determinationem, quâ voluntas in priori *naturâ* quàm actum illum profundat, determinat ſe ad illum; non aliquid noui producendo, aut recipiendo; ſed iure ac priuilegio cauſæ liberæ, in his circunſtantiis vergendo, ſeu inflectendo ſe, hoc eſt, determinando vim ſuam actiuam ad eum actum, potiùs quàm ad oppoſitum, quem æquè elicere

elicere poterat, vel ab vtroque ceſſare; Cùm ergo Deus optimè peruadat latebras voluntatis creatæ, eiuſque genium habeat perſpectiſſimum, non ignorat illam determinationem virtualem, quæ Concurſu nouo non indiget, cùm ſit idem realiter cum ipſa voluntate, à qua virtualiter ſolùm diſtinguitur, & hæc determinatio virtualis in eodem temporis puncto, ſed poſteriùs *naturâ* fundit ex ſe hanc vnam certam ac peculiarem determinationem formalem, & nullam aliam, oppoſitam, vel diſtinctam; poteſtque Deum excitare, vt conſentaneè & accommodatè concurrat: Itaque Concurſus quidem ille quem Deus præbet ad determinationem formalem, ſeu ad actum eliciendum, non decernitur, nec videtur niſi poſt præuiſam anteriorem illam à ſola voluntate profectam determinationẽ virtualem; ſed quia determinatio illa virtualis nullo nouo indiget Concurſu, & infallibiliter infert determinationem formalem, & actum elicitum quem connotat tãquam ab ea manantem; proptereà Deus illam præuidere poteſt ante decretum concurrendi, & in ipſa præuidere actum ipſum, ac determinationem formalem futuram, prius ratione quàm videat decretum ſuum.

Hic dicendi modus deſumi poteſt ex Theophilo in Theolog. naturali diſt.8.quæſt.2.à num.85.& quæſt.5. art.5.à num.368.& in morali diſciplina diſtinct.2.quæſt.2 art.20.num 103. vſque ad 106. vbi eum fusè explicatum conatur defendere, & quia in eo plurimi recentiorum conquieſcunt, alij quidem ad hoc idem propoſitum, alij verò ad aliud diuerſum vt Ægidius Conink tertia parte quæſt. 77.num.6. Albertinus Corollario 2.ex ſexto Principio Complexo, & alij qui ſcripta ſua prælo non commiſerunt, adhuc magis eſt explicandus, vt faciliùs refelli poſſit: Supponamus, inquiunt, me obiectum aliquod eodem modo mihi propoſitum, modò amare, modò odiſſe, modò negatiuè circa illud me habere: tunc peto, quarè voluntas mea modò producat amorem, modò odium, modò nihil? Non poteſt aliud reſponderi, quàm quia modò ſe liberè applicat ad hunc vel illum actum producendum, modò non applicat; Atque ita concipimus in ea quandam mutationem diſtinctam ab ipſa effectus productione, non quidem quòd aliquid reale in ſe recipiat; ſed quia virtualiter ſe aliter habet dum agit, quàm dum non agit; habétque aliquid ſaltem virtualiter diſtinctum à virtute agendi, &



Digitized by Google

ab ipſa entitate voluntatis, quod poteſt dici applicatio virtutis actiuæ, & conatus, vel influxus, aut Concurſus cauſæ in effectum, eſtq; volitio quædam ac determinatio virtualis, antecedens in quodam priori ſigno ipſum exercitium libertatis, & volitionem formalem;

Cùm enim natura libera in puncto temporis quo profundit determinationem virtualem vnam potius quàm aliam, ſit priùs *naturâ* indifferens, & indeterminata, vt ipſamet ſe ſic, vel ſic determinet: In eodem temporis puncto, ſed poſteriùs *naturâ* accingit ſe ad operandum, inflectens, ac virtualiter determinans ſeipſam in hanc potius quàm in oppoſitam determinationem formalem.

Itaque hæc determinatio virtualis nullo indigens Concurſu nouo præuideri poteſt à Deo ante præuiſum Concurſum qui neceſſarius eſt ad formale exercitium actus; & ſic in illa determinatione virtuali, actus ipſe formalis futurus poterit præuideri; eritque ipſa ſufficiens determinatiuum in quo Deus præuidere poterit eundem actum formalem ab illa determinatione virtuali ſecuturum, cognitione veluti abſtractiuâ: Et ſi quis quærat, quare, & quomodo Deus præuideat voluntatem ſe accingentem ad hunc potius quàm ad illum actum, & habentem hanc potius quàm illam determinationem virtualem, cùm æqualiter poſſet habere illam vel oppoſitam? Reſpondetur, Deum videre quam aliam determinationem anteriorem voluntas creata eſſet habitura, ſi progreſſus in infinitum, qui alioqui admittendus eſſet, pateretur vt ipſa ſe per aliquem alium actum virtualem determinaret ad illum primum.

II. Sed contra hunc dicendi modum obiici poteſt primò; Quia per ſeipſum apparet ſatis incredibilis, & continet doctrinam ferè imperceptibilem, ac nimiâ ſuâ ſubtilitate, vt aiunt, laborantem; ſiquidem ponit in voluntate creata difficultatem planè inexplicabilem, quam vix in Deo concipimus, admittimus tamen in eo propter eius infinitatem, quæ eſt principium propter quod realiter identificantur in Deo quæcunque non habent oppoſitionem relatiuam; Difficultas autem iſta in eo conſiſtit, quòd voluntas creata nunc de nouo incipiat habere nouam illam virtualem determinationem, applicationémque liberam ſecum identificatam, quam paulò antè non habuit, & adhuc poſſet non habere: Quinimò id longè videretur eſſe mirabilius in noſtra voluntate, quàm in Deo: quia volitio libera

libera Dei, quicquid tandem illa ſit, non incipit de nouo identificari cum Deo; ſed ab æterno in illo fuit, vel non fuit; & in æternum erit, vel non erit: At hæc applicatio libera noſtræ voluntatis nũc inciperet identificari cum voluntate, cum qua priùs non identificabatur; & paulò poſt ſeparabitur à voluntate cui priùs inerat, & identificabatur; quod eſt myſterium prorſus inexplicabile, in cuius obſequium non tenemur intellectum ſubmittere.

Præterea ſanè; ſi hoc ſemel admittatur in creaturis, nulla ampliùs apparebit neceſſitas conſtituendi (quod tamen communiter ferè faciunt Aſſertores Scientiæ Mediæ) diſtinctionem modalem inter diſtinctiones reales; eodem enim modo ſaluari poterunt omnes modalitatum illarum effectus, vel de nouo aduenientes, vel poſtmodum deſinentes, ac recedentes, abſque vlla noua entitate modali, per ſolam diſtinctionem virtualem, vt exempli causâ, videre licet in actione, in vbi, in modo vnionis, ac ſubſiſtentiæ, & cæteris. III.

Nam quemadmodum docent eandem potentiæ liberæ entitatem, phyſicè immutatam, iure ac priuilegio cauſæ liberæ, per ſemetipſam, de non applicata fieri applicatam, ſiue determinatam ad hunc potius actum formalem profundendum, quàm ad oppoſitum; vel ad huius ceſſationem, quamuis in priori *naturâ* æquè in vtrumque potens ſit, nec niſi ſuoptè nutu in iſtum inclinauerit: ita etiam eadem entitas ignis, phyſicè immutata, per ſemetipſam, de non agente fiet agens; & de agente, non agens, abſque acceſſu, & receſſu actionis quæ ſit entitas ſaltem modaliter diſtincta ab ipſa ignis entitate; ſic etiam anima rationalis de non vnita, & informãte fiet vnita, & informans; aut contrà, abſque vlla mutatione reali, & ſine acceſſu, aut receſſu vnionis informatiuæ, modaliter ab anima diſtinctæ; quod idem dici poterit de ſubſiſtentia, ſi ea ſit modus; de modo præſentiæ, & de huiuſmodi cæteris.

Et quemadmodum illi ipſi exiſtimant hanc determinationem virtualem, ſeu cauſalem eſſe indiſtinctam ab entitate potentiæ, nec tamen ſemper fungi munere determinationis, etiamſi ſemper maneat entitatiuè; quia cauſæ liberæ ratio hoc habet, vt manens eadem modò ſit cauſa vnius actus, modò oppoſiti; ita dicendum eſſet de actione, vnione, ſubſiſtentia, & aliis modis; eos eſſe indiſtinctos ab entitatibus quarum dicuntur eſſe modi, nec tamen ſemper fungi

gi munere modalitatum,etiamſi ſemper maneant entitatiuè in rerum natura,quod tamen fieri non poſſe,etiam per diuinam potentiam, docent ipſimet Aſſertores determinationis virtualis, & alij ferè omnes,qui dum nihil ſibi metuunt,admittunt huiuſmodi modalem diſtinctionem inter reales,prout reuerà admitti debet.

IV. Tertiò;quia iſte dicendi modus iam admittit Deum non poſſe præuidere vt futurum aliquem effectum qui pendeat à Concurſu Dei, priùs *ratione* quàm decernatur,& exhibeatur ipſe Concurſus: Propterea enim inducit determinationem illam virtualem, quam fingit à Concurſu diuino independentem , vt ex illius præuiſione Deus ipſe quaſi obiectiuè excitetur ad conferendum hunc potiùs quàm illum Concurſum, nimirum ſecundùm exigentiam determinationis illius virtualis;ex quo facilè inferre licet, quòd ſi ſemel oſtenderimus determinationem illam virtualem eſſe merum figmentum, conſequens erit, vt ij contra quos diſputamus in noſtram adduci debeant ſententiam;ſcilicet,Deum non poſſe præuidere quid creata voluntas formaliter operatura ſit, priùs *ratione* quàm de Concurſu ſuo ſtatuerit,niſi admittamus ipſam reuerà abſque immediato & identificato Concurſu Dei formaliter operari, & determinare ſeipſam poſſe , ſic enim nullo opus erit decreto concurrendi.

Vnde argumentari licet quartò : Quia hic dicendi modus apertè deſerit antiquam ſententiam Doctorum Scientiæ Mediæ de neceſſitate Concurſus diuini proximi,& identificati ad omnem omnino creaturæ actionem ; & volens nolens, in noſtram deſcendit opinionem;ſcilicet : Quòd ex generali ratione cauſæ, & effectus creati non repugnet ſimpliciter dari influxum cauſæ creatæ in effectum,ſine vllo immediato,& identificato influxu Dei,quod ſic probari poteſt:Determinatio iſta virtualis quæ nunc realiter eſt in voluntate,cùm tamen ante non eſſet,non eſt omnino nihil , (alioqui quomodo ex illius intuitu moueri poſſet Deus ad decernendum Concurſum ſuum?) ſed eſt aliquid nunc exiſtens realiter, & poſitiuè,quod paulò ante non erat in rerum natura:Atqui eiuſmodi determinatio virtualis quæ nunc realiter eſt in voluntate , tota refertur in libertatem creatam , tanquam in cauſam adæquatam, ſaltem immediatam ſui eſſe independenter ab omni extrinſeco,nimirum

mirum, vt determinatio cauſæ liberæ non ſit illi extrinſecùs adueniens, ſed potiùs cauſa ipſa libera dici poſſit ab intrinſeco, & per ſeipſam liberè ferri in ſuam ipſius determinationem, aut eandem ſuſpendere: Igitur cùm Dei Concurſus ſit aliquid ab extrinſeco profectum, & immiſſum in voluntatem creatam; hæc determinatio virtualis, quæ eſt propria agentis creati, poni debet abſque eiuſmodi Concurſu: Ergo ille Concurſus non eſt ita abſolutè requiſitus, quin ſine eo poſſit aliquid de nouo eſſe in rerum natura quod ante non erat.

Neque iuuat dicere, quòd illa determinatio virtualis non ſit per verum motum, neque per veram actionem; eò quòd non ſit aliquid realiter diſtinctum à voluntate, ſed aliquid manens intra rationem actus primi: Nam contrà hoc eſt; Quia cùm hæc determinatio ſit verè ac realiter in hoc inſtante, & tamen priùs non eſſet; debet habere veram aliquam cauſam iſtius eſſe, quæ per verum aliquem influxum trahat illam ab eſſe potentiali ad eſſe exiſtentiæ actualis: At hæc non poteſt aſſignari alia præter ſolam voluntatem creatam, iuxta hunc dicendi modum: Ergo, &c.

Neque dicas ſecundò; quòd iſta determinatio virtualiter diſtincta ab ipſa voluntate creata requirit ad ſuum illud eſſe virtuale, Concurſum Dei virtualem; Contrà enim hoc eſt; quia aduerſùs eiuſmodi Concurſum virtualem redeunt omnia argumenta quibus hic dicendi modus coactus fuit, præter determinationem formalem, admittere anteriorem illam determinationem virtualem, vt ſaluari poſſet libertas cum formali, & actuali Dei Concurſu; ſcilicet, quia aſſignare oporteret aliam anteriorem determinationem virtualem, ex cuius præuiſione Deus decerneret Concurſum ſuum virtualem; & ſic abiretur in infinitum: Itaque ſi aliquid nunc incipit virtualiter exiſtere de nouo dependenter à cauſa creata abſque vllo imaginabili, etiam virtuali, Concurſu Dei; profectò non implicat ex generali ratione cauſæ, & effectus creati, ſimpliciter eſſe influxum cauſæ ſecundæ in effectum, ſine vllo immediato, & identificato influxu Dei, cuius tamen contrarium primitus docebant Aſſertores Scientiæ Mediæ: Igitur hic dicendi modus, volens nolens, inchoatiuè in noſtram deſcendit ſententiam.



Digitized by Google

V. Amplius argumentari licet; Quia hic dicendi modus reuocat totam libertatem noſtræ voluntatis in applicationem, & determinationem iſtam virtualem: At hoc eſt abſurdum: probatur antecedens; Quia eâ determinatione virtuali poſitâ, non eſt ampliùs in noſtra poteſtate cohibere influxum formalem ad actum voluntatis per quem ipſa dicitur formaliter determinata, & actu operans; alioqui determinatio virtualis non inferret infallibiliter formalem actum voluntatis,& actus voluntatis falsò diceretur eſſe neceſſariò connexus cum determinatione virtuali.

Conſequens verò oſtenditur eſſe falſum: Quia ſi ſemel admittamus antecedens,ſcilicet poſitâ determinatione virtuali non poſſe à nobis cohiberi determinationem formalem, Actus formalis ſequens determinationem iſtam virtualem non imputabitur nobis ad meritum, neque ad libertatem; ſed erit perinde atque externus actus conſequi ſolitus poſito actu elicito interno imperante: ambo enim iſti actus æquali neceſſitate conſequuntur ex alio præcedente: Igitur ambo æquè ſunt neceſſarij: Ergo quamuis negante forſitan Deo Concurſum ſuum ad formalem determinationem, non ſequatur actus formalis contritionis,exempli causâ; poſitâ tamen determinatione, & applicatione virtuali ad contritionem, homo nihilominus iuſtificabitur abſque contritione formali; quia iam fecerit omne id quod ipſi erat liberum,ac per conſequens omne id in quo tota,aut ſaltem præcipua ratio meriti cõſiſtebat: Poteſt autem Deus negare Concurſum, quia ipſe Concurſus,& decretum illius conferendi eſt poſteriùs illâ determination virtuali, in cuius præuiſione fundatur decretum abſolutum concurrendi.

Similiter quoque idem dici poterit de quolibet actu ſupernaturali; ſcilicet quòd poſitâ eiuſmodi applicatione, & determinatione virtuali ad quemlibet actum ſupernaturalem; æquè merebitur voluntas ſine actu formali, etiamſi fortè Deus ſuſpendat Concurſum ſuum,aut alio modo impediat actum formalem; Tametſi enim hæc applicatio non ſit realiter à voluntate diſtincta; non tamen idcircò erit minùs laudabilis, & honeſta in genere moris, vt apparet in volitione Dei.quam nullus dixerit eſſe minùs laudabilem,etiamſi ab ipſa Dei voluntate non diſtinguatur.

Vnde

Digitized by Google

Vnde iterùm argumentor; Ergo totum meritum erit independens ab omni principio creato ſupernaturali efficienter concurrente: Nam hæc applicatio eſt ante omnem Dei Concurſum; & præcedit ſimiliter Concurſum habituum: Cùm enim habitus operatiui ponantur ſolummodò ad formales actus eliciendos, & producendos; & iſta applicatio virtualis non producatur entitatiuè de nouo realiter, ſed ſit identificata voluntati; Certè non poteſt ea dependere ab habitu vllo concurrente in genere cauſæ efficiẽtis; Ergo ſi voluntas creata meritum aliquod habuit in iſta determinatione virtuali; meritum illud fuit independens ab omni principio creato ſupernaturali efficienter concurrente, cuius tamen contrarium frequenter alibi docent Aſſertores Scientiæ Mediæ: Præterquàm quòd explicari non poteſt; An quando elicitur actus formalis ſupernaturalis, determinatio virtualis illi anterior, fuerit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, aut naturalis: Si enim dicitur eſſe ſupernaturalis entitatiuè; quomodo poteſt identificari cum voluntate creata quæ eſt entitas ordinis merè naturalis? Si verò dicatur eſſe naturalis; quomodo per eam voluntas dicitur applicata, & determinata virtualiter ad ſupernaturaliter operandum?

Iterùm; ſequeretur voluntatem noſtram exercere libertatem ſuam non agendo formaliter, ſed ſolùm virtualiter ſe determinando: Hoc autem repugnat communi Doctorum ſententię, exiſtimantium libertatis exercitium conſiſtere in quadam efficientia, & actione formali, diſtincta realiter ab humana, & Angelica voluntate.

Inſuper; hic dicendi modus admittit determinationem iſtam virtualem eſſe realiter ipſam voluntatẽ, & tenere ſe ex parte actus primi; cuius etiam dicitur eſſe vltimum complementum. & tamẽ ſimul docet in illa, & ex illa ſic ſpectata poſſe præuideri effectum infallibiliter futurum, vtpote cum illa neceſſariò connexum, quæ duo ſimul cohærere non poſſunt; quia potentia libera poſitis omnibus ad agendum *prærequiſitis*, ſeu per modum actus primi ſe habentibus, poteſt adhuc agere, & non agere: Atqui omne id quod realiter eſt idem cum voluntate, & quod ſe tenet ex parte actus primi, tametſi dicatur, & ſit vltimum illius complementum, nu- VI.

V 2 merari

merari debet inter *prærequiſita* ad agendum: Ergo illo etiam poſito adhuc tamen effectus non eſt infallibiliter futurus; ſed eſt adhuc indifferens ad eſſendum, & non eſſendum, præſertim cùm Deus adhuc poſſit ſuſpendere, & negare Concurſum ſuum formalem, aut conferre alium oppoſitum, ſcilicet pro actu oppoſito determinationi virtuali, ſeu ad quem determinatio virtualis non tendebat, adeò vt, tametſi Deus præuideat determinationem virtualem ad odium, poſſit tamen Concurſum exhibere ad amorem: Ergo non poteſt actus formalis in illa determinatione virtuali præuideri, cognitione cui contradictionem implicet ſubeſſe periculum fruſtrationis, aut deceptionis; qualis debet eſſe illa Dei.

VII. Denique vt omittamus alias rationes quibus impugnari facilè poteſt: Certum eſſe debet, quòd cùm voluntas priùs *naturâ* quàm agat ſit indeterminata; poſteà verò ſe determinet ad agendum; non ſunt tamen neceſſariæ duæ actiones, quarum priore ſe determinet, poſteriore verò agat, exempli causâ, quando aliquis liberè diligit rem, nihil neceſſe eſt vt ibi interueniat duplex actus; vnus quo ſe determinet ad eam diligendam, & alius quò diligat (quanquam negari non poteſt quin aliquando interueniant duo àctus, vnus veluti imperans amorem, alter imperatus; vt cùm quis erumpit in actum amoris ex volitione formali quam priùs habuit eliciendi illum) ſed ſæpenumerò eſt vnicus tantùm realiter, ratione & virtualiter duplex; in quo quidem ratio determinandi, eſt prior quàm ratio diligendi; vnde etiam à quibuſdam vocatur prędeterminatio: At certè neutra ratio præuideri poteſt ante decretũ Dei, ſicut neutra independens eſt à decreto, ſi verum ſit creaturam nihil omnino poſſe operari ſine Concurſu Dei proximo, ſimultaneo, & identificato, quia Concurſus ad operandum non datur niſi ex decreto; determinare autem ſe ad diligendum èſt operari: Ex quo etiam infirmatur alia quædam ſimilis ſolutio à nonnullis adferri ſolita.

VIII. Dicunt enim; Deum præuidere voluntatem vt ſe accingentem ad actum, ſeu, quod idem eſt, vt ſe determinantem, & in illa accinctione, ac determinatione præuideri actum ipſum infallibiliter ſecuturum: Sed contrà, iſta enim accinctio ad actum, ac determinatio,

minatio, non eſt aliquid diſtinctum ab ipſo actu, & volitione: At quęlibet volitio eſt formalis determinatio voluntatis ad obiectum; neque enim poteſt aliqua volitio creata dari quæ ſit indifferens, vt per illam hæc, aut illa voluntas feratur diſiunctiuè ad hoc, vel ad illud obiectum, vel amore, vel odio, prout libuerit; ſed ſicut neceſſe eſt quamlibet volitionem creatam eſſe omnino addictam vni certæ voluntati, ita etiam addictam eſſe oportet vni certo obiecto, & vni certæ, ac determinatæ ſpeciei actus; adeo vt ille actus qui ſemel eſt odij, non poſſit vnquam eſſe amoris, & qui amoris eſt, odij eſſe nequeat: ergo ſi non poteſt formalis determinatio, & actus voluntatis præuideri à Deo ante decretum, neque etiam accinctio ad actum præuideri poterit ante decretum.

Dices; ratione poſſumus diſtinguere voluntatem quatenus ſe determinantem, ab eadem quatenus actu volente: Ergo Deus præuidere poteſt eam vt ſe determinantem, independenter à decreto: tametſi non pręuideat eã vt actu volentẽ, independenter ab ipſo decreto: Reſpondeo; conceſſo antecedente, nego conſequentiam; hæc enim diſtinctio rationis non ſufficit, vt Deus videat, & affirmet vnum ſine alio, vel ante aliud; præſertim cùm non fingat entia rationis, ſed vnumquodque comprehenſiuè cognoſcat prout eſt in ſe, & cum omnibus quibuſcum identificatur: Adde quòd, eſto videret rationem determinandi prius quàm rationem volendi, non tamen videret eam independenter à decreto, ſuppoſitis illis tuis principiis de quibus ſæpe.

Videri poteſt P. Rodericus de Arriaga diſp. 10. phyſicæ in quem nuper incidi, diu poſteaquàm hæc ſcripta eſſent, appellat enim modum iſtum dicendi recurrentem ad determinationem, applicationémue virtualem; omnium improbabiliſſimum, & in eum vehementer inuehitur.



Digitized by Google

# CAPVT VIII.

## *Refelluntur qui dicunt Deum reſpicere ad Concurſum creatæ voluntatis, vt ratione diſtinctum à Concurſu ipſius Dei.*

I. DIces; in operatione creati arbitrij diſtinguitur Concurſus creaturæ à Concurſu Dei virtualiter, & ratione; & inquantum eſt Concurſus arbitrij, non dependet à Deo, nec à determinatione voluntatis diuinæ; Nam determinatio diuinæ voluntatis ſolùm eſt ad ea quæ pendent à Deo; ergo ante eandem determinationem, verum & ſcibile eſt, quid futurum eſſet ex Concurſu, propriáque determinatione creati arbitrij ad ſuum actum, ſi hæ vel illæ conditiones ponerentur; conſequentia eſt euidens; quia obiectum quod non pendet à determinatione diuinæ voluntatis, eâ præciſâ ſeu priùs ratione quàm ea poſita intelligatur, verum eſt, & cognoſcibile à Deo tanquam verum.

Antecedens quoad primam partem eſt euidens; probatur autem quoad ſecundam; quia Concurſus arbitrij, quà talis, non aliud importat, quàm ordinem operationis ad talem cauſam; ſcilicet creatam; ſed ordo ad vnam cauſam non pendet ab alia cauſa: Quia ratio vnius ordinis, ſeu relationis, ſumitur præcisè à termino ſuo, & non à termino alterius ordinis; Ergo Concurſus creati arbitrij, quà talis, non pendet à Deo.

II. Sed contrà: Nam prima quidem pars antecedentis eſt vera, ſed ſecunda falſa ſuppoſitis principiis Auctorum Scientiæ Mediæ; quia Concurſus arbitrij creati, quà talis, & ſub illa ratione adhuc continetur intra latitudinem entis creati; Ergo, perte, non poteſt eſſe independens à Deo; quia cauſa ſecunda eſſentialiter pendet à prima; ergo ordo operationis ad cauſam ſecundam, & influxus cauſæ ſecundæ, eſſentialem habet dependentiam à prima, & ſic illi Concurſus non poſſunt diſtingui adæquatè perfectâ præciſione, etiam ratione noſtrâ, ſed ſolùm inadæquatè, & imperfectâ præciſione; quia

influxus

influxus cauſæ ſecundæ, non poteſt conceptu adæquato abſtrahere à ſubordinatione ad cauſam primam.

Neque obſtat quod dicebatur, Concurſum arbitrij, quà talem non aliud importare quàm ordinem, ſeu relationem operationis ad talem cauſam: Reſpondetur enim, relationem quidem illam, ſiue ordinem, pendere ab vna ſola cauſa *terminatiuè*, eò quòd vnius habitudinis vnus ſit terminus; poſſe tamen pendere à pluribus cauſis *effectiuè*, quo pacto relatio ſimilitudinis quæ eſt inter duo alba, ab vno quidem ſolo albo pendet tanquam à puro termino reſpectus, effectiuè tamen pendet à pluribus cauſis; vt à Deo, à dealbante, & ab albedine tanquam fundamento: Ad eundem igitur modum benè intelligitur, quòd ordo operationis ad cauſam ſecundam effectiuè pendeat, non à cauſa ſecunda ſola, ſed & à Deo, quod fateri neceſſariò debent aduerſarij, iuxta ſua principia, & ſanè priùs intelligimus fundamentum, & ſubiectum ordinis quàm ipſum ordinem: ergo priùs intelligitur actus, quàm ordo illius ad hanc, aut illam cauſam.

Ad conſequentiam verò Reſpondetur, potiùs contrarium inferri ex priori parte antecedentis; Cùm enim Scientia Media ſit propria perfectáque Scientia, per quam res quidditatiuè, & prout in ſe eſt, à Deo penetratur: Cúmq; propriæ perfectæque Scientiæ non poſſit obiici vnum eorum ſine altero, quæ ſolùm diſtinguntur ratione; ſequitur Concurſum arbitrij quà talem, non poſſe à Deo cognoſci prius ratione, quàm ipſius Dei Concurſus intelligatur.

Nam ſi Deus non diſtinguit ea quæ non ſunt in re diſtincta, vnumquodque enim cognoſcitur à Deo ſicut eſt, ſanè non poteſt Deus vnum Concurſum ab alio diſtinguere; hoc eſt vnum ab altero ſeorſim, & diſtinctè cognoſcere: Neque verò intelligi poteſt, diſtinctionem rationis quæ ſimpliciter eſt *non ens* & *nihil*, eſſe fundamentum conciliandi efficaciam decreti diuini, & Concurſus actualis ab illo manantis cum libertate creata; duriſſimum enim eſſet dicere, quòd ſi ratio nihil conciperet de illorum Concurſuum diſtinctione, diſſoluenda eſſet iſtiuſmodi concordia.

Replicant, manſuram diſtinctionem virtualem: Sed contrà; quia hoc perinde eſt ac ſi dicerent, nullam manſuram actu, & ſimpliciter: Prætereà, inde ſequeretur, Deum qui non concipit vt diſtincta, quæ

quæ ex natura rei diſtincta non ſunt, talis concordiæ non intelligere rationem, quam tamen nos intelligere poſſumus: Cùm potiùs fatendum eſſet eam facillimè quidem à Deo, & à beatis, à nobis autem vix capi poſſe: Adde quòd ipſe P. Suarez lib. 1. de abſoluta Scientia contingentium futurorum cap. 3. num. 14. docet Deum non priùs, etiam ſecundùm rationem, videre actionem liberi arbitrij, vt eſt ab ipſo Deo, quàm vt à creatura, & è conuerſo; quia, inquit, eſt vna indiuiſibilis actio, quam Deus ſimplici, & perfecto actu intuetur prout ea eſt in ſe, ſimúlque cognoſcit illam cum vtroque reſpectu, ſcilicet ad cauſam primam & ſecundam.

---

## CAPVT IX.

*Refelluntur qui dicunt Deum, vt decernat Concurſum voluntati creatæ neceſſarium, intueri per Scientiam Mediam actum eiuſdem voluntatis ſub generica ratione actionis, Itemque illi qui recurrunt ad mutuam prioritatem, poſterioritatémque actus liberi & decreti concurrendi ad illum.*

I. RESpondent aliqui; Deum concurrere ſolùm ad genericum gradum, & vniuerſalem rationem actionis, quæ, quantùm eſt ex parte Dei, poſſet ad quemlibet actum; bonum, aut malum; amoris, vel odij, pertinere, prout à voluntate creata Concurſum ſuum adiungente determinabitur, & ad certam ſpeciem ac ſingularitatem contrahetur: & quamuis actio creaturæ identificetur cum illa Dei; tamen Deus præuidens creaturam in his & illis circunſtantiis in actionem quandam ſingularem velle prorumpere, modò ipſe conferre velit ex parte ſua influxum ad genericam rationem actionis opportunum; ex illa præuiſione excitatur ad eum influxum pro eo puncto temporis conferendum.

Hæc ſolutio continet doctrinam ab aliis Aſſertoribus Scientiæ Mediæ

Mediæ refutari ſolitam; videtur autem deſumpta ex P. Didaco Ruiz diſt.46.ſect.10. num.16. & 17. Sed imprimis ſtare non poteſt cum identitate reali graduum metaphyſicorum inter ſe; neque cum veritate, identitatéque actionis à prima & ſecunda cauſa procedentis, cuius gradum genericum tantùm attingi, & produci à Deo eſt impoſſibile; quia gradus metaphyſici nō differunt à parte rei, ſed ſunt vna realis & phyſica entitas, ratione tantùm diuiſibilis; proindéque vel omnes attingendi & producendi ſunt ab eo qui ad eam entitatem Concurſum effectiuum impendit; vel nullus omninò: nam actio phyſica, cuiuſmodi eſt Concurſus, non facit præciſiones illas quas intellectus poteſt facere, attingendo aliquid in obiecto, & non attingendo aliud.

Secundò; vt ſolutio iſta veritatem haberet, oporteret Deum priùs intueri rationem ſpecificam, & ſingularem actionis à creatura profecturæ; vt inde veluti excitatus decerneret concurrere ad genericum illius gradum: at hoc eſt impoſſibile; tum quia cùm ratio iſta ſpecifica, & ſingularis ſit ens participatum; æquè depoſcit diuinum Concurſum, ac alius quilibet gradus in entitate reali ſimiliter fundatus; Et tamen dicis eam præuideri antequam conſtet de Concurſu, & de decreto concurrendi: Tum quia influxus Dei manat ab eo in aliqua certa ſpecie, & indiuiduo; neque ſolùm eſt indiuiduum generis, ſcilicet entis, aut actionis, ſed eſt indiuiduum certæ cuiuſdam ac determinatæ ſpeciei, cùm ſit influxus ſingularis & exiſtens, ac proinde neceſſariò eſſe debeat in aliqua ſpecie infima & perfectè indiuiduus: neque imaginandum eſt, quòd is ſit aliqua entitas generica tantùm, & vniuerſalis, cui creatura ſuperaddat aliam entitatem, ſcilicet differentiam phyſicam, & ſingularitatem; hoc enim intolerandum abſurdum eſſet.

Quòd ſi aliquando dici ſolet, limitationem & modificationem diuini Concurſus à creatura prouenire; non id ita accipiunt qui inter Aſſertores Scientiæ Mediæ veriſimiliùs opinātur, quaſi Deus attingat ſolùm gradum genericum actionis, ſed quia Deus quantùm eſt ex ſe, non limitat Concurſum ſuum ad vnam ſpeciem actus, ſed paratus eſt conferre Concurſum ad eam actionis ſpeciem quam cauſa illa exiget cum qua coëfficit actionem; ſiue ea cauſa ſit ad vnum determinata ex natura ſua, ſiue ſit libera.

X Tum

Tum quia ſi fieri poſſet vt diuinus intuitus ferretur prius in vnũ gradum metaphyſicum alicuius actionis,quàm in alium,probabiliùs fortè dicerent Aſſertores Scientiæ Mediæ, Deum prius ratione intueri gradum genericum,quàm ſpecificum ; quia gradus vniuerſalior,& ſuperior prior eſt inferiore, prioritate logicâ,quæ deſumitur ex ſubſiſtendi conſequentia.

11. Dices ; *Cauſæ ſibi inuicem poſſunt eſſe cauſæ, præſertim in diuerſo genere:* Ergo fieri poterit vt ſit mutua prioritas, & poſterioritas inter decretum diuinæ voluntatis, & effectum liberè à creatura producendum: nam decretum eſt cauſa actus liberi velut in genere cauſæ effectiuæ, ſaltem mediatè,& ſic præcedit effectum;rurſúmque, actus liber erit velut cauſa decreti, quatenus Deus ideò decreuit ſe concurſurum ad hanc potiùs quàm ad illam partem ; quia p̃ præuidet creaturam hunc aut illum actum liberum,& non alium profundentem ; & ſic effectus liber,vel determinatio creatæ voluntatis præcedet decretum ſub ratione diſpoſitionis, & motiui;vel cõditionis : Quid ergo mirum ſi Deus intueri poſſit effectum illum ſub conditione fururum priùs ratione quàm habeat decretum cõcurrendi ad illum : & Confirmari poteſt obiectio;quia tametſi noſter intellectus ad mutuam iſtam prioritatem, poſterioritatémque capiendam difficultatis plurimùm ſentiat:non eſt tamen ideò dimittenda vera ſententia : ſed credere debemus actum futurum præcedere quodammodo decretum Dei,cùm tamen ex alia parte decretum ipſum ſit neceſſarium, & præſupponi debeat ad futuritionem effectus : neque verò id videri debet inſolens,& indignum viro Theologo, cùm ne ipſi quidem prædeterminantes erubuerint iſtam philoſophandi rationem, qui phyſicæ Prædeterminationis concordiam cum libertate creati arbitrij dixerunt rem eſſe admirandam & ineffabilem : ideòque fide tenendam,etiamſi non intelligeretur,captiuando intellectum in obſequium fidei.

Denique, illa ſententia in præſente negotio eſt præferenda,quę humanam rationem, & ingenium minùs torquet : at ex duabus quarum alterutram ſequitur hoc tempore vniuerſa ferè Theologorum multitudo, illa eſt facilior quæ docet determinationem creatæ voluntatis, aut aliquid huiuſmodi præuideri poſſe à Deo, vnde ipſe excitatus, ac veluti obiectiuè permotus decernat abſolutè

Digitized by Google

lutè qualiſnam Concurſus creaturæ ſit exhibendus.

Reſpondeo, Et hic dicendi modus inutilis eſt: nam ad id quod primò dicitur; *Cauſæ poſſunt ſibi inuicem eſſe cauſa*. Reſpondetur, hanc euaſionem nihil iuuare Aſſertores Scientiæ Mediæ, quandoquidem ipſimet communiter docent, id quod nos quoque in phyſica ſecuti ſumus, quòd quando agitur de cauſa quæ debet præſupponi exiſtens, ſaltem ordine naturæ, vt cauſet; fieri non poteſt vt duæ res ſint ſibi inuicem cauſæ, ſeu, quod idem eſt, vt idem ſit cauſa & effectus alterius, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo genere cauſæ ſecundùm eandem exiſtendi rationem: at in noſtro caſu, decretum eſt priùs actu libero in genere cauſæ præſupponentis exiſtentiam, ſaltem futuram, ſcilicet in genere diſpoſitionis & motiui; cùm non poſſit ipſe actus eſſe motiuum inducens, niſi cognoſcatur, neque poſſit cognoſci vt extiturus, quin præſupponatur habiturus exiſtentiam; atqui non poteſt intelligi quòd ſit habiturus exiſtentiam niſi concurrentibus omnibus ac ſingulis cauſis aquarum influxu pendet, inter quas numerari debet Deus qui non concurrit niſi ex decreto; ergo non poteſt videri ante decretum.

Inſtabis; actus liber propter quem conferri debet Concurſus, eſt veluti cauſa finalis illius, atqui finis, vt cauſet, non requirit exiſtentiam actualem, ſed ſolùm apprehenſam; vt patet exemplo ſanitatis, ad quam obtinendam aliquis ambulat; prior eſt enim ſanitas in genere cauſæ finalis, ambulatione: ipſa verò ambulatio, prior ſanitate in genere cauſæ efficientis.

Reſpondeo; ſi ambulatio eſſet medium omnino neceſſarium ad obtinendam ſanitatem vt finem; poſſet aliquis intendere ex ſeipſo maximo affectu ſanitatem, priuſquàm præuideret ſe ambulaturum; & ſic ſanitas eſſet priùs in intentione, quàm ambulatio in præuiſione; quia non videret ſe ambulaturum niſi poſt decretum ambulandi: atqui non decerneret ambulationem, niſi quia intenderet ſanitatem, ad cuius conſecutionem ambulatio eſſet medium omninò neceſſarium: nos autem media vſurpamus ex intentione finis; ſed non poſſet præuidere ſanitatem, vt certò futuram; priuſquàm ſe cognoſceret ambulaturum; quia ambulatio eſſet medium neceſſarium ad ſanitatem, & cauſa efficiens illius: Ita ſimiliter ſi Concurſus Dei proximus eſſet omninò neceſſarius ad

actum liberum noſtræ voluntatis tanquam medium ad finem aliquem à ſe diſtinctum, poſſet Deus ex ſeipſo & inconſultâ noſtrâ voluntate intendere huiuſmodi actum noſtrum, priuſquàm præuideret Concurſum illum ſuum vt futurum; (quod tamen non facit ex ſeipſo, & inconſultâ noſtrâ voluntate, alioquin præfiniret omnes actus noſtros liberos) ſed non poteſt priùs videre actum noſtrum liberum certò eſſe futurum, quàm Concurſum ſuum; quia Concurſus, per te, eſt omninò neceſſarius ad actum, non tanquam medium ad finem à ſe diſtinctum, ſed potiùs tanquam aliquid indiſtinctum, & omnino identificatum cum actu, quem tu aſſeris non niſi Deo proximè, & identificè concurrente produci poſſe.

Ad primam confirmationem quâ dicitur captiuandus intellectus in obſequium Scientiæ Mediæ, quemadmodum nonnulli ex Prædeterminantibus voluerunt eum captiuari in obſequium prædeterminationis phyſicæ: Reſpondeo; Aſſertores Scientiæ Mediç multùm reprehendere illos Prædeterminantes qui ſubmiſſionem illam intellectualem poſtulant in obſequium Prædeterminationis phyſicæ; quapropter non eſt conſentaneum rationi, vt, quod in aliis arguunt, ipſi committant; cùm vſus iſte Scientiæ Mediæ, prout ab Aſſertoribus ſuis exponitur, videlicet dirigendi Deum ad concurrendum nobiſcum proximè, & identificè, neque ſit ſupernaturale myſterium, neque ad ſupernaturalem fidem magis pertineat, quàm Prædeterminatio phyſica.

Quin potiùs, cùm vtraque ſententia inſuperabiles patiatur difficultates, & incommoda quæ vitari non poſſunt, niſi reformando principia, ex quorum ſuppoſitione, ſi ea fuiſſent vera, ſequebatur vt neceſſariò alterutra factio eſſet amplectenda; cúmque nulla nos cogat neceſſitas ad amplectendam alterutram: quinimò cùm neutra rationabiliter ſuſtineri poſſe videatur; meritò permoti fuimus ad iterùm examinanda ac refutanda principia illa, quæ pleróſque huius ætatis Theologos in eas adegerant anguſtias, vt alterutram ex prædictis ſententiis amplecti cogerentur.

CAPVT

## CAPVT X.

*Refelluntur qui dicunt; Deum attendere ad actum quem creata voluntas faceret, ſi permitteretur operari ſola, quemadmodum Deus permittere poterat; aut ad eum quem faceret, ſi per impoſſibile, operaretur abſque proximo & immediato Concurſu Dei.*

PRopterea igitur nonnulli ex Aſſertoribus Scientiæ Mediæ aliam tentantes viam, Reſponderunt; potuiſſe quidem Deum permittere, vt creaturæ actiones ſuas elicerent abſque actuali, immediato, & identificato influxu phyſico ipſius, ſi talem prouidentiæ modum elegiſſet, voluiſſe tamen de facto concurrere prout creatæ voluntatis exigentia poſtularet; tum deinde intuitum fuiſſe Scientiâ ſuâ infinitâ quidnam ſingulæ voluntates creatę in ſingulis occaſionibus eſſent voliture, ſi ſolæ agerent, vt in illud momentum, & ad illam actionem aut effectum Concurſus ſui prædefinitionem dirigeret; poſtmodum verò ſtatuiſſe abſoluto decreto ſe Concurſurum ad illum duntaxat eundem actum quem creata voluntas præuiſa fuerat elicitura, ſi ſola abſque identificato Concurſu Dei operata fuiſſet, prout fieri poterat vt operaretur ſola; ac denique ex vi iſtius decreti pro illa ſola actione, aut effectu, & pro illo tempore, ac momento particularem Concurſum exhiberi nobis à Deo, cúmque ab actu noſtro realiter indiſtinctum; ex quo fit Deum neque præuenire, neque ſubſequi momento temporis influxum noſtrum; ſed Deum & nos omnino ſimul inchoare actum noſtrum, perſeuerare in illo, & ab eodem ceſſare, & ſic qualiſcumque ſit ille Concurſus qui nobis in tempore exhibetur; noſtræ ipſorum, inquiunt, libertati, & electioni imputari debet, neque enim Deus ſtatuit quidquam de actibus noſtris præfiniendo, & volendo vt eſſent, aut non eſſent, niſi conſultâ, expectatâ, & exploratâ voluntate noſtrâ; vt verum ſit quod dixit Sapiens, Deum optimum I.

maximum non niſi cum reuerentia de rebus noſtris diſponere.

11. Sed profectò ne id quidem verum eſſe poteſt; neque ſi verum eſſet, ſufficere poſſet ad ſaluandam libertatem noſtram cum diuino Concurſu, prout infrà demonſtratum relinquemus: Et ſanè impoſſibile eſt, quòd Deus abſolutè decernat concurrere identificato Cõcurſu ad eundem ipſum actum quem creata voluntas operata fuiſſet, ſi Deus illam ſolam operari permiſiſſet; præterquàm quòd modus iſte concurrendi ad actus intrinſecè prauos diuinam non ſaluat innocentiam, & ſanctitatem.

Dices; facilè poteſt intelligi quòd Deus præuideat quidnam creata voluntas eſſet electura, ſi, per impoſſibile, poſſet operari ſola ſine Concurſu Dei immediato, & identificato; vt prænoſcens ſpeciem actus in quam voluntas in tali caſu erumperet, conferat eum ſpecie Concurſum, quem animaduertit exigi à voluntate creata pro illo puncto, & momento temporis: Neque mirum id eſſe debet; quandoquidem aliàs ſæpè diſputamus, & ratiocinamur ex hypotheſi impoſſibili, non modò in philoſophia, ſed etiã in theologia: vt dum quęrimus, An ſi Deus eſſet agens neceſſarium, tolleretur omnis contingentia à rebus; & dum dicimus, ſi lapis eſſet animal, ſentiret; ſi homo haberet alas, volaret; ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo: Igitur non debet vſqueadeò improbari modus iſte philoſophandi, quo dicitur Deum intueri, & explorare, quid creata voluntas eſſet volitura hîc & nunc, ſi per impoſſibile, determinare ſeipſam potuiſſet abſque vllo Concurſu Dei effectiuo proximo & immediato qualem communis ſententia poſtulat, vt inde ſe determinet Deus ad eam ipſam volitionem ad quam voluntas noſtra, eâ hypotheſi darâ ſeipſam determinaſſet.

Reſpondeo: aduerſarij qui ſe in omne latus verſant vt præſcientiam iſtam decreto priorem explicare, ac tueri poſſint, hunc etiam dicendi modum admiſerunt, quorum eſt Theophilus diſt: 8 cit. q. 5. art. 5 vti conſtat ex iis quæ ſuprà retulimus, & alij plures: ſed facilè poſſumus contra eos argumentari.

Primò, quia Granadus in primam partem quæſt. de Scientia diſp. 3. ſect. 4. expreſsè fatetur propoſitiones conditionatas, in quibus conditio eſt impoſſibilis, non affirmari immediatè à Deo; ſed ſolùm

cognoſci

Digitized by Google

cognoſci ab eo quatenus cognoſcit eas ab aliquo intellectu creato formari poſſe; Quia, inquit, ſimiles conditiones prorſus impoſſibiles non decent ſummam ſapientiam; quia ex modo enunciandi colligi videtur eas reputari poſſibiles; ſecus eſſet quando illæ apponerentur ad denotandum firmiſſimum decretum Dei non faciendi aliquid: tunc enim Deum maximè decerent, exempli causâ, ſi ego non eſſem Deus, non ita amarem iuſtos, &c.

Secundò; quoniam dato, & non conceſſo, quòd Deus prædictam Scientiam habeat propoſitionum ex conditione impoſſibili; tamen incredibile eſt quòd Deus eâ cognitione gubernetur & moueatur ad exhibendum hunc potius quàm illum Concurſum voluntati creatæ; Probatur, quia ſi voluntas creata abſque Concurſu proximo Dei poſſet operari, ac determinare ſeipſam, per ſe, eſſet independens à Deo in eſſendo, eſſétque increata; Quia, vt tu frequenter vrges, *Operari ſequitur eſſe*: ergo nunquam peccaret, neque poſſet vllo modo determinare ſeipſam ad actionem illicitam, & turpem: ergo dum Deus concurrit cum voluntate creata ad actionem illicitam, non poteſt id facere propter illam præſcientiam; ſcilicet, quia ſi voluntas creata operari poſſet ſola, determinaret ſe ad eiuſmodi actionem illicitam.

Dices, in hypotheſi illius præſcientiæ conditionalis præſupponitur quòd noſtra voluntas non eſſet Deus, ſed eſſet peccatis obnoxia: & quòd nihilominus operari poſſet abſq; immediato & identificato Concurſu Dei: Reſpondeo: admitti poſſe hypotheſim diſputandi gratiâ; ſcilicet quòd, ſi poſſibile eſſet voluntatem creatam operari ſolam, ita vt ipſa adhuc eſſet peccatis obnoxia: tunc Deus poſſet illam præuidere vt operantem, ante decretum concurrendi; imò & aliquando peccantem: quia fingimus illam tunc fore principium completum, & ſufficiens ad operandum, & alioqui defectibile; ſed negandum eſt omnino, Deum poſſe ex tali præuiſione moueri vt determinet Concurſum ſuum ad eam ipſam volitionem, ad quam voluntas noſtra, eâ hypotheſi datâ, determinaret ſeipſam: Probatur, quia Deo concurrente cum creatura Concurſu identificato, impoſſibile eſt quod ipſe faciat eandem actionem quam creatura feciſſet ſola, ſed neceſſe eſt actionem erumpere diuerſam ſpecie & numero, ab ea quæ fieret adæquatè à creatura quemadmodum III.

dum nos in prima parte huius opuſculi diximus;ſed impoſſibile eſt vt Deus decernat ſe facturum aliquid impoſſibile,ergo impoſſibile eſt vt decernat ſe proximè,& identicè concurſurum cum creatura ad eam ipſam actionem quam creatura feciſſet ſola , ſi , per impoſſibile, ita operari potuiſſet.

Dices; Deus non decerneret ſe facturum eandem ipſam volitionem quam creatura faceret, ſi ſola poſſet operari;ſed aliam quãdam eiuſdem generis; tametſi numero, ac ſpecie diſtinctam, vt, exempli causâ, actum amoris,aut odij,ſi creatura erat amatura,vel fortè actum oppoſitum odij elicitura.

Sed contrà:quia adhuc hinc ſequeretur, nullam actionem noſtram reuerà, & de facto eſſe reſpectu noſtri liberam, aut imputari poſſe nobis ad culpam; Quia quamuis hæc ſententia ſaluet libertatem noſtram, & culpæ imputabilitatem ſub conditione; tamen abſolutè vtramque negat; quod ſic probo.

Voluntas creata de facto non peccat, neque exercet libertatem ſuam in eo quod faceret ſi potuiſſet operari ſola; ſed neque etiam exercet eandem in iis actibus quos de facto elicit,& operatur; ergo nullo modo eſt libera abſolutè , neque peccat.

Probo antecedens quoad primam partem; Quia nullus peccat, aut eſt liber in eo quod ageret, præſertim ex hypotheſi impoſſibili, ſi verè & de facto hoc non agit; alioqui omnes iuſti peccarent ſemper,quia,datâ hypotheſi vehementium tentationum, & occaſionũ peccandi, abſque ſpecialiſſimo Dei fauore, ſi communi prouidentiæ relinquerentur,peccarent; Et tamen certum eſt eos non ſemper peccare.

Sed neque etiam peccat quis, aut liber eſt in eo quod de facto vult,& operatur, ſi Deus decreuit producere cum creatura aliam quandam actionem,numero ac ſpecie diſtinctam ab ea quam creatura elicuiſſet, ſi illi permiſſum fuiſſet vt ſola operaretur; quæ erat ſecunda pars antecedentis, quam ſic probo; Quia priuſquàm voluntas iſta creata ſimpliciter & de facto operetur, & exerceat libertatem ſuam in actu quem ſupponimus eſſe prohibitum,Deus ponit aliquid in ea cum quo non poteſt coniungi negatio prauæ operationis: ſcilicet Concurſum ſuum ad prauam iſtam operationem, qui Concurſus,per te, identificatur omnino cum illa ipſa operatione praua

ne praua; & quidem Concurſum illum ponit in creata voluntate independenter ab vſu libertatis illius ſimpliciter, & abſolutè: Igitur nullam in ea relinquit libertatem, aut culpæ imputabilitatem.

Neque obſtat; quòd voluntas iſta præuidebatur liberè, & culpabiliter operatura, ſi ſola operata fuiſſet; hoc enim non eſt illam operatam fuiſſe liberè & culpabiliter; ſed ſolùm operaturam fuiſſe, ſi conditio poni potuiſſet: Sanè actio illa, ſi producta fuiſſet, pependiſſet ab vſu libertatis, & malitiam intrinſecam habuiſſet; ſed non pendet de facto, nec pependit vnquam; neque per eam voluntas libertatem ſuam, & prauitatem exercuit; quia nequidem actio iſta exiſtit, aut extitit; ſed ſolùm exiſteret, aut extitiſſet præſuppoſitâ conditione impoſſibili, & quæ impleri non potuit: Igitur ex eo quòd libertas, & culpa futura fuiſſet in illa altera actione quæ, per te in æternum produci non potuit, non ſequitur, quòd vtraque conditio, ſcilicet culpa, & libertas, reperiatur in iſta quæ fit loco alterius, & quæ ab illa altera numero & ſpecie diſtinguitur; & quæ ab ea tanquam à remota quadam occaſione, & conditione dependere confingitur.

Confirmatur; ſi quæ eſſet ratio imputandi culpæ, & libertati noſtræ potiùs quàm Deo actionem quæ de facto fit, & producitur; nimirùm hæc vna eſſet, ſcilicet, quia libertas & culpæ imputabilitas deriuatur in actionem noſtram, ex eo quòd Deus non produceret illam in nobis, niſi præſciret quòd voluntas noſtra determinatura fuiſſet ſeipſam ad ſimilem quandam actionem, ſi ſola potuiſſet operari; ad hoc enim maximè inducitur illa præſcientia operationis producendæ ex hypotheſi impoſſibili; vt Deus excuſetur, & libertas hominis conſeruetur, non obſtante proximo, ſimultaneo & identificato Concurſu Dei. IV.

Sed hæc ratio nihil valet ad propoſitum; quod ſic probo: Vt libertas & culpa deriuetur ab aliquo actu in alium, qui alioqui neceſſarius eſſet, ac propterea immunis ab omni culpa; neceſſe eſt illum priorem actum, ſimpliciter, & reipsâ fuiſſe liberum, & culpabilem; & prætereà fuiſſe cauſam alterius in quem malitia & libertas deriuatur; vti patet in actu externo turpi, in quem malitia & libertas deriuatur ab actu interno imperante, cui primitiua, & formalis malitia, ac libertas ineſt: ſed actus quem voluntas creata

operaretur ſola ex hypotheſi impoſſibili, nullam habet malitiam, aut libertatem, vt ſuprà dictum eſt: Ergo nullam quoque deriuare poterit in actum qui de facto producitur: Igitur incredibile eſt quòd Deus eâ præuiſione rei impoſſibilis gubernetur, & moueatur ad exhibendum voluntati creatæ Concurſum identificatum cum actu malo, potiùs quàm identificatum cum actu bono; éſtque impoſſibile vt propter hoc electioni & malitiæ noſtræ imputetur quòd Deus cooperatus nobiſcum fuerit ad actus iſtius ſpeciei, potiùs quàm ad oppoſitos.

Ampliùs; ſupponamus Deum habere decretum eleuandi me ad viſionem & amorem beatificum, ſi fortè præuideret me elicitúrum fore actum liberum dilectionis diuinæ caſu quo ipſe me diutiùs in hac vita mortali relinqueret; ſanè ſi ipſe me præueniret, eleuarétque ad amorem beatificum, dilectionis actus non eſſet liber, tametſi penderet occaſionaliter ab illo alio actu dilectionis quem ego liberè elicuiſſem, niſi præuentus à Deo fuiſſem, ac viſione beatificâ determinatus ad amandum Deum: ſicut ergo ille actus qui futurus fuiſſet liber, ac meritorius ſi ego illum elicuiſſem, prout reuerà elicuiſſem ſi Deus id præuidens non me præueniſſet, nullam deriuat libertatem, nec meritum in actum dilectionis beatificæ quem loco illius alterius elicio; Ita in propoſito.

Econtrà verò; ſupponamus Deum præuidiſſe, fore vt aliquis in hoc inſtante, ſi ratione & libertate ſuâ vtatur, graue aliquod peccatum ſit admiſſurus; & tamen contingere, vel ex ordinatione & prouidentia Dei, vel caſu & fortuitò, vt ille homo in eodem inſtante eundem actum præuiſum à Deo efficiat, ſed abſque vſu rationis & libertatis (Si quidem in exemplis non requiritur veritas, & ſi requireretur, ſaltem probabile eſt eundem numero actum etiam internum, nam de externis non dubito, eſſe poſſe liberum, aut neceſſarium, & eum qui eſt neceſſarius potuiſſe produci cum libertate, & contrà, neque ad hoc eſſe neceſſariam variationem phyſicam, ſeu entitatiuam in actu) Certè, in eo caſu, homo iſte nõ peccaret. At omnino idem dicendum eſt in propoſito: Ergo iſte dicendi modus, tametſi ſaluet libertatem noſtram, meritúmque, & culpæ imputabilitatem, ſub conditione; negat tamen vtrumque ſimpliciter, & abſolutè.

Quinimò,

Quinimò; prorſus facit Deum Auctorem peccati: nam ſi ego certiſſimè ex Angelica, aut Diuina reuelatione præſcirem, fore vt Petrus in hoc inſtante ſe occidat, ſi ſibi, & ſuæ libertati relinquatur; ac propterea ego præuenirem & occiderem eum; reuerà non illi, ſed mihi tribueretur occiſio & peccatum homicidij; ergo ſimiliter tametſi præſciret Deus voluntatem meam ſic, vel ſic fore determinandam, caſu quo ipſa ſe determinaret; ſi tamen iam non ipſa ſe, ſed Deus illam determinat, tota determinatio, atque adeò culpa erit à Deo eo maiori ratione quòd nunc de facto nunquam voluntas ſe determinaret, ſi Deus illam non determinaret, iuxta hanc ſententiam quæ procedit ex hypotheſi, quam ipſa ſupponit eſſe impoſſibilem: At hæc omnia ſunt abſurda & falſa: Igitur & illud falſum eſt vnde neceſſariò conſequuntur; ex quo etiam conſequens eſt Deum non concurrere ad actus noſtros liberos Concurſu proximo, & identificato, ſed duntaxat remoto, quemadmodum fuſiùs infrà totâ quartâ parte præſentis opuſculi dicturi ſumus.

## CAPVT XI.

*Refelluntur qui confugiunt ad immediatum Concurſum Dei, non quidem identificatum cum influxu creaturæ, ſed diſtinctum ab eo realiter, ſimultaneum tamen, & comitantem.*

AT fortè obiiciet aliquis; argumenta noſtra non procedere niſi ex ſuppoſitione quòd Concurſus Dei exiſtimetur eſſe omnino indiſtinctus à Concurſu & actione creaturæ; ex quo fit vt nihil nocere poſſint illis Aſſertoribus Scientiæ Mediæ, aut Prædeterminantibus, qui poſuerint illos ambos influxus realiter eſſe diſtinctos, & in productione cuiuſcunque effectus à creatura procedentis duas interuenire actiones; vnam Dei, & alteram creatu- I.

ræ; ita tamen vt vtraque vtriuſque requirat conſortium, & ſocietatem: Atqui non deſunt, hac etiam tempeſtate, qui exiſtiment Concurſum Dei realiter eſſe diſtinctum ab influxu & Concurſu creaturæ; qui quidem ita ratiocinari poterunt de decreto Dei cõcurrendi ad actus noſtros, vt dicant, Deum per Scientiam Conditionatam intueri creaturam vt elicientem actionem ſuam; atque adeò ipſum inde excitari vt ſubitò adiungat ſe ad promendam ſimul, ac ſemel actionem ſuam diſtinctam ab illa creaturę quę etiam ad effectus exiſtentiam eſt neceſſaria.

II. Sed contrà primò; quia hoc eſt apertè deſerere ſẽtẽtiam quam vſque ad hæc tempora ſecuti ſunt Aſſertores Scientiæ Mediæ, tùm in libris philoſophicis, ac theologicis prælo commiſſis, tùm etiam in ſcholis ſuis, qui omnes exiſtimauerunt Concurſum Dei à Concurſu creaturæ realiter eſſe indiſtinctum; quod etiam vniuerſi ferè Prædeterminantes cenſuerunt.

Secundò; quia hic dicendi modus non euitat argumenta quibus in poſtrema parte oſtendemus, Deum non poſſe concurrere ad actus intrinſecè prauos Concurſu identificato, & ſimultaneo, quæ pari omnino ratione oſtendunt eum non poſſe concurrere Concurſu iſto immediato, ſimultaneo, & comitante, tametſi fingatur realiter diſtinctus à Concurſu creaturæ; huiuſmodi enim cooperatio non minùs repugnat legi naturali, & diuinæ Sanctitati; quàm cooperatio realiter indiſtincta; ex quo fit vt argumenta illa inſtaurari poſſint ac debeant, & applicari aduerſus Concurſum iſtum immediatum diſtinctum, ſimultaneum tamen, & comitantem.

Tertiò; quia oſtendi non poteſt ex quo capite neceſſaria ſit iſta concomitans operatio diuina attingens immediatè effectum, ſi nõ ſit neceſſaria cooperatio identificata, & indiſtincta: Neque enim dici poteſt pertinere ad diuinam perfectionem, vt ipſe immediatè producat quamlibet prorſus creaturam; ſicut ad eius perfectionem pertinet, vt cognoſcat quidquid ab aliqua creatura cognoſcitur; præſertim cùm productio totius mundi nulla ſit perfectio Dei; & alioquin plurima ſint obiecta quæ tametſi Deus perfectiſſimè videat, eò quòd in eorum cognitione nullum peccatum ſit, non poteſt tamen velle, nec producere, aut operari illa, ſcilicet impediente

pediente diuinâ innocentiâ ac ſanctitate, præterquàm quòd iſta ſententia minimè ſatisfacit intentioni ſuæ: Tametſi enim dicat, Deum producere quemlibet effectum, ſeu terminum quem creatura ſuâ actione producit; admittit tamen Deum non aliter producere, quàm mediatè eam ipſam actionem quæ à creatura elicitur; igitur non ſaluat quòd Deus debeat immediatè producere omne id quod à creatura producitur; ſiquidem & ipſa actio creaturæ eſt aliquid ab ea productum, ſaltem vt quo, & dicitur, éſtque verè creatura.

Neque ſecundò afferri poteſt ratio ex parte effectus qui producitur; nam ſi verè producitur à creatura per vnam actionem; fruſtra adiicitur alia actio à ſolo Deo profecta, quandoquidem ſufficienter ſatisfit indigentiæ effectus, ſeu termini per vnicam actionem, ſeu dependentiam; nam ſicut effectui ſufficit vna exiſtentia, ita ſufficere debet vna illius receptio, ac productio. II

Sed neque etiam tertiò afferri poteſt ratio ex parte cauſæ creatæ producẽtis effectũ, & fundentis ex ſe actionem; alioquin non poſſet ampliùs probari ratione naturali duas cauſas efficientes totales, ac totaliter concurrentes nõ poſſe naturaliter producere eundem numero effectum; & Confirmatur; nam vel actio creaturæ attingit totũ effectum ſecũdùm omnẽ gradũ illius genericum, & ſpecificũ, & ſingularem, vel non; ſi non; ergo iſti gradus ſunt à parte rei diſtincti; quandoquidem creatura producit vnum, & Deus alterum; at hoc eſt contra communem ſententiam omnium Aſſertorum Scientiæ Mediæ; ſi ſic; quæro, cùm per illam actionem totus effectus egrediatur à cauſa ſecunda, & totus trãsferatur de non eſſe ad eſſe, & totus accipiat exiſtentiam: ad quid neceſſaria eſſe poſſit illa actio altera quam dicunt à ſolo Deo profectam; erit ſanè omnino ſuperflua: ergo ſi cooperatio Dei identificata, & indiſtincta non eſt: neceſſaria ad hoc vt creatura poſſit operari: neque ſimiliter erit neceſſaria illa altera cooperatio comitans, ac ſimultanea.

Denique, vel Concurſus iſte immediatus, & ſimultaneus eſt indiſpenſabiliter neceſſarius ad quamlibet actionem creaturę, & vinculo indiſſolubili cum illa coniunctus; vel eſt ſolùm voluntarius, adeo vt ſine illo creatura potuiſſet operari ſola ſi Deus id voluiſſet; ſi voluntarius, ergo gratis & ſine fundamento, ac prorſus volunta- III.



Digitized by Google

riè multiplicantur actiones ad productionem vnius numero termini; ſi eſt omnino neceſſarius: vel igitur Deus ſtatuit ac decernit eum conferre antecedenter, & inconſultâ voluntate creatâ, & ſic trahet ſecum voluntatem creatam ad operandum, & libertatem abripiet, non minus quàm prædeterminatio phyſica; quia inconſultâ voluntate creatâ decernit ſe producturum, atque adeò producit aliquid in ea, quo poſito non poteſt non ſequi actio voluntatis; vel decernit eum exhibere conſultâ voluntate, & tunc recurrunt omnia ferè argumenta quibus ſuprà oſtendimus explicari non poſſe, quidnam Deus viderit in creata voluntate, vnde excitatus ſuum Concurſum ſimultaneum decreuerit exhibere, cùm non poſſit voluntas creata præuideri operabunda, vel operatura quin iam habuerit coniunctum Concurſum iſtum Dei immediatum & ſimultaneum.

IV. Supereſt igitur vt dicamus, Concurſum Dei debere eſſe aliquid antecedens actum noſtrum, & ſe habere per modum actus primi, & quo poſito in noſtra voluntate, etiam in ſenſu compoſito, voluntas noſtra poſſit adhuc operari, aut ab operatione deſiſtere, prout ipſi placuerit; & quidem pro actu *naturali* dici poteſt Concurſum illum eſſe conſeruationem potentiæ, & virtutis agendi & propenſionis ad agendum à Deo deſcendentis; pro actu verò *ſupernaturali* præter ea quæ ſunt naturalia dici poteſt eſſe qualitatem aliquam ſupernaturalem, ſubditam tamen arbitrio, & libertati voluntatis potentis illâ vti ad agendum, aut illam ab operatione frænare ad libitum, quemadmodum dicemus infra parte quarta præſentis opuſculi in examine quæſtionis Philoſophicæ de Concurſu Dei remoto, aut proximo, ſolutione argumentorum.

Atque hæc eadem argumenta ferè applicari poſſunt aduerſus eos qui fortè exiſtimarent actionem non eſſe modum ex natura rei diſtinctum à cauſa agente, & termino, ſeu effectu qui ab ea producitur, contra quos nihil neceſſe eſt peculiariter hîc diſputare.

CAPVT

## CAPVT XII.

### *Refelluntur qui cùm admittant neceſſitatem diuini Concurſus identificati, negant tamen in Deo volitionem abſolutam, & efficacem concurrendi nobiſcum certo, peculiari, ac determinato Concurſu; ſolamque admittunt conditionatam, & diſiunctiuam.*

Recuſant nonnulli admittere in Deo decretum abſolutum, & efficax, ac particulare dandi hunc vel illum determinatum Concurſum; ſed ſufficere putant voluntatem aut decretum conditionatum, & generale concurrendi, ſi voluntas humana voluerit, quâ conditione impletâ, voluntas conditionata, inquiunt, trãſit in abſolutam, & ex illa ſequitur Concurſus: Ita Leſſius de gratia c. 4. *Sicut*(inquit)*cum quis donat aliquid ſub certa conditione, poſitâ iſtâ conditione donatio ſit abſoluta, & efficax in actu ſecundo, producitque effectum vi ſuâ, nec opus eſt illam ſub forma actus abſoluti repetere*, exemplum eſſe poteſt, *volo vt iſte liber tuus ſit, ſi cras pluat*: Cúmque idem dicendum ſit de omni conſenſu & volitione conditionata; ſimili modo exiſtimant volitionem illam conditionatam, quâ Deus præfiniuit Concurſum, poſitâ conditione, nempe determinatione creatæ voluntatis, fieri abſolutam, & efficacem, ac producere Concurſum: nec opus eſſe alio actu decretorio quo ille Concurſus præfiniatur abſolutè, ſed (inquiunt) ex illa priori & conditionata voluntate ſequitur præſtatio Concurſus, ſtatim atque ponitur determinatio creatæ voluntatis; cùm enim ex illa conditionali voluntate applicata fuerit potentia Dei ad operandum ſecundum exigentiam creatæ voluntatis, & prout illa poſtulauerit: dicunt ex eo quod voluntas creata ad vnam partem contradictionis ſeipſam determinet, ſufficienter ipſum Deum determinari ad præbendum hunc aut illum Concurſum, abſque nouo actu voluntatis Diuinæ, quo abſolutè & efficaciter ſtatuat talem vel talem Concurſum voluntati præbere. I.

Porrò,

Porrò, qui decretum iſtud efficax & abſolutum concurrendi determinato Concurſu negant, ducuntur hac præſertim ratione: nimirum vident quòd poſito tali decreto, & voluntate Dei abſolutâ, ac determinatâ concurrendi ad amorem pro tali puncto temporis, & non ad odium, Deus non poteſt ampliùs dici paratus ad exhibendos alios Concurſus: ſed omnino determinatus eſt ad vnum certum, ſcilicet amoris, qui, cùm planè identificetur cum actu amoris quem creatura producet, certum eſt eo Concurſu poſito non poſſe ſimul coniungi, & componi cum illo negationem actus amoris, aut actum oppoſitum odij: ergo non eſt liberum creaturæ vt abſtineat ab illo actu aut vt oppoſitum illius faciat; quia non poteſt ampliùs impedire ne Deus in illo inſtante producat in illa, & cum illa actum illum amoris, ſeu quod eodem recidit, Concurſum ſuum qui eſt omnino idem cum actu amoris; niſi forte oſtēdi poſſit quòd Deus nō ex ſeipſo, neq; inconſultâ voluntate id ſtatuerit, ſed occaſione ſumptâ ex parte creati arbitrij, adeo vt iſta determinata voluntas Dei dependeat ab vſu libertatis creatæ, in cuius poteſtate fuerit aliquid præſtare, quod ſi præſtitiſſet, Deus non illam ipſam, ſed aliam quandam voluntatem habuiſſet, ſcilicet concurrendi ad alium quemdam actum prout homini viſum fuiſſet: Verùm, cùm ex alia parte nihil omnino reperire poſſint in voluntate creata, ex cuius præuiſione Deus excitatus determinauerit ſe ad vnum, hoc eſt, decreuerit abſolutè Concurſum vnum potius quàm oppoſitum exhibere; tentare voluerunt, An res fœlicius illis eſſet ſucceſſura tollendo prorſus, & negando decretum iſtud abſolutum & efficax concurrendi, certo, peculiari, & determinato Concurſu; vnde & dixerunt, voluntatem quâ Deus immediatè concurrit cum cauſa libera ad amorem, non eſſe voluntatem determinatam concurrendi ad amorem; hæc enim tolleret libertatem non minùs quàm prædeterminatio intrinſeca; ſed eſſe voluntatem indifferentem, cum qua adhuc poſſet homo coniungere odium: Quare obiectum Scientiæ Mediæ erit huiuſmodi: *Si Petrus in tali occaſione fuerit poſitus, & Deus obtulerit ei Concurſum per voluntatem indifferentem, Petrus amabit*; & Si rurſum quæras, qualis ſit iſta voluntas indifferens, & quale illius obiectum? Reſpondent, illam eſſe quandam voluntatem diſiunctiuam, quâ Deus vult concurrere indeterminatè

minatè cum Petro, vel ad conſenſum, vel ad diſſenſum; quæ ſic exprimitur; *volo concurrere, vel ad conſenſum, vel ad diſſenſum,* (ſupponunt enim vel non poſſe dari in nobis puram omiſſionem liberam, vel ſi datur, non requiri ad eam Concurſum Dei, is enim ſolùm requiritur ad actum, non autem ad omiſſionem & negationem actus) & ex vi illius voluntatis, applicatur, inquiunt, potentia Dei ad producendum diſſenſum, vel conſenſum Petri; cum ſubordinatione tamen ad voluntatem eiuſdem Petri; ſicut habitus charitatis inhærens voluntati ſubordinatur eidem voluntati quoad exercitium operis; neque oportet addere aliam voluntatem Dei, quâ poſteà magis determinatè velit concurrere ad conſenſum; ſufficienter enim applicatur potentia exequens Dei ex vi illius voluntatis diſiunctiuæ; cum qua tamen poteſt coniungi diſſenſus: Videri poteſt pro hac ſententia P. Suarius in opuſc. lib. 1. de abſoluta Scientia futurorum contingentium cap. 6. Mæratius tractatu de Deo diſp. 26. ſect. 3. Arriaga diſp. 10. phyſ. ſect. 2.

Sed contrà primò, quia ipſimet Auctores quibuſcum res nobis eſt, tametſi cautiùs locuti ſibi videantur negando huiuſmodi decretum abſolutum; facilè tamen contradictionis & inconſtantiæ arguuntur; nam pleríque eorum, dum nihil ſibi ab iſto decreto abſoluto Dei metuunt, neque vllam inde conſequentiam ſibi cõtrariam ab aduerſariis eſſe trahendam cogitant, paſſim illud admittunt, quòd cuilibet eorum ſcripta percurrenti facilè obuium erit reperire. Sanè Theophilus locis antè ſuprà citatis diſt. 8. quæſt. 5. art. 5. num. 349. expreſsè, & diſtinctè admittit, *Deum ſcientiâ ſuâ præcognoſcentem quid creata voluntas liberè eſſet operatura, ſi ſe ſolâ poſſet agere, ſtatim quoque decernere exhibere Concurſum illum determinatum, quem videt à voluntate in his circunſtantiis expoſci, ſeu qui ſit conſentaneus actioni ſub conditione præuiſæ tanquam ſecutura, ſi non ſlet per decretum*: Et paulò pòſt, *Cùm primùm*, inquit, *hoc conditionaliter videt, (ſcilicet Deus) decreuit abſolutè exhibere Concurſum ſuum per potentiam ſuam exequentem à Diuina Scientia practica directam*: Ecce vbi admittit decretum abſolutum exhibendi Concurſum certum ac determinatum. Ruiz. quoque de voluntate Dei diſp. 8. ſect. 3. num. 20. fatetur expreſsè, Circa quodlibet bonum creabile Deum habere aliquod poſitiuum & abſolutum decretum quo decernit ad illius II.

Z boni

boni productionem concurrere, vel poſitiuè decernit non concurrere, ídque quandoque prædefiniendo Concurſum cauſæ liberæ, quandoque non prædefiniendo, ſed permittendo, ſicut Concurſum ad materiales actiones peccatorum, & num. 3. 4. ac ſequentibus, probat circa entia nunquam futura neceſſarium eſſe poſitiuum & abſolutum decretum quo Deus ſtatuerit ea non producere; nec ſatisfieri perfectioni voluntatis Diuinæ ſi merè negatiuè ſe habuerit circa illa, *Circa ſingula verò*, inquit, *in particulari quæ futura ſunt in aliqua differentia temporis, quatenus entia, bonáque ſunt, opus eſſe poſitiuo decreto Dei dubitari non poteſt.*

Rurſúmque idem auctor diſp. 49. de voluntate Dei ſect. 4. num. 22. cùm præmiſiſſet diſtinguendam eſſe Scientiam Conditionatam ab Abſoluta; & volitionem Dei antecedentem, & conditionatam à volitione abſoluta, & efficaci, ſubiungit, *Secundùm quam diſtinctionem Dico primò, Antequam Deus ſtatueret determinare voluntatem creatam ad tale dilectionis indiuiduum, Conditionatâ Scientiâ cognouit, quòd ſi talis voluntas ſub tali collectione circunſtantiarum conſtitueretur, liberè ſe determinaret ad dilectionem, & Deus ipſe determinaret ad tale dilectionis indiuiduum*: & paulò pòſt: *Dico ſecundò, prædictâ Scientiâ præſuppoſitâ decreuit Deus huic voluntati in hoc inſtanti conferre talem Concurſum ita determinatum & limitatum.* Et rursùs diſp. 50 ſect. 3. num. 6. loquens de Concurſu qui ad actiones illicitas ex illa volitione & decreto abſoluto impenditur, ait, *Qui licèt conſideratus in particulari, reſpiciat eſſentialiter hanc actionem quæ mala eſt; ita vt illi repugnet deſeruire ad aliam actionem bonam*, &c.

Ecce quomodo admittunt in Deo volitionem abſolutam & efficacem concurrendi certo, ac determinato Concurſu: cuius quidem voluntatis obiectum non ſit Concurſus vel ad amorem, vel ad odium indifferenter & diſiunctiuè; ſed Concurſus ita limitatus ad odium, vt repugnet illi deſeruire ad actum dilectionis.

Rursùm quoque idem Didacus Ruiz diſp. 71. de Scientia Dei ſect. 6. num. 9. propoſitionem iſtam Auguſtini probat, *Non fit aliquid niſi Omnipotens velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo*; & num. 10. ait, *Omnes operationes bonas non fieri, niſi Deus abſoluto decreto velit efficaciter vt fiant.*

Similiter quoque Suarez lib. 1. de abſoluta Scientia futurorum contin

contingentium, & ſæpè alibi, fatetur neceſſe eſſe quòd Deus velit in particulari concurrere hîc & nunc ad hunc aut illum actum, & non tantùm ad actus voluntatis confusè, & indifferenter. Et Leſſius opuſculo de Gratia cap. 4. num. 16. docet Deum certiſſimè præſcire ad quam actionem voluntas creata ſe ſit determinatura, ſi Concurſum ſuum in eius poteſtate poſuerit; quia talis præſcientia eſt neceſſaria ad rationem perfectæ prouidentiæ, quæ poſtulat vt Deus, quauis hypotheſi factâ, præſciat quid ſit euenturum; nimirùm vt norit, an expediat Concurſum ſuum conferre, aut denegare; actionem permittere, an impedire, an etiam procurare: At hæc omnia indicant voluntatem quandam abſolutam, & efficacem; ratione diſtinctam ab illa generali, indifferente, conditionata & inefficaci; & poſteriorem illâ; Quorſum enim explorat, & Scientiâ ſuâ Conditionatâ perſcrutatur quid ſit euenturum, ſi hæc aut illa conditio poſita fuerit, niſi vt prudenter iudicet, expediátne Concurſum ſuum impendere, aut negare? nimirùm vt decretum conferendi aut negandi illum ſapienter fiat? Quomodo Scientia Conditionata poteſt eſſe vtilis ad Prouidentiæ Diuinæ nobiſcum operaturæ perfectionem, ſi non eſt vtilis ad dirigendam Diuinam voluntatem in formando abſoluto decreto concurrendi, aut non concurrendi?

Quorſum hactenus Aſſertores Scientiæ Mediæ tam anxiè, tantáque animi contentione ac diligentiâ ſcrutati ſunt, quidnam illud eſſe poſſit ad quod Deus attendens cognoſcat & decernat exhibendum ſibi nunc eſſe Concurſum, & in certa ſpecie, & indiuiduo Concurſus, ſeu actionis, potiùs quàm antè vel pòſt, & potiùs quàm in alia vlla ſpecie, & indiuiduo?

Quorſum alij ad ipſam determinationem creatæ voluntatis; alij ad ipſius propenſionem, alij ad relationem rationis, aut ad connotationem realem; alij ad id quod voluntas eſſet operatura, ſi, per poſſibile, vel impoſſibile, potuiſſet operari ſola; alij ad determinationem virtualem; alij denique ad alia, prout ipſis occurrere poterat recurrerunt? niſi vt Diuina voluntas per præſcientiam illā directa, & iam ad vnū determinata, & inclinata, non in incertū ac temerè Concurſum ſuum iacularetur; ſed potiùs in ſcopum infallibili certitudine præuiſum certo, & efficaci decreto collimaret?

III. Præterea argumentor: ſicut priùs ratione, imò & priùs duratione quàm Deus produxerit hunc mundum, venerunt ipſi in mentem omnes mundi poſſibiles; ipſe autem nunquam produxiſſet iſtum ad extrà, ſi potentia exequens applicata fuiſſet ad operandum per voluntatem duntaxat indifferentem, & diſiunctiuam; *volo creare vel hunc mundum, vel illum alium*; ſed oportuit eam applicari proximè per voluntatem determinatam, & abſolutam, *volo creare mundum iſtum, & non alium*, ita priùs ratione, & duratione quàm Deus producat mecum hunc actum amoris; apparuerunt in conſpectu Dei omnes actus liberi mihi poſſibiles, quos ego poteram in hoc inſtante cum Dei Concurſu producere; ſed nullum vnquam de facto produceret, ſi potentia illius exequens applicata ſolùm fuiſſet per voluntatem diſiunctiuam, & indifferentem; *volo producere vel actum amoris, vel actum odij, vel aliquem alium.* Igitur neceſſe fuit illam applicari per volitionem abſolutam, ac determinatam, *volo producere hunc actum*, ſi verum eſt actum amoris quem produco neceſſariò identificari cum Diuino Concurſu.

Ampliùs; impoſſibile eſt Deum manere ſuſpenſum, aut negatiuè ſe habere circa aliquod obiectum; ſed debet habere poſitiuum decretum circa quodcunque obiectum, vt Theologi fatentur communiter, & facilè probatur à Ruizio quantùm ad obiecta non futura, (nam de futuris dubitari non poſſe fatetur ipſe idem vbi ſuprà) quia rem illam non creare, bonum eſt, quatenus deſeruire poteſt ad oſtenſionem attributorum, ac præſertim Diuinæ libertatis, ac dominij in res omnes, & ſufficientiæ propter quam nulla re indiget; ſed pro libito alia creat, aliorum autem creationem omittit; inſuper deſeruire poteſt ad ornatum, & benè conſtitutam diſpoſitionem vniuerſi, ne aliquid in eo redundet, aut inordinatè ſupereffluat: Adde quòd nulla ratio boni Deum mouere poteſt vt affectet puram omiſſionem, ſuſpendátque omnem poſitiuam volitionem circa quodcunque obiectum: Aliunde verò Diuinus intellectus proponit omnes deliberandi rationes, propter quas facillimè voluntas actu poſitiuo eligere poteſt vnamquamque rem producere, aut non producere: Denique ſic meliùs defenditur nullam perfectionẽ deeſſe Deo tametſi deſit libera volitio creandi rem aliquam, quoniam eius loco neceſſariò ponendum fuit aliud

Z poſitiuum

poſitiuum decretumnon creandi eandem rem,quod eſt æqualis,vel potius eiuſdem perfectionis cum decreto creandi illam:Itaque impoſſibile eſt Deum manere ſuſpenſum, & mere negatiuè ſe habere; Ergo quando aliquis actus qui poſſibilis erat vt à me produceretur, de facto tamen non producitur, Deus neceſſariò habet decretum poſitiuum non concurrendi proximè ad illum actum, ſeu quod idem eſt,non producendi illum;ergo per illud decretum potentia exequens quaſi retrahitur,aut impeditur ab illo actu producendo, qui iam ex tunc determinatus eſt ad nunquam eſſendum;& ridiculum apparet fingere quòd adhuc non obſtante illo decreto non producendi aliquem actum,Deus per voluntatem indifferentem, & diſiunctiuam producendi vel illum, vel alium actum, offerat & paratus ſit exhibere plures ac varios Concurſus identificatos, ſcilicet vnum pro actu qui reuerà futurus eſt;& alium pro eo quem ipſe poſitiuè ſtatuit ſe non producturum,& qui non eſt ampliùs indifferens ad aliquando eſſendum,aut non eſſendum;ſed poſitiuo Dei decretodeterminatus ad non eſſendum.

Igitur quicumque inſiſtunt principiis ſuprà memoratis de neceſſitate diuini Concurſus immediati,& identificati ad quemcumque actum noſtrum liberum, conſequenter admittere debent, Deum abſoluto & efficaci decreto ſtatuere ſe concurſurum hoc certo,& determinato Concurſu, & per illud decretum proximè applicari potentiam Dei exequentem ad concurrendum. Quòd ſi dicant inde ſequi actum qui de facto elicitur non prodire liberum plenâ libertate contrarietatis, quia voluntas creata non habebit oblatum ſibi Concurſum, quo poſſit, ſi velit, contrarium actum elicere: Reſpondeo, mihi eſſe perſuaſiſſimum quòd libertas noſtra ſtare non poſſit cum neceſſitate diuini Concurſus proximi immediati,& identificati cum actu noſtro,& conſequenter opus eſſe decreto abſoluto concurrendi identificato Concurſu, ſed aio eos inconſequenter eſſe locutos,qui admiſsâ neceſſitate prædicti Concurſus identificati, negant tamen in Deo abſolutum, poſitiuum, & efficax decretum ita concurrendi.

IV. Præterea;ſicut admittunt omnes communiter dari in Deo abſolutam quandam voluntatem conferendi gloriam D.Petro ortam ex præuiſione finalis perſeuerantiæ Diui Petri;& diſtinctam ratione

ſeu virtualiter à voluntate conditionata, inefficaci, & antecedente ſaluandi omnes, in qua Petrus, & Iudas erant pares, & æquales; ita etiam dari debet in Deo voluntas abſoluta dandi mihi Concurſum ad actum quē ego reuerà nūc elicio, legēdi, exempli causâ, diſtincta à voluntate conditionata quam antecedenter habebat concurrendi mecum vel ad lectionem, vel ad ambulationem, aut ad alios actus quos liberè poteram eligere: ſicut enim illæ duæ voluntates ratione diſtinctæ reſpectu Diui Petri, pertinent ad perfectam rationem prædeſtinationis eiuſdem Diui Petri; ita duæ iſtæ voluntates reſpectu meæ lectionis pertinent ad completam rationem prouidentiæ generalis, cui ſubeſſe debent omnes tametſi liberæ, & humanæ actiones.

Tertiò; quia alioquin ſequeretur Deum eodem modo ſe habere, quantùm eſt ex parte voluntatis ſuæ, cum omnibus hominibus, ſiue operentur, ſiue non operentur; cùm enim ſint omnes pares, & æquales in illa priori voluntate conditionata, & indifferente; ſanè vt ex illa paritate, & æqualitate fiat aliqua ſeparatio inter eum qui operatur vnum actum, & alium qui non operatur ſimilem, ſed oppoſitum; aliquid ſuperuenire debet in illis hominibus, quo præuiſo Deus ſtatuat abſoluto & efficaci decreto cum vno concurrere ad vnum actum, & cum alio ad oppoſitum: nam ſi nihil ſuperuenerit, Deus eodem modo ſe habebit erga vtrumq; quantùm eſt ex parte voluntatis ſuę & per conſequens vterque eodem modo operabitur; quia non poteſt eſſe variatio in operatione, quin Dei voluntas aliter quoque ſe habeat circa vnum quàm circa alium.

Quartò, quia Deus præuiſâ cooperatione voluntatis humanæ, vel ſe habet omnino negatiuè erga actum qui reuerà futurus eſt; vel poſitiuè, quod eſt aliquem actum ſuæ voluntatis habere; non poteſt ſe habere negatiuè, quia cùm reuerà actus ille futurus ſit; Deus vult illum, ſaltem voluntate illâ generali: Adde quòd ipſimet contra quos diſputamus, fatentur Deum ſaltem complacere ſibi de actibus noſtris, quatenus ab ipſo futuri ſunt, poſtquàm præuidit eos eſſe futuros, ita enim docet Suarez vbi ſupra in metaph. reſponſione ad argumenta: Si poſitiuè ſe habet erga illum actum; vel ergo in illo inſtāte & ſigno rationis vult illum efficaciter, & abſolutè; & hoc eſt quod intendimus; vel vult illum inefficaciter, & conditionatè ſicut

in primo inſtante volebat & non aliter: At hoc dici non poteſt, quia ſicut ex illa priori voluntate ſola nullus effectus poterat ſequi *immediatè*; ita neque ex hac ſequeretur: nam & ipſi aduerſarij expreſsè fatentur voluntatem inefficacem, & conditionatam concurrendi, vt ſic, & quandiu talis eſt, nihil ponere ad extrà; quia ſcilicet per eam non decernitur certus Concurſus; & ſicut in illa voluntate antecedente & conditionata Deus non tantùm volebat vnum actum, ſed omnes qui poſſibiles erant, vt per voluntatem creatam fierent, non collectiuè, ſed diuiſiuè, id eſt, vnum ex illis, vel alium; ita etiam nunc adhuc vellet illos omnes; & tamen certum eſt Deum nolle in hoc inſtanti niſi vnum, ſcilicet illum qui reuerà futurus eſt.

Adde quòd, ſicut illa voluntas conditionem includebat, ita & hæc includeret eandem, vel aliam, & ſic nunquam intelligeretur purificata & impleta conditio, quod eſt abſurdum: Igitur diuerſitas illa obiectorum ſufficit, vt ratione diſtinguamus vnam voluntatem ab alia; & priorem quidem vocemus *inefficacem & conditionatam*: poſteriorem verò, *abſolutam & efficacem*, præſertim cùm actus immanentes non poſſint modò extendi, modò reſtringi ad plura aut pauciora obiecta vt alibi dictum eſt.

Denique, cùm ex illa voluntate conditionata concurrendi ad omnes actus quos voluntas elegerit, vel etiam ad nullum, ſi ipſa ſic voluerit, non ſequatur *immediatè* effectus, neque præſtatio Concurſus in actu ſecundo: non poteſt intelligi quòd aliter ſequatur ex illa niſi radicaliter, remotè, ac mediatè: quatenus ex illa Deus remanet obligatus ad habendum aliud decretum efficax, & abſolutum concurrendi hoc potius quàm illo Concurſu, prout in ſecundo inſtante iudicauerit expedire, ad eum ferè modum quo Suarez, Raconiſius, & alij, opinantes Chriſtum futurum fuiſſe hominem, etiamſi homo non peccaſſet, dicunt, Deum priùs ratione quàm peccatum Adami præuideret, decreuiſſe ſubſtantiam Incarnationis; id eſt, vt fieret Incarnatio modo conuenientiſſimo, nondum quicquam ſtatuendo de modo in particulari; & ex illo priori decreto aiunt Deũ remanſiſſe obligatum, vt præuiſo peccato Adami aliud decretum haberet quo ſtatueret etiam modum Incarnationis, ſcilicet in carne paſſibili; & ſic dicunt factam fuiſſe Incarnationem ex vi prioris decreti, non quidem formaliter, & immediatè, ſed tantùm quaſi V.

radicaliter,

radicaliter,& mediatè;ita ergo in propoſito dicendum erit de decreto concurrendi proximè,& identificè,ſi vllus talis Concurſus nobis ad operandum ſit neceſſarius,nimirum ex illa voluntate generali conditionata,diſiunctiua & inefficaci, non aliter ſequi poſſe præſtationem Concurſus Dei, nec conſequenter actum creatæ voluntatis; niſi quatenus ex vi illius Deus remanet obligatus ad habendum poſtea aliud decretũ abſolutum & efficax concurrendi certo,particulari,ac determinato Concurſu,prout noſtram voluntatem viderit exigentem,ac poſtulantem.

Veruntamen,cùm ex illa voluntate abſoluta &efficaci concurrendi certo,ac determinato Concurſu proximo,& idẽtificato,ſequatur & deſtructio noſtrę libertatis & diuinę sãctitatis violatio, quando Concurſus fuerit ad actum prauum, prout fatetur P. Suarez vbi ſuprà in opuſculis;& ferè cæteri recentiores Scientiæ Mediæ Patroni communiter;Cúmque illa altera voluntas indifferens, diſiunctiua ,& conditionata, (ſcilicet concurrendi identificè vel ad hunc, vel ad illum actum) præciſè ac ſola non ſufficiat ad ponendum vllum actum in rerum natura, ſequitur neutram ex his volitionibus in Deo reperiri,ſed voluntates noſtras,ſicut & cætera agentia naturalia,abſque vllo Concurſu Dei proximo,& identificato eſſe cauſas totales,& adæquatas actuum ſuorum ad quos naturalem habent proportionem, prout in quarta parte huius opuſculi diffuſiùs oſtenſuri ſumus.

## CAPVT XIII.

*Referuntur, ac diluuntur alia quadam argumenta, & exempla quibus confirmari ſolet ab Aduerſariis voluntas concurrendi indifferens, & diſiunctiua.*

I. DIces; hoc ipſo quòd voluntas diuina decreuit vt creata voluntas habeat Concurſus omnes paratos in actu primo ad ſingulas operationes,vt ſi ipſa hoc momento ſe ad hanc operationem

nem determinet, habeat hunc Concurſum; ſi ad illam, iſtum; ſi ad aliam, alium; & ſic de cæteris: eoipſo (inquam) potentia Dei ex vi huius decreti conditionati manet applicata, & determinata veluti cauſa naturalis, ad quemvis illorum Concurſuum cauſandum, quem quæuis operatio requirit, ſi cauſa creata ad illam ſe determinauerit; tunc ergo cauſa creata libera habet in ſua poteſtate quamlibet illarum operationum; & conſequenter quemlibet illorum Concurſuum qui ſingulis operationibus ex hypotheſi eſt prædefinitus: ſi enim determinauerit ſe ad actum amoris, potentia Dei veluti naturali neceſſitate cauſabit Concurſum quem voluntas Diuina pro hoc actu prædefiniuit; ſi ad actum odij, cauſabit Concurſum pro hoc actu prædefinitum; & ſic de cæteris: Sicut enim habitus ita coniunctus eſt voluntati, vt influxus eius ſit in poteſtate voluntatis, ita Deus eodem modo ex vi illius decreti conditionati ſe voluntati creatæ accommodat, & coniungit; vt Concurſus eius ſit in poteſtate voluntatis.

Ex quo ſequitur non oportere vt cauſa creata aliquid agat, quo Deum excitet ad concurrendum, propriè loquendo; quia ipſe iam ſatis determinatus eſt, prout aliis quoque exemplis declarari poteſt; hoc enim ipſo quòd potentia intellectiua producit intellectionem, ſimul naturâ concurrit ſpecies intelligibilis; & tamen intellectus nihil circa illam ſpeciem agit; hoc ipſo quòd potentia voluntatis cum habitu charitatis producit actum ſupernaturalem dilectionis; vel intellectus cum habitu fidei, actum fidei, eoipſo ſimul influunt habitus ſupernaturales charitatis, & fidei; &, multorum ſententiâ, actus intellectus concurrit effectiuè ad omnem actum voluntatis, immediatè influendo in illum; & voluntas applicat intellectum ad intelligendum, abſque eo quòd intellectus aliquid præuium imprimat voluntati, aut voluntas intellectui; nimirùm ob ſolam potentiarum animæ adinuicem ſubordinatarum concatenationem. Simili modo cogitandum eſt, Diuinam potentiam veluti habitum quendam omnibus rebus intimè inſidētem, & connexum, ſimul in omni operatione creaturarum cooperari; & ſicut cauſa vniuerſalis, vt, exempli cauſâ, Sol à cauſa particulari determinatur ad producendum lilium potiùs quàm roſam, abſque eo quòd cauſa particularis aliquid præuium operetur in Sole, quo

A a ipſum

Digitized by Google

ipſum determinet, vel excitet ad concurrendum Concurſu requiſito ad lilium, & non Concurſu requiſito ad roſam; ita nec cauſa ſecunda aliquid producit præuium, quo Deum excitet, aut determinet ad concurrendum potiùs tali Concurſu quàm alio; & ſicut vnus homo poteſt alteri offerre auxilium ſuum indifferenter ad quodcumque opus voluerit, quo poſito, manet generali quodam modo expoſitus ad iuuandum alterum; ita Deus ex vi decreti illius conditionati manet generali quodam modo expoſitus, & paratus ad præſtandum nobis Concurſum illum in actu ſecundo quem noſtra operatio requirit: Et ſicut dum quis alteri rem aliquã ſub conditione donat; eo ipſo quo impletur conditio res fit alterius, non modò abſque nouo actu voluntatis donantis; ſed etiam abſque eo quòd donans conditionis impletionem aduertat; ita Concurſus Dei determinatur à voluntate creata, abſque eo quòd ad id requiratur vlla cognitio, aut præſcientia Dei, quâ ipſe moueatur ad ſic, vel ſic concurrendum; ſed præciſè eo ipſo quòd voluntas creata ſe determinat. Hæc obiectio & exempla quibus vtitur, partim eſt Suaris in opuſc. partim Leſſij vbi ſuprà, & aliorum.

11. Sed contrà primò; quia hæc poſteriora verba repugnant intentioni omnium Aſſertorum Scientiæ Mediç, cuius potiſſimùm munus eſſe exiſtimant, vt Deum dirigat ad prudenter iudicandum, ſitne, an non ſit cum homine ſic, aut aliter concurrendum: Ergo præter voluntatem diſiunctiuam concurrendi ſic aut aliter, requiritur Scientia & cognitio quâ Deus dirigatur ad decernendum abſolutè concurrere vno modo potiùs quàm oppoſito: Neque enim Concurſus Dei in actu ſecundo eſt aliquid quod detur homini vt eo vtatur ad hanc aut ad illam actionem abſque eo quòd Deus ampliùs aduertat aut ſe immiſceat: ſed eſt ipſa determinata actio creaturæ, quam Deus ipſe immediatè per ſeipſum facit. At ipſe nihil agit niſi prudens ac ſciens. Secundò argumentari licet peculiariter contra voluntatem iſtam diſiunctiuam, quâ ſolâ contenti ſunt; quia ſicut potentia noſtra progreſſiua non eſſet ſufficienter applicata à noſtra voluntate ad ambulandum, per volitionem indifferentem, & diſiunctiuam ambulandi ad dexteram, vel ad ſiniſtram: ſed oportet eam priuſquàm de facto ambulet, applicari per volitionem determinatam ambulandi ad dexteram; alioqui non ambu-

ambulabit ad dexteram; ita ſimiliter omnipotentia Dei non poteſt applicari ſufficienter ad producendum aliquid, per voluntatem Dei diſiunctiuam & indifferentem: ſed oportet omninò ponere voluntatem Dei abſolutam & determinatam concurrendi aliquo certo,& determinato Concurſu.

Neque iuuat ſi dicas eſſe diſcrimen; quia pedes noſtri non poſſunt ſeipſos determinare; omnis autem cauſa quæ, quia non eſt libera, non poteſt ſuam indifferentiam determinare; oportet quòd determinetur omninò per determinatam applicationem alterius; Diuina verò potentia, libera eſt; & ſeipſam applicare,ac determinare poteſt.

Contrà enim hoc eſt;quia Diuina omnipotentia, prout diſtinguitur ſecundùm rationem, & virtualiter à voluntate Dei,non eſt formaliter libera; ſed debet applicari ad operandum ad extrà,per decretum,& Scientiam Dei practicam,vt expreſsè fatetur Theophilus in Theolog.morali diſt. 2. quæſt. 3. artic. 5. Sed impoſſibile eſt illam applicari proximè per voluntatem diſiunctiuam ad operandum aliquem actum ſingularem, determinatum, & exiſtentem; quod probatur ſecundò; Quia potentia exequens nihil operatur, niſi quod Diuina voluntas per Scientiam practicam directa imperauerit, ac decreuerit operandum eſſe; ſed,per te, Diuina voluntas nihil aliud imperat, aut decernit, niſi diſiunctiuè, amorem,vel odium; & nunquam determinatè,amorem: nec determinatè, odium: Et rurſus,non poteſt reperiri vnus aliquis actus, aut Concurſus Dei qui ſit indifferenter & diſiunctiuè, vel actus amoris,vel actus odij: Ergo quandiu potentia exequens non applicabitur aliter, quàm per voluntatem diſiunctiuam; nihil vnquam producet ad extrà: Igitur,ſi applicari debet ad operandum aliquid determinatè, & immediatè; debet applicari per volitionem abſolutam, & determinatam.

Neque obſtat, quòd inde ſequeretur, Deum, ex quo habet decretum determinatum concurrendi certo aliquo Concurſu, nolle ampliùs conferre niſi illum eundem Concurſum; vnde conſequitur voluntatem creatam non habere ampliùs in ſua poteſtate niſi illum vnicum actum qui realiter idem eſt cum tali Concurſu à voluntate Dei præfinito; & ſic tollit libertatem quantùm ad ſpe-

ciſicationem, exercitium, & ſingularitatem: Reſpondeo enim, propter hoc argumentum, & alia multa; exiſtimare me Deum non concurrere ad actiones noſtras Concurſu immediato, & identificato cum illis, vt in quarta parte huius opuſculi conatus ſum demonſtrare.

III. Cæterùm, quod attinet ad exempla quibus Suarez, Leſſius, & alij vti ſolent, Reſpondetur; longè diſparem eſſe rationem, & nullam ferè proportionem inter habitum, & Concurſum Dei, prout de illis nunc loquimur in præſenti controuerſia, ſiue loquamur de Concurſu in actu ſecundo, ſiue de Concurſu in actu primo: Imprimis enim quæſtio noſtra eſt de actu, qui oriatur à duabus cauſis efficientibus liberis; & qui reſpectu vtriuſque cauſæ ſit liber: At verò habitus non eſt aliquid cognitione & libertate præditum.

Deinde, ſi loquamur de Concurſu in actu primo; non eſt aliquid creatum exiſtens ac receptum in voluntate creata, ſed eſt ipſe Deus vt paratus ad concurrendum, id eſt, ad operandum in nobis actum noſtrum, prout viderit creatum arbitrium exigere & poſtulare; Deus autem non poteſt ſubordinari voluntati creatæ phyſicâ ſubordinatione, ita vt aliquem impetum veluti phyſicum à creata voluntate recipiat, aut ab illa phyſicè trahatur, aut impellatur ad coëfficiendum cum illa; ſed ſolùm poteſt ſubordinari voluntati creatæ ſubordinatione quadam morali; quatenus aliquid in creatura poteſt intueri, quo inducatur ad aliquid operandum, quo ſenſu dicitur in Scriptura, *obediente Deo voci hominis*, & quotidie credimus fieri in ſanctiſſimo Sacramento, quando ad vocem Sacerdotis adeſt, conſecraturus panem in corpus Chriſti.

Itaque, neceſſe eſt vt creata voluntas obiectiuè, & quaſi moraliter Deum determinet, ac ſibi ſubordinet; obtineatque ab eo vnum Concurſum potiùs quàm oppoſitum, quod quidem facere non poteſt, niſi operando aliquid, quod Deus præuideat, & quo inducatur ad hoc potiùs quàm ad oppoſitum; ſiquidem impoſſibile eſt vt perſona aliqua prudenter, & per rationem agens, ac non temerè, concipiatur ſubordinari moraliter alteri, ſeu, quod idem eſt, accommodare ſe alteri propter aliquod motiuum, & rationem; quin priùs intelligatur cognoſcere motiuum illud, & rationem;

quia

quia non eſt aliud moueri propter aliquam rationem, aut operari ex aliquo motiuo, quàm induci ex cognitione, & acceptatione talis rationis, & motiui, ex quo ſequitur falſum eſſe quod dicebatur, Deum ita eſſe coniunctum cum creatura ad cooperandum cum illa ex vi voluntatis conditionatæ, & indifferentis concurrendi ad quãlibet illius operationem, vt non requiratur ampliùs vlla cognitio, aut præſcientia Dei, quâ ipſe cognoſcat ſic aut aliter eſſe concurrendum: Sequitur etiam, quòd ſi voluntas creata nihil omnino poſſit operari, quo Deum excitet, inducátque ad ſic vel ſic cum illa cooperandũ, ipſa non poterit, neque phyſicè, neq; moraliter ſubordinare ſibi Deũ, ſiue, quod idem eſt, Concurſum eius in actu primo.

At verò habitus, cùm ſit aliquid in voluntate creata exiſtens, & receptum, prius naturâ, aut etiam tempore quàm operetur; cúmque ſit agens neceſſarium, libertate, & cognitione deſtitutum; non debet obiectiuè & moraliter excitari ac ſubordinari ad operandum; ſed eoipſo quòd potentia habitu inſtructa operatur circa obiectum formale iſtius habitus actum cui coëfficiendo habitus ſuaptè naturâ eſt deſtinatus; eo ipſo habitus qui potentiæ ineſt, eiq; intimè coniungitur, ac phyſicè eidem ſubordinatur, ſtatim cum eadem potentia operatur.

Si verò loquamur de Concurſu Dei in actu ſecundo comparando illum cum habitu, facilè intelligi poteſt habitum taliter eſſe coniunctum voluntati creatæ, vt influxus illius ſit in hominis poteſtate, qui pro libito facere poteſt, vt ſuus habitus operetur, aut ab operatione vacet; nimirum, ſi ipſe homo voluerit operari, aut ab operatione deſiſtere; quo ſenſu verum eſt quod vulgò dicitur *habitibus vtimur quando volumus*, & fieri poteſt ac ſolet, vt cum præſentia habitus, etiam in ſenſu compoſito, iungamus carentiam & negationem illius actus ad quem habitus naturâ ſuâ deſtinatus erat; ſed fieri non poteſt, vt Concurſus Dei in actu ſecundo, eodem, vel ſimili modo ponatur in poteſtate voluntatis humanæ; quia cùm iſte Concurſus Dei in actu ſecundo non diſtinguatur realiter ab actu voluntatis creatæ, fieri non poteſt vt ſtante & præſente Concurſu illo Dei, & in ſenſu compoſito illius, componamus cum illo carentiam aut negationem actus, aut alium vllum actum: quia idem non poteſt eſſe diuiſum à ſemetipſo: Quod autem de habitu voluntatis

 dictum

Digitized by Google

dictum eſt, ſimiliter quoque intelligi, & applicari debet cuilibet qualitati in potentia noſtra exiſtenti,vt actum aliquem ſimul cũ illa coefficiat:& ſic patet primum exemplum nihil contra nos valere.

Ad ſecundum exemplum; Reſpondeo deficere exemplum So-
IV. lis in multis quæ omninò ad hoc propoſitum pertinent: primò,in eo quòd Sol,& lilium non coniunguntur ad eandem numero actionem. Secundò,in eo quòd Sol non eſt expoſitus ad agendum modo quodam indifferente, ita vt ſit quaſi ſuſpenſus, & expectans influxum lilij; ſed antequam lilium quidquam influat,Sol agit quantum poteſt. Tertiò,actiones lilij, & Solis ſunt neceſſariæ,& naturales; nos autem inquirimus modum quo Deus concurrit nobiſcum, ita vt noſtræ non præiudicet libertati: Retorquendo igitur exemplum in aduerſarios;dicimus,ſi Sol eſſet agens liberum & indifferens expectarétque influxum cauſæ ſublunaris etiam liberæ,vt iuxta illius voluntatem influeret vel ad hoc, vel ad illud, aut etiam vt omnino nihil influeret; non poſſet moueri ad dandum vnum Concurſum, ſeu influxum, potius quàm alium; niſi vel ex ſeipſo antecedenter ſe reſolueret; & tunc ipſe, ſi aliquid operaturus eſſet, deberet præmouere, & ſecum efficacitate ſuâ trahere cauſam ſublunarem liberam,vt eandem actionem ſimul efficerent: ſed reuerà tunc cauſam illam ad vnum impelleret, Concurſúmque illius abriperet, atque adeò libertatem violaret: vel deberet aliquid intueri in cauſa ſublunari, aut ab illâ recipere vnde moueretur ad dandum potius hunc Concurſum quàm alium; quòd ſi cauſa ſublunaris penderet eſſentialiter in operari ab immediato,& identificato Concurſu Solis; ſicut ipſa nihil poſſet efficere ſe ſolâ,quo præueniret, & moueret, vel excitaret Solem; ita Sol non poſſet ab eius cooperatione determinari ad vnum Concurſum præſtandum potius quàm alium.

V. Ad tertium exemplum; Reſpondeo, vt duo homines, exempli causâ,Petrus, & Paulus ad eandem actionem concurrant,non caſu & fortuitò,ſed ex propoſito,& ex certa ſcientia,ita vt actio ſit vtrique libera; vel Petrus à Paulo debet determinari, & quaſi trahi,vel impelli ad actionem; vel debet ipſe aliquid per ſeipſum poſſe, quo ſignificet Paulo ſe pro tali, vel tali actione auxilio illius indigere, ergo ſi impoſſibile eſſet Petrum quidquam per ſe ſine Paulo efficere;

cere; Paulus nihil poſſet cognoſcere vt futurum ex determinatione Petri, prius ratione quàm ſtatuiſſet illum ſic, vel ſic adiuuare, & conſequenter impoſſibile eſſet Paulum ex tali præuiſione moueri ad ſic, vel ſic cum Petro concurrendum; quia Petrus neque phyſicè, neque moraliter poſſet Paulum ad ſibi cooperandum trahere & determinare.

Denique ad vltimum exemplum: Reſpondeo, non eſſe mirum ſi donatio conditionata, impletà conditione tranſeat in abſolutam, adeo vt non ſit opus eam ſub forma abſoluta repetere, nec videre impletam conditionem, quia iam de facto poſita ſunt omnia quæ erant neceſſaria ex parte donantis, vt donatio eſſet abſoluta, & effectus illius donationis ſuſpendebatur ſolùm donec impleta eſſet conditio quam ſupponimus impleri poſſe, aut impletam fuiſſe, ſiue donans eam videret eſſe impletam, ſiuè non videret, ſed in noſtro caſu non ſunt poſita omnia requiſita ad actionem. Primùm enim ex parte Dei, nondum eſt datus, ſiue exhibitus Concurſus in actu ſecundo; ſed eſt ſolùm veluti promiſſus per voluntatem illam conditionatam; ſcilicet, ſi conditio impleatur, quâ impletâ, ipſe debebit aliquid facere quod nondum fecit: At illa conditio eſt impoſſibilis, & non poteſt impleri, quia conditio erat iſta, ſcilicet, *Si Deus videret & prænoſceret per Scientiam Mediam voluntatem creatam poſtulantem hunc Concurſum potiùs quam alium, ſeu*, quod idem eſt, *determinantem ſe ad vnam contradictionis partem, & non ad aliam*: At iuxta ſententiam Auctorum Concurſus identificati impoſſibile eſt vt voluntas creata poſſit ſe ſolà inchoare actionem ſuam & determinare ſe ad vnum, aut aliquid efficere, quo excitet Deum ad dandum ſibi hunc aut illum Concurſum; & conſequenter Deus non poteſt quidquam in illa prænoſcere, quo excitetur ad concurrendum; ergo voluntas illa conditionata nunquam habebit effectum, ſed effectus, qui eſt Concurſus Dei, ſemper manebit ſuſpenſus, per defectum conditionis quæ nunquam implebitur. VI.

Itaque ſequitur ex dictis, voluntatē indifferentem, conditionatam, & diſiunctiuam non ſufficere, vt per eam Deus exhibeat nobis Concurſum ſuum identificatum, & ſimultaneum; ſed prætereà requiri volitionē abſolutam, determinatam, & efficacem concurrendi nobiſcum certo, peculiari, ac determinato Concurſu; niſi

duæ

duæ iſtæ volitiones, & adinuicem repugnarent; & vna illarum, ſcilicet ea quæ dicitur efficax, & abſoluta, libertatem noſtram ac diuinam ſanctitatem violaret; prout ſanè oſtendemus eam violare in quarta parte opuſculi; ex quo conſequens erit nullam dari in Deo voluntatem concurrendi nobiſcum influxu immediato, & identificato.

VII. Reſpondere poſſet aliquis, reuerà concedendam eſſe in Deo voluntatem abſolutam, quâ vult, exempli causâ, actum amoris a nobis elici; ſed non repugnare vt ſimul in eo ſit alia voluntas, quâ poſteà velit concurrere, vel ad amorem, vel ad odium; quia vna voluntas, eſt *per modum intentionis*, & altera, *executiua*; ſicut ſi Petrus teneatur mihi dare librum, vel pallium, & ego ſciam certiſſimè ex reuelatione, quod Petrus relictus ſuæ libertati, dabit mihi librum; poſſum ego intendere abſolutè habere librum; & ex hoc fine dare ipſi optionem, vt det mihi librum vel pallium, prout ipſe maluerit: Ibi apparet in me duplex voluntas; vna, *abſoluta per modum intentionis*, quâ volo efficaciter librum, altera *executiua*, quâ do illi optionem vt ipſe mihi dare poſſit librum, vel pallium, prout ipſe maluerit: Igitur pari modo. Hæc duplex voluntas non repugnat in Deo, habente infallibilem Scientiam de meo actu, & Conſenſu futuro, ſi detur mihi optio, & poteſtas ad vtrumque.

Sed contrà, quia facilè apparet diſparitas; nam duæ iſtæ voluntates, quas habeo reſpectu illius quem certiſſimè præuideo daturum mihi ex plena libertate ſua librum; nullo modo repugnant adinuicem; neque libertati alterius præiudicant; non repugnant quidem inter ſe, quia vna, eſt voluntas, ſeu, intentio habendi librum; altera, eſt voluntas dandi illi optionem, & relinquendi illum in perfecta libertate; quæ duæ voluntates, neque opponuntur contrariè, neque priuatiuè, neque contradictoriè, aut relatiuè; non etiam præiudicant alterius libertati; quia primus ille actus voluntatis meæ eſt immanens, nihilque ponit in voluntate alterius: ergo non poteſt immutare modum operandi illius cum libertate, ſimiliter quoque actus ſecundus qui ex illo priore conſequitur; ſcilicet, volo illi dare optionem, & illum in perfecta libertate, & electione relinquere, vt eligat dare mihi librum, aut pallium, prout ipſe maluerit, nihil ponit in illius voluntate, quo poſito, voluntas

neceſſitetur

neceſſitetur ad vnum: ſed neque etiam reuelatio mihi facta quòd ipſe daturus ſit mihi librum, quidquam præiudicat illius libertati: Ergo,

At verò abſoluta voluntas quam Deus haberet concurrendi mecum ad actum amoris, exempli causâ, vel eſt in Deo conſultâ, & expectatâ voluntate meâ; vel eâ inconſultâ, & non expectatâ; Si primum, oportet oſtendere quid Deus viderit in mea voluntate, vnde occaſionem ſumpſerit habendi voluntatem illam abſolutam concurrendi ad hunc amoris actum potiùs quàm ad alium numero ac ſpecie diuerſum: At hoc omninò explicari non poteſt; vt probatum reliquimus diſcurrendo per ſingulos dicendi modos Aduerſariorum: Si ſecundum; ergo iſta voluntas, cùm ſit antecedens vſum libertatis, omnino adigit, ac neceſſitat voluntatem meam ad actum amoris; quia ex vi illius prorſus ſequitur vt Deus in me ponat Concurſum ad actum amoris, & ad nullum alium: At certum eſt illud auferre libertatem actus noſtri, quo inconſultâ volũtate poſito, infallibiliter & neceſſariò ſequitur actio, adeò vt non poſſit non poni: Ergo fieri non poteſt vt Deus habeat duas iſtas voluntates; quia adinuicem repugnant; & quia vna ſic exprimitur, *volo producere talem actum amoris in voluntate creata, & nullum alium*: Alia verò ſic, *volo vt creata voluntas in perfecta libertate maneat, ad habendum hunc actum amoris, aut alium quempiam numero aut ſpecie diuerſum, prout ipſa maluerit:* Cùm igitur duæ iſtæ voluntates in Deo, & repugnantiam habeant adinuicem, & altera illarum libertati noſtræ, & Diuinæ ſanctitati in actibus prauis præiudicet, ſcilicet ea quæ dicitur efficax, & abſoluta; & alioqui altera non ſufficiat ad concurrendum; videlicet ea quam vocant *indifferentem, Conditionatam, & diſiunctiuam:* Dicendum potiùs eſt, nullam eſſe in Deo voluntatem concurrendi nobiſcum identificato Concurſu ad actus noſtros liberos, præſertim autem ad prauos; eo quòd neceſſe non ſit, vt actio noſtra à nobis, & à Deo immediatè concurrentibus, ſimul atque indiuiſim procedat; quemadmodum fusè oſtendetur in poſtrema parte huius opuſculi, poſteaquàm demonſtratum fuerit in tertia, viam Prædeterminantium, quoad hoc, eſſe impoſſibilem, ac repugnantem non minùs quàm illam quæ eſt Aſſertorum Scientiæ Mediæ.



Digitized by Google

# TERTIA PARS
## TRACTATVS,

In qua diſputatur aduersùs alteram Theologorum aciem, quæ conciliare nititur Diuinam Innocentiam, & Creatam libertatem, aliáſque difficultates, quæ in coniunctione, identitatéq; Concurſuum Dei, & Creaturæ fundantur, explicare cum præuia motione, ac prætereà cum immediato, atque identificato Concurſu Dei, qui omnes ſub communi Prædeterminantium nomine confutantur.

---

## CAPVT PRIMVM.

*Continens argumentum, & ſcopum huius tertiæ partis opuſculi.*

I. DIXIMVS in prima parte huius opuſculi, quotieſcunque Modernis Aſſertoribus phyſicæ Prædeterminationis, aut eiuſdem inficiatoribus incidit ſermo de coniunctione Concurſus Diuini cum cooperatione creaturæ, aut de Prouidentia indefectibili, Voluntate efficaci, & cauſalitate



Digitized by Google

cauſalitate quam Deus habet erga actus noſtros liberos, aut de eorundem ſiue abſolutè, ſiue conditionatè futurorum præſcientia, aut de aliis affinibus controuerſiis quæ per vniuerſam Theologiam ſparſæ, & frequentes occurrunt, eos omnes perpetuum ſemper recurſum habere ad Prædeterminationem phyſicam, aut ad Scientiam Mediam reſpectiuè; ibidémque oſtendimus Deum vel non concurrere ad actus noſtros liberos immediatè, proximè, & identificè, vel ſi ita concurrit, neceſſe eſſe eum id facere alterutro ex his duobus concurrendi modis, quorum alterum Aſſertores Scientiæ Mediæ, alterum verò Prædeterminantes amplexi ſunt, nimirum, vel conſultâ & animaduerſâ per Scientiam Mediam voluntate noſtrâ, vel eâ minimè conſultâ, ſed præuentâ, Prædeterminatâ, atque præmotâ.

Dictum etiam ſatis in ſecunda parte aduerſùm Aſſertores Scientiæ Mediæ, quatenus exiſtimant Deum eâ Scientiâ dirigi ad decernendum, exhibendúmque nobis Concurſum proximum, immediatum, & identificum ad omnes actus noſtros liberos, ſiue ſint honeſti, ſiue ex obiecto turpes, oſtenſúmque, ni fallor, euidenter, explicari non poſſe ab iis, quid ſit illud ad quod attendens Deus cognoſcat, decernátque abſolutè exhibendum ſibi nunc eſſe, & non antè, vel pòſt, Concurſum creatæ voluntati liberè operaturæ, cúmque determinatum in vna potiùs quàm in alia ſpecie, tametſi fortè erumpent in dies noui modi defendendi Concurſus immediati, proximi, & identificati, per eandem Scientiam Mediam; quos tamen omnes ex ibi dictis confutari poſſe non dubito.

Sequitur vt examinemus in hac tertia parte opuſculi, vtrùm via Prædeterminantium ſit verior, opinantium Deum concurrere ad actus noſtros Concurſu proximo, immediato, & indiſtincto, ſed & inſuper applicare, & præmouere cauſas ſecundas ad operandum per phyſicam Prædeterminationem: Item, Præſcientiam conditionalem, quâ Deus præuidet actus noſtros ſub conditione futuros, ſupponere conditionale decretum phyſicè Prædeterminandi voluntates noſtras ad illos actus, Rurſúmque, Scientiam viſionis quâ intuetur eoſdem actus velut abſolutè futuros, præſupponere

decretum efficax,& abſolutū Prædeterminandi voluntates ad eos, ac denique Controuerſias omnes quæ ortæ ſunt inter Prædeterminantes,eorumque aduerſarios Aſſertores Scientiæ Mediæ occaſione coniunctionis,identitatiſque Concurſuum Dei,& Creaturæ,per eandem phyſicam Prædeterminationem, atque adeo eâ nihil obſtante expediri poſſe,ac debere.

II. Nam ſi modus iſte dicendi oſtendatur impoſſibilis,ac repugnās libertati noſtræ, & diuinæ ſanctitati, conſequens erit vt finiri debeant controuerſiæ vtriuſque factionis quas præſente opuſculo pertractandas ſuſcepimus,inficiatâ neceſſitate Concurſus idētificati,& proximi,& conſequenter inficiato decreto ſic concurrendi, & admiſſo duntaxat Concurſu remoto,ac mediato,qui ſit aliquid prǽuium & antecedens, realiter diſtinctum, ac ſeparabile ab operatione creaturæ, & quem ſufficere credimus, vt Deus Benedictus dicatur eſſe primum principium, cauſa prima, vniuerſaliſſima, atque vt loquitur Seraphicus Bonauentura, Primordialiſſima omnium creaturarum, atque adeo noſtratum etiam actionum.

---

## CAPVT II.

### *Refellitur Prædeterminatio phyſica quibuſdam Scripturæ locis, & ex humana libertate.*

I. Diximus in prima parte huius opuſculi,Prædeterminantes non modò tribuere ſolitos motioni,ſeu qualitati iſti Prædetermināti ea quæ tradi ſolent de gratia efficaci ad actus bonos,& ſupernaturales concurrente; ſed & inſuper eos exiſtimaſſe,ſimile genus motionis neceſſarium eſſe ad quamcumque actionem naturalem, ſiue ea honeſta ſit, ſiue illicita, atque ex obiecto turpis, & ſiue ſit operatio voluntatis,ſiue cuiuſcumque alteriùs agentis; Idcirco neceſſe eſſet aduersùs eos proferre in hoc capite teſtimonia Scripturę & Conciliorum.

Verunta

Denique contra has omnes ſolutiones argui poteſt, quia ſi carentia qualitatis prædeterminantis ad opus præceptum imputatur homini, eò quòd per priora peccata, vel omiſſiones impediuit illã alioqui ſibi à Deo conferendam: ergo tunc formaliter ſolùm peccauit homo quando appoſuit illud impedimentum qualitatis prędeterminatiuæ, non etiam poſteà quando elicuit actum peccati, vel quando omiſit actum qui erat in præcepto, ſicut qui proiicit breuiarium in mare, exempli causâ, tunc peccat quando ponit impedimentum recitationi craſtinæ, & licèt omiſſio craſtina imputetur etiam ei, quia dedit cauſam hodiè, tamen craſtina omiſſio recitationis, ſi non ſit iterùm volita, non habet nouam malitiam formalem, ſed ſolùm denominatiuam ex cauſa præcedente, iuxta communem ſententiam; ratio eſt, quia poſitâ illâ causâ, iam non poteſt impedire effectum craſtinæ omiſſionis: ſic igitur homo quando reſiſtit, aut impedit Prædeterminationem per aliquam actionem, aut omiſſionem antecedentem, tunc peccat formaliter, poſtea verò quando ex defectu Prædeterminationis omittit aliquam actionem lege præceptam, non peccabit, niſi denominatiuè, quia poſito illo impedimento præcedenti, iam non poteſt vitare effectum neceſſariò conſequentem.

Propter hæc Alij quartò dixerunt, motionem, ſiue qualitatem phyſicè prædeterminantem poſſe obtineri ab homine per ipſum actum ad quem datur Prædeterminatio, itaut detur mutua prioritas inter Prædeterminationem, & conſenſum, ſicut aliqui dicunt dari inter habitum charitatis, & actum contritionis; ſed in hac euaſione refellenda nobis non vacat eſſe prolixiſſimis, ne actum agere videamur: Longè enim probabilius eſt quod docent Suarez, Molina, Maſcaregnas & alij communiter ex Scoto, fieri non poſſe V.

vt diſpoſitio pendeat tanquam à cauſa efficiente,à forma ad quam ſubiectum præparat: ac proinde ſicut actus contritionis, aut charitatis quo peccator obtinet, & diſponit ſe ad recipiendum habitum charitatis, primo iuſtificationis inſtante nullo modo producitur ab eodem habitu charitatis, ſed à ſola potentia, adiutâ tamẽ alio quodam ſingulari Dei auxilio actuali ſupplente defectum habitus;ita impoſſibile eſſet conſenſum produci effectiuè ab auxilio prædeterminante,& ſimul auxilium prædeterminans dari intuitu conſenſus, tanquam diſpoſitionis præuiæ ſubiectum præparantis.

Quod etiam confirmatur: quia qualitas ita phyſicè prædeterminans, non poteſt producere operationem pro qua datur, niſi actu ſit in potentia noſtra, & quidem priùs naturâ quàm ſit ipſa operatio: Sicut potentia viſiua eſt neceſſariò priùs naturâ viſione quam elicit. Ergo in illo priori naturæ, operatio nondum eſt; ergo non poteſt diſponere ſubiectum ad Prędeterminationis phyſicæ receptionem,ſicut fieri non poteſt vt viſio diſponat videntem ad receptionem eiuſdem potentiæ viſiuæ à qua elicitur.

Confirmatur ſecundò: Quia ex contraria ſententia ſequitur primò,conſenſum noſtrum, ſeu operationem naturâ priorem eſſe ſuâ causâ efficiente,ſcilicet phyſicâ Prędeterminatione à qua procedit.Secundò, diſpoſitionem, quâ talem, eſſe poſteriorem formâ ad quam præparat & diſponit. Tertiò, eandem operationem, eadem Prædeterminatione priorem eſſe,ſimúlque poſteriorem, ſub eadem ratione.Quartò,idem ſecundùm idem eſſe reale,& ſecundùm eandem exiſtendi rationem,eſſe cauſam, & effectũ ſuiipſius: quæ omnia eſſe abſurda demonſtratum reliquimus in philoſophia.

Adde quod Prædeterminantes docent, ideò dari nobis à Deo Prædeterminationem phyſicam vt operemur, quia, inquiunt, ſine ea non poſſumus operari, ſicut datur nobis potentia viſiua vt videamus, quia ſine illa videre non poſſumus; at iuxta ſententiam iſtam quam impugnamus;ideò daretur Prædeterminatio ad operandum,quia operati ſumus, quod perinde eſt ac ſi dicerent, ideò dari nobis potentiam viſiuam, quia vidimus. Neque obſtat quod ſolent replicare de cauſa finali,quæ eſt cauſa mediorum, & tamen rurſus media ſunt cauſa ipſius: quia id non accidit ſecundùm eandem

dem exiſtendi rationem, nam finis non eſt cauſa mediorum prout exiſtit à parte rei, ſiue ſecundùm eſſe ſuum reale, & actuale quo iam exiſtit, ſed ſecundùm eſſe obiectiuum & poſſibile, proſtat enim Ariſtotelis axioma, *præſentibus habitibus ceſſat motus*, id eſt, habito & exiſtente fine, ceſſat motus quo vſurpamus media; cauſatur autem à mediis ſecundùm eſſe actuale, prout poſtea exiſtit à parte rei.

Porro, aliquid exiſtere in apprehenſione & mouere finaliter, ſeu obiectiuè priuſquàm producatur à parte rei ſecundùm eſſe actuale, nihil inconuenit: ſententia autem quã impugnamus, exiſtimat Prædeterminationem phyſicam, & operationem pro qua datur, mutuò ſibi inuicem eſſe cauſas in diuerſo genere cauſæ poſtulantis exiſtentiam realem, & actualem, quod repugnat.

Denique, opponunt omnia ſuperiora argumenta poſſe nobis obiici, cùm enim fateamur non eſſe in noſtra poteſtate quòd Deus det nobis illam vocationem quam per Scientiam Mediam præuidet eſſe futuram efficacem, potius quam aliam quam præuidet futuram eſſe inefficacem, cúmque ex alia parte non poſſimus conuerti ſine vocatione efficaci; vel non debet imputari nobis quòd non conuertimur, vel debemus & nos his etiam argumentis reſpondere. Verùm hæc inſtantia facile à nobis diluitur, quamuis enim non ſit in poteſtate noſtra habere hanc numero vocationem, quam Deus per Scientiam Mediam præuidet futuram efficacem, quia id ex ſolius Dei voluntate pendet: tamen in poteſtate noſtra eſt, datâ hac numero vocatione, facere quòd collatio & acceptio huius vocationis fuerit collatio & acceptio vocationis efficacis, quatenus integrum nobis fuit ponere cum illa operationem, ex cuius futuritione conditionata, & præuiſione illius, iſta vocatio erat & denominabatur efficax: hoc autem ſufficit ad libertatem, & ad hoc vt poſſit nobis imputari quod habeamus, aut non habeamus vocationem efficacem. VI.

Itaque non reperitur in noſtra ſententia idem inconueniens quod ſequitur ex Prædeterminatione phyſica, quia aſſerimus Deũ præuidere per Scientiam Mediam abſque vllo decreto Prædeterminandi, aut etiam immediatè concurrendi, quòd ſi Petrus, exempli gratiâ, haberet huiuſmodi vocationem, conuerteretur; ſi verò aliam, non conuerteretur, ídque præuidere aſſerimus, non quòd iſta

vocatio coniuncta ſit cum aliqua entitate Prædeterminante,& potenter adigente voluntatem Petri ad vnum, ſed ſolùm ex libera propriæ voluntatis Petri Prædeterminatione; ſimiliter etiam quòd cum alia vocatione non ſit conuertendus præuidet, non quia hæc vocatio ex ſe ſit inſufficiens ob defectum alicuius principij neceſſarij ad operandum,ſed quia cùm Petrus poſſet conuerti ex illa vocatione,ſi daretur illi;ipſe tamen,pro ſua libertate nollet conuerti,& Deus potuiſſet præuidere contrarium,ſcilicet Petrum eſſe conuertendum ex illa vocatione, ſi conuerti voluiſſet. Poſt hanc autem præuiſionem, aſſerimus illam vocationem cui voluntas Petri reſiſtere potuiſſet, & ſe liberè determinare ad oppoſitum, & quæ quantùm eſt ex ſe contingenter conuerſioni coniungitur: aſſerimus,inquam; illam deinceps habituram effectum,non modò contingenter, ſed etiam infallibiliter, & neceſſariò ex ſuppoſitione conſequente determinationem ex intrinſeca libertate factam, præuiſam ſub conditione: recolendum eſt enim quod ſupra diximus,Scientiam tùm Mediam & conditionatam,tùm etiam viſionis, licet ſupponat obiectum contingens & liberum, tamen ex ſuppoſitione quòd obiectum ſit, vel futurum ſit,non poſſe non eſſe in Deo, neque enim poteſt Scientia deeſſe Deo circa vllum obiectum cognoſcibile, & quamuis homo ex parte ſua contingenter operaturus ſit,tamen ex ſuppoſitione quòd operaturus eſt, operatio ipſius poteſt eſſe obiectum Scientiæ infallibilis Diuinæ; & ſic vocatio non Prædeterminans poteſt eſſe medium accommodatum ad executionem præfinitionis,aut prædeſtinationis omnino & metaphyſicè prorſus indefectibilis.

Itaque,ſi Prædeterminatio eſſet ad operationem neceſſaria, non Prædeterminatus operari non poſſet,impotentiâ antecedente,quæ repugnat ſufficientiæ virium,& poteſtatis operandi, necnon etiam libertati humanæ;nunc autem in noſtra ſententia de efficacia gratiæ,quam hìc ſupponimus; qui non vocatur vocatione efficaci, ſed ſolùm inefficaci;non poteſt conuerti, impoſſibilitate conſequente, quæ nec ſufficientiæ auxilij,nec humanæ libertati vllo modo præiudicat.

CAPVT

# CAPVT IV.

## *Refelluntur Prædeterminantes, quia Deus prædetermi-naret nos ad peccata.*

TErtia ratio principalis aduerſùs Prædeterminationem phyſi- I.
cam eſſe poteſt, quia ſi voluntas noſtra operari non poteſt niſi prædeterminata à Deo, ſequitur eam quoties peccat, non peccare niſi prædeterminatam à Deo ad illum actum. Concedunt ferè Prædetermināntes conſequētiam, à quibus tamen Cumel in hoc puncto receſſit cum nonnullis aliis qui cum Prędeterminationem ad actus bonos admittāt, eam tamen in malis abhorrent, in quo piè & Religiosè loquuntur, vt Suar. ait, ſed nō conſequenter, nā cum voluntas noſtra tā ſit indifferens ad actus malos, quàm ad bonos, & in malis non minus ſubordinata Deo, quàm in bonis, oportet ſanè iuxta eorum ſentētiam Deum etiam voluntate ſuâ pręmouere, & Prędeterminare intus voluntates noſtras, vt tentationibus, & obiectis prauis conſentiant, neque poſſet à nobis id fieri niſi Prędeterminaremur à Deo pro ſua ſola voluntate faciente hunc conſentire, alterum diſſentire; ex quo deinde ſequitur, Deum omnium peccatorum eſſe auctorem, & non minus proditionem Iudæ, quàm conuerſionem Pauli proprium opus Dei eſſe, quòd repugnat Tridentino, & rationi.

Alij ergo conſequentiùs loquuti, fatentur hominem non poſſe II.
elicere actum odij, verbi gratiâ, prohibitum, niſi ex Prædeterminatione diuina; ſed Reſpondent, Deum Prædeterminare ſolùm ad materiale peccati, non autem ad formale, qua in re nota per, ly, *materiale peccati*, non ſolùm intelligi ab his auctoribus actum prohibitum ſecundùm aliquam duntaxat rationem genericam & communem volitionis, aut actionis aut entis, ſed etiam ſecundùm omnes conditiones, & circunſtantias indiuiduantes, ac determinantes actum: docent itaque, Deum Prædeterminare hominem ad actum odij, & Deum Prædeterminare quod fiat hic actus odij etiam prout
eſt

eſt actus liber,& cum aduertentia ad malitiam, & prohibitionem, non tamen velle,aut Prædeterminare,quòd ille actus ſit prauus, & peccaminoſus,nec ſequitur(inquit Ripa)quæſt.9.part. 1. art. 8. cap. 12. *Deum facere vt homo peccet, quoniam ad actionem tantùm determinat, nullo modo ad deformitatem.*

Sed contrà,quia nequidem homo aliter cauſat malitiam formalem furti,verbi gratiâ,niſi ponendo entitatem poſitiuam, & actum liberum acceptionis rei alienæ,Imò ipſe homo non vult formalem malitiam, ſed potius vellet poni furtum ſine malitia formali, quia tamen poſito furto ſequitur neceſſariò malitia, inde eſt quòd omni volenti materiale cum aduertentia, libertate, & prohibitione, imputatur etiam malitia furti,& hîc habet locum axioma, *Id quod eſt cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati*, ſcilicet quando cauſa talis eſt, vt ad ipſam neceſſariò conſequatur effectus,tunc enim qui vult cauſam, vult etiam effectum ex illa conſequutum. Confirmatur, quia vnus homo dicitur cauſa peccati alterius,quatenus impellit eum ad materiale peccati,non enim ſuadet illi formalitatem malitiæ, ſed ſolùm acceptionem rei alienæ,quam optaret fieri ſine malitia, ſed quia malitia neceſſariò comitatur actum,ideo imputatur; ergo ſimiliter Deus Prædeterminans ad materiale, dicetur etiam Prædeterminare ad formale.

Secundò, quia Deus non ſolùm prohibet formale peccati, ſed etiam materiale:Imò non poteſt prohibere formale,niſi prohibendo immediatè materiale; quomodo ergo ſtare poteſt, Deum ex vna parte prohibere, diſſuadere, deterrere à materiali, ex alia verò Prædeterminare, & impellere ad ipſum, idque ex ſeipſo, & nullâ ſumptâ occaſione ex parte noſtri? ſanè ſi quis ſuaderet Petro & moueret illum ad occidendum Paulum priuatâ auctoritate, & ſimul ab eo enixè peteret ne in illa occiſione peccaret,ſuaſio illa eſſet inepta,& ridicula: Ita, &c.

Tertiò,tanta eſt connexio inter actum odij Dei, verbi causâ, & malitiam eius,vt ratione illius connexionis,non poſſit homo, nec ſibi,nec alteri deſiderare,actum liberum odij Dei:ergo neque Deus poterit illum deſiderare,neque Prædeterminare vt ab homine producatur,quia,ſi liceret illum deſiderare,deſiderium eſſet malum,& non eſſet malum:non eſſet malum,quia ſupponeretur licitum;eſſet

autem

autem malum, quia terminaretur ad obiectum malum.

Ampliùs impugnatur ſolutio, quia inde ſequitur non eſſe minorem cauſalitatem Dei erga peccatum, quàm ab hæreticis noſtri temporis admittitur; nam & ipſi frequenter docent, Deum eſſe cauſam peccati quoad materiale, non autem quoad formale.

Denique, ſequitur ex hac Prædeterminatione ad materiale peccati aliud inconueniens, ſcilicet tentationem grauem, & leuem, non differre ex vehementia obiecti, aut tentationis dæmonis, aliiſque circunſtantiis, ſed omne illud periculum in quod per tentationes coniicimur peti ſolùm ex Prædeterminatione diuina, ex quo ſequitur, hominem nunquam peccare ſine tentatione diuina, eáque grauiſſimâ, cum tamen Deus intentator malorum ſit: Probatur ſequela, quia nunquam peccat homo ſine Prædeterminatione phyſica a Deo immiſſa ad actum prauum, nulla autem maior tentatio dari poteſt quàm Prædeterminatio phyſica, cui reſiſti non poteſt, non ergo debemus petere a Deo maiores vires contra grauiſſimas tentationes, quàm contra leuiſſimas; ſed eaſdem ad omnes tentationes, ſcilicet Prædeterminationem phyſicam ad diſſenſum: ex quo etiam fit, non requiri maiorem gratiam ad operandum benè in tempore tentationis, quàm ſine tentatione; vtrobique enim requiritur Prædeterminatio phyſica æqualis ad diſſentiendum tentationi: conſequens autem eſt contra Auguſtinum, & Patres exiſtimantes propter difficultatem operis requiri nunc in natura lapſa vrgente tentatione potentiorem gratiam, quàm in natura integra fuiſſet neceſſaria.

Dices, hæc argumenta inſtaurari poſſe aduerſus alios Auctores III.
Concurſus proximi, & ſimultanei, quia Deus in eorum ſententia vult de facto concurrere ad materiale peccati ſecundùm totam poſitiuam entitatem illius actus, neque tantùm quoad rationem genericam, ſed etiam quoad ſpecificam, & indiuiduam, & tamen ipſe non vult concurrere ad malitiam; ergo licet Deus Prædeterminet ad entitatem poſitiuam odij liberi, non ſequitur quòd velit, aut cauſet malitiam odij; eadem enim videtur eſſe difficultas in voluntate & decreto concurrendi, quæ eſt in decreto Prædeterminandi: Reſpondetur: qui nobiſcum putant Deum non concurrere immediato, & identificato influxu phyſico ad actum peccati,



Digitized by Google

quod nos quidem infra prolixè demonſtramus eſſe veriſſimum, hoc argumento non premuntur.

Alij verò, de quibus ſatis ſuprà egimus cap. 12. & 13. ſecundæ partis; Reſpondent, Deum velle concurrere cum cauſa ſecunda libera, & applicare illam, non quidem determinatè ad actum prauũ, ſed diſiunctim, & indeterminatè, vel ad actum prauum, vel ad bonum, ſcilicet per voluntatem indifferentem applicantem potentiam ſuam, vt concurrat vel ad hunc actum, vel ad illum, diſiunctim. Ex quo ſequitur, illam voluntatem Dei non habere determinatam connexionem ſecundùm ſe cum actu odij; imò magis propendere in actum bonum contrarium; At verò Prædeterminatio connexionem habet neceſſariam, & determinatam cum actu odij nec poteſt coniungi cum actu contrario, vt vidimus, & Deus decretum format illius nobis immittendæ ex ſeipſo, & inconſultâ voluntate noſtrâ; Ex quo inferunt nullam eſſe paritatem inter Prædeterminationem, & voluntatem concurrendi; & ampliùs, Prædeterminationẽ actus peccaminoſi, magis repugnare Diuinæ innocentiæ, & ſanctitati, & odio quo ipſe iniquitatem proſequitur, tùm quia, præter ipſam prædeterminationem Aſſertores illius admittunt inſuper decretum abſolutum concurrendi immediatè Concurſu identifico ad actum in quo eſt peccatum: Aſſertores autem Scientiæ Mediæ non ponunt niſi decretum concurrendi immediatè, & identificè: Tùm quia; decretum concurrendi diſiunctiuè, vel ad actum bonum, vel ad malum, non determinat voluntatem creatam ad actum malũ infallibiliter faciendum, quemadmodum facit decretum prædeterminandi.

Veruntamen, nos infrà quartâ parte probaturi ſumus, decretum ſiue conditionatum, ſiue abſolutum concurrendi ad actum prauum, proximè, & identificè, ſi daretur in Deo, non minùs repugnaturum Diuinæ Innocentiæ, quàm decretum prædeterminandi: propter quod veriùs eſt, nullum dari in Deo tale decretum, ſed duntaxat decretum concurrendi remotè, ac mediatè, ex quo nihil malitiæ refundi poteſt in Deum.

IV. Obiicitur ſecundò, ex permiſſione peccati: Deus vult permiſſionem peccati, quæ quidem vt talis eſt, habet infallibilem, & neceſſariam connexionem cum peccato: & tamen Deus volens permiſ-

permiſſionem peccati, non vult peccatum, nec malitiam quæ ex permiſſione conſequitur tanquam conſequens ab antecedente; ergo licèt Deus prædeterminet ad materiale peccati cum quo malitia formalis habet neceſſariam connexionem, poteſt non prædeterminare ad malitiam.

Reſpondeo; ille ſolus dicitur conſequens velle cum antecedẽte, qui vult aliquod antecedens habens aliquam connexionem cum conſequente per modum cauſæ cum effectu, quo ſenſu dici ſolet, qui vult cauſam, vult etiam effectum in cauſa contentum, & ab ea neceſſariò ſequutum; Deus autem volendo permiſſionem peccati, non vult cauſam peccati, (neque enim ipſa permiſſio infert actum malum ſicut cauſa neceſſaria phyſica infert effectum) ſed vult aliquid quod per quandam connexionem logicam, ſeu, vt aiunt, obiectiuam infert illud peccatum; Sicut ſi vellet reuelare Petro peccatum ipſius ſub conditione futurum, & ſimul ponere Petrum cum ea occaſione, non diceretur velle peccatum eo quòd velit reuelationem quæ habet neceſſariam connexionem cũ peccato, quia nimirum illa connexio non eſt per modum cauſæ antecedentis, & influentis in peccatum, ſed potiùs conſequens eſt ad peccatum, quia priùs eſt peccatum eſſe futurum, quàm vt tale præuideri; Rurſúmque, priùs eſt præuideri, quàm reuelari, aut prædici: Ita volendo permiſſionem peccati, ſeu carentiam auxilij efficacis, non vult peccatum, quia illud quod vult, non habet neceſſariam connexionem cum peccato per modum cauſæ, ſed ſolùm per ſuppoſitionem ipſius peccati futuri ſub conditione, quam etiam ſuppoſitionem peccati Deus non vult, id eſt, peccati ipſius futuritionem; Prædeterminatio autem ſecundùm ſe eſt cauſa antecedenter & infallibiliter inferens actum malum, quare non videtur, Deum poſſe velle Prędeterminationem, exempli causâ, ad odium, cum virtute cauſandi quam ipſa Prædeterminatio habet, quin velit totum effectum in virtute illius cauſæ contentum.

Cæterùm, vt appareat in quæ incommoda ruant qui admittunt Prædeterminationem phyſicam ad actus prauos, odij Dei, blaſphemiæ, mendacij, aut alios ſimiles, infrà ex profeſſo oſtendemus cap. 10. quartæ partis, Deum intrinſecâ & quidditatiuâ ſuâ rectitudine, quæ ſibiipſi eſt lex, & regula, obligari vt ſeipſum tãquam ſummum

 bonum

bonum honeſtum neceſſariò diligat, eſſéque illi prohibitum, vel potiùs impoſſibile vt velit, ac prædeterminet vt creaturæ odio habeant, & contemnant eum per realem & poſitiuum actum odij, etiamſi talis actus defectu iudicij, & libertatis, à malitia & peccato ſeiungi poſſet; quia procurare, prædeterminare, & efficere vt homines per realem volitionem proſequātur odio ſummum bonum honeſtum, & contemnant diuinas leges reali, ac poſitiuo contemptu, non poteſt eſſe conforme dictamini Sapientiæ de amando bono honeſto, quanrumcunque ab hoc odio, & contemptu velis præſcindere malitiam, dummodò relinquas vitalem, ac liberam tendentiam contra Deum, & legem eius: Sed de hoc argumento ſatis: cui vnicum prætereà addituri ſumus.

V. Nimirùm, quia Auctores Prædeterminationis phyſicæ, neceſſitatem illius fundant in ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primā, quæ cùm ſaluari debeat in omni genere actionū, ſiuè naturalium, ſiuè liberarum, conſequens eſt vt Sol ad illuminandum, & ignis ad comburendum indigeat Prędeterminatione phyſicâ, quantumuis idoneum ſubiectum adſit præſens. Inquiro igitur, An virtus actiua Solis egeat vnâ præmotione, ſeu Prædeterminatione phyſicâ ad illuminandum, & aliâ, vel pluribus aliis ad influendum hoc & illo genere influentiarum? An verò potiùs vna & eadem ſufficiat ad quidlibet operandum: Prætereà quoque ſciſcitandum eſt, An huiuſmodi qualitas præmouens, ſeu prædeterminans, ſit fixa, & ſtabilis entitas? An verò potiùs fluens & tranſiens; hoc ſecundum dici non poteſt, quia cùm virtus illuminatiua Solis indeſinenter operetur producendo lumen in aëre, & in cœlis, ſequitur præmotionem, & Prædeterminationem illius ad illuminandum, habere eſſe fixum, & ſtabile, non minùs quàm virtutem illuminatiuam illius: Sed neque illud primum dici poteſt, ſcilicèt quòd iſta entitas prædeterminans ſit fixa, & ſtabilis entitas; Tum quia Auctores illius id negant; Tum quia numeranda eſſet inter alias cauſas naturales, & virtutes actiuas, atque adeò indigeret aliâ Prædeterminatione, & præmotione ad operandum, & ſic daretur progreſſus in infinitum.

VI. Itaque fatendum eſt, viam Prædeterminātium non minoribus incommodis eſſe obnoxiam, quàm illam Aſſertorum Scientiæ

Mediæ,

Mediç.&vtrámque factionem dum mutuam alterius vim eneruat, ſententiam noſtram ab vtraque diffidente reddere veriſimillimam, ſi non potius omnino certam. Neque verò neceſſe eſt multiplicare ſermonem fruſtrà in perſequendis vlterius Prædeterminationibus phyſicis,aut in refellendis argumentis quibus earum Auctores ad eam conſtabiliendam vti ſolent: Tum quia, moderni Aſſertores Scientiæ Mediæ diligentiſſimam in hac re operam poſuerunt, & quæ prætereà dici poſſunt in confutationem Prædeterminationis phyſicæ,paſſim obuiam reperiuntur in libris,& vt plurimùm attingunt materiam auxiliorum gratiæ, à qua in præſenti calamus temperandus eſt: Tùm quia,in quarta & poſtrema parte huius opuſculi, in examine quæſtionis philoſophicæ,de neceſſitate Diuinæ cooperationis identificatæ,& ſimultaneæ ad actus noſtros,præcipua Aduerſariorum argumenta diluemus,oſtendemúſque iis minimè probari poſſe Concurſum identificatum,& ſimultaneum,exquo etiam conſequens erit,vt ad ſtabiliendam Prædeterminationem phyſicam non valeant.



Digitized by Google

# QVARTA PARS TRACTATVS,

In qua examinatur Quæſtio partim Philoſophica, partim etiam Theologica; vtrum voluntas creata, præter collationem, conſeruationémque exiſtentiæ ſuæ, virtutis agendi, & propenſionis ad actum quam habet à Deo; indiſpenſabiliter indigeat actuali eius Concurſu immediato, proximo, ſimultaneo, & identificato ad quamlibet actionem ſuam, bonam, ac malam.

## CAPVT PRIMVM.

*Continens argumentum, & ſcopum huius poſtremæ partis opuſculi.*

I. CVM Prædeterminantes benè oſtenderint, ſtante veritate iſtius antecedentis, ac principij quo aſſerebatur indiſpenſabilis neceſſitas Concurſus Diuini, immediati, & identificati ad omnem actum creaturæ; impoſſibile eſſe vt Deus voluntati cooperaturus, exploret, ſcrutetur, expectet, & conſulat voluntatem creatam, vt præuidens

Digitized by Google

præuidens per Scientiam Mediam quid ipſa ſit operatura, decernat concurrere ad eam ipſam operationem, eo quòd ante decretum concurrendi voluntas creata non appareat in conſpectu Dei, niſi qualis eſt de ſe, ſecundùm ipſos, nimirum impotens, vt aiunt, prorſúſque inſufficiens ad operandum; quo fit, vt ſtante identitate Concurſuum, repugnet, arbitrium præuideri concurſurum ad hoc, aut illud prius ratione quàm Deus ad idem ſit concurſurus.

Cúmque viciſſim Aſſertores Scientiæ Mediæ demonſtrarint efficaciter, opinionem Prædeterminantium plurimùm laborare in ſaluanda libertate noſtra, ac Diuina ſanctitate, dum aſſerit Deum præfiniiſſe ab æterno omnes actus noſtros inconſultis voluntatibus noſtris, ac deinde præmouere in tempore, & Prædeterminare illas, prætereáque cum illis influere Concurſu indiſtincto, & ſimultaneo ad quaſcunque actiones earum, bonas, ac malas.

Sequitur vtramque opinionem eſſe falſam, & nos meritò cogitaſſe de examinando antecedẽte, ſeu principio, ex cuius ſuppoſitione, ſi verũ fuiſſet, ſequebatur, vt neceſſariò alterutra factio, ſcilicet Prædeterminantium, aut Aſſertorum Scientiæ Mediæ, eſſet amplectenda; quia enim veriſſima eſt Dialecticorum regula, *falſum ſequi ex falſo, & impoſſibile ex impoſſibili*, quotieſcunque ex aliquo antecedente in bona conſequentia deducitur aliqua propoſitio, ſi quis illam demonſtrauerit eſſe falſam, aut impoſſibilem, eo ipſo demonſtraſſe cenſetur falſum, atque impoſſibile eſſe ipſum etiam antecedens.

Supereſt igitur vt (tametſi ex antedictis perſpicuè ſatis apparere poſſit, quæ ſit noſtra circa præſentem difficultatem ſententia) in hac tamen quarta, & poſtrema parte opuſculi diligenter examinemus, atque ex principiis philoſophicis, ac Theologicis diſcutiamus propoſitionem illam, quæ fuit potiſſima radix, & ſcaturigo controuerſiarum ferè omnium, quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & eorum aduerſarios ex altera; quam nos ſanè propoſitionẽm, ſaluâ Aduerſariorum dilectione, & honorificentiâ, exiſtimamus eſſe falſiſſimam, atque adeo reformandam, & corrigendam; quod ſi à nobis demonſtratum fuerit, conſequens erit vt finiri debeat vtriúſque factionis controuerſia, quam præſente opuſculo pertractandam ſuſcepimus, inficiatâ neceſſitate Concurſus proximi, II.

immediati

immediati, identificati, & ſimultanei, & conſequenter inficiato decreto ſic concurrendi ad quemcunque actum noſtrum bonum, ac malum.

---

# CAPVT II.

*In quo ſententia negans Concurſum immediatum & indiſtinctum Dei ad actiones creaturæ, à Sanctorum Patrum teſtimonio, præſertim verò à Beatorum Auguſtini, & Anſelmi auctoritate commendatur.*

I. Operæpretium facturum me exiſtimaui, ſi poſtremam huiuſce opuſculi partem, quæ omnium præcipua eſt, à præſenti tractatione auſpicarer: tum quia, plurimùm refert in vnaquaque materia quæ alicuius momenti ſit, probatos Auctores, ſi qui fortè ſint quos ſequaris, adducere: tum quia, non deerunt fortè qui contrariis opinionibus imbuti, contendant eam, quam nos præſenti opuſculo ſequimur, ſingularitatis, nouitatis, Pelagianiſmi, aut irreligioſitatis infamare, vel diſputandi, contradicendique libidine; vel quòd ſint ex illorum numero, qui ſe quaſi capitaliter læſos, maximáque affectos iniuriâ putant, ſi quis aliter quàm ipſi docere ſolent, ſentire, ac docere præſumpſerit; aut fortè quia hæc eſt humanæ mentis infirmitas, vt nos pudeat ſequentibus ſcriptis atque ſententiis emendare, quod in prioribus aliquando errauimus; noſtrúmque errorem malimus quacúmque viâ defendere, quàm ſententiam tametſi falſam, præſertim alio admonente, retractare.

Cùm igitur opinio quam impugnamus ſupponat implicare contradictionem, vt aliqua actio, bona, aut mala, fieri poſſit à cauſa ſecunda quin Deus ad eandem concurrat influxu proximo, immediato, & indiſtincto, qui ſit ipſiſſima, eadémque actio cauſæ ſecundæ, & non aliquod actionis principium: Cúmque iſta propoſitio

poſitio fuerit radix, & ſcaturigo controuerſiarũ ferè omniũ, quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte,& Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera, quemadmodum ex ſupradictis liquet; non erit, opinor, inanis labor noſter in Domino, ſi enixiſſimã adhibuerimus operam, ad ſententiam illius contradictoriam, non tam falſitatis, aut improbabilitatis merito,quàm Aduerſariorum iniuriâ ab Scholis exulantem,ſplendori iterùm ſuo, atque auctoritati reſtituendam; atque in Theologorum Scholas quodam quaſi poſtliminio reducendam; vtpote ſine qua,neque finiri controuerſia, neque plurima difficillima dubia Theologica ad fidem ſpectantia explicari poſſunt.

Itaque inquirendum eſt; An ſententia negans Concurſum Dei proximum, & identificatum, quam nos exiſtimamus eſſe veriſſimam,dici poſſit noua, ſingularis,atque omni præſidio auctoritatis deſtituta, cuiuſmodi eam eſſe aliqui nobis obiiciunt: Atque imprimis præſupponendum eſſe monebimus; quòd, quia oppoſita ſententia vtitur iiſdem rationibus, Auctoribuſque ad probandum Deum concurrere proximè, & immediatè ad actus bonos, quibus vtitur ad probandum eum ſic concurrere ad actus malos; ſi perſpicuè oſtenſum fuerit, adductis SS. Patrum, pluriúmque inſigniũ Theologorum teſtimoniis; Deum non ſic concurrere ad malos; Aduerſariorum dicta corruent, & noſtra opinio prædictum Concurſum Dei proximum negans apparebit veriſſima, ac fundata; quia actus malus,aliquis actus eſt; proptereáque ſi praui actus fieri poſſunt Deo non influente Concurſu immediato,& indiſtincto; planè confectum erit, huiuſmodi Concurſum Dei non eſſe indiſpenſabiliter neceſſarium ad omnem actum. II.

Dico primò, Tametſi Antiqui Eccleſiæ Patres controuerſiam de Concurſu Dei remoto,vel proximo,diſtincto,vel indiſtincto in terminis omnino claris & perſpicuis plerumque non diſputauerint; ſententia tamen negans Concurſum Dei proximum & identificatum, ſaltem quoad actus prauos, eorum dictis longè eſt conformior quàm affirmans Prima pars probatur, quia ne ipſi quidẽ Aduerſarij locum vnum,ac teſtimonium, quod ſciam,alicuius Sãcti Patris adducunt, in quo expreſſiſſima mentio fiat Concurſus proximi,& identificati ad ſingulos actus noſtros,quod tamẽ haud III.

Ff dubiè

dubiè facturi erant, ſi res ſe aliter habuiſſet: Secunda pars Probatur ex iis quæ toto hoc capite, & quibuſdam aliis ſequentibus dicturi ſumus.

IV. Dico igitur ſecundò; Beatus Auguſtinus, quemadmodum probat Vaſquez 1. 2. diſp. 129. cap. 2. & 3. apertè adſtipulatur ſententiæ Durandi, & noſtræ quantùm ad actum peccaminoſum, quod ſatis eſt; inde enim propoſitionis noſtræ vniuerſalis veritas efficaciter roboratur, aſſerentis huiuſmodi Concurſum Dei proximum, & identificatum non eſſe indiſpenſabiliter neceſſarium ad omnem actum.

Neque verò ſolus Vaſquez in noſtras adduxit copias Beatum Auguſtinum, ſed & Hugo Victorinus in cap. 11. ad Rom. quæſt. 28. his verbis, referente Hurtado Mendoza diſp. 10. phyſicę poſtremę editionis: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; Quæritur, An peccata inquantùm ſunt, ſint à Deo? Si enim omnia; ergo & peccata, vel peccata non ſunt de numero omnium. Solutio: Nonnulli dicunt quòd peccata inquantùm ſunt, habent eſſe à Deo; ſed Auguſtinus de natura boni, dicit, tantùm ea quæ ſunt naturaliter, debere intelligi cùm dicitur omnia eſſe ex Deo, non peccata, quæ naturam corrumpunt. Non ergo peccata ſunt ex Deo aliquo modo.* hæc Hugo agens de materiali peccati, illis verbis, *inquantùm ſunt*, id eſt, vt ſunt ens, & illis, *non ſunt ex Deo aliquo modo.*

Poſſumus autem citare inſuper Auguſtinum ſermone 13. de verbis Apoſtoli, *Cùm dico tibi, ſine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico, nam ad malè agendum habes ſine adiutorio Dei liberam voluntatem*: & lib. 5. de ciuit. cap. 9. his verbis: *Sicut enim omnium naturarum Creator eſt; ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum: Malæ quippe voluntates* (intelligit actus malos voluntatis) *ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.* Et libro de ſpiritu & litera cap. 31. *Nuſquam legimus*, inquit, *non eſt voluntas niſi à Deo, & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt; alioquin etiam peccatorum, quod abſit, Auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo; quoniam mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus, id eſt, ſi non habeat poteſtatem.*

In quibus Auguſtini teſtimoniis obſeruandum eſt; eum diſtinxiſſe inter naturam, ſiue ſubſtantiam rei, & illius actum, & operationem; ac docuiſſe, naturam omnem, ac ſubſtantiam, ſiue rem,

eſſe

eſſe à Deo; minimè verò actum omnem,ſeu operationem rei; ita 1.lib. hipognoſticon ad finem. *Diabolus naturâ eſt Angelus; ſed quòd natura eſt opus Dei eſt; quòd verò Diabolus,vitio ſuo eſt,vtendo malè naturæ ſuæ bono; opera verò eius mala, quæ vitia dicuntur,actus ſunt, non res.* Item in lib. de perfectione iuſtitiæ ratione 4. *Quid eſt peccatum*, inquit, *actúſne, an res? Si res eſt, neceſſe eſt habere Auctorem; & ſi Auctorem habet, non alter erit Auctor quàm Deus alicuius rei; quòd ſi hoc impium eſt; neceſſe eſt dicere peccatum eſſe actum, non rem; Si igitur actus eſt, imò quia verè actus eſt, vitari poteſt.*

Et libro 12. Confeſſionum cap. 11. *Item dixiſti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quòd omnes naturas, atque ſubſtantias, quæ non ſunt quod tu es, & tamen ſunt,tu feciſti; & hoc ſolùm à te non eſt, quod non eſt; motúſque voluntatis à te qui es,ad id quod minus eſt; quia talis motus, delictum,atque peccatum eſt.*

Rurſúmque 2.lib.de libero arbitrio cap.10. *Sed tu fortaſſe,* inquit, *quæſiturus es; quoniam mouetur voluntas, cùm ſe auertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, vnde ei iſte motus exſtat? qui profectò malus eſt, tametſi voluntas libera, quia ſine illa nec rectè viui poteſt,in bonis numeranda ſit; ſi enim motus iſte, id eſt,auerſio voluntatis à Domino Deo,ſine dubitatione peccatum eſt;num poſſumus auctorem peccati Deum dicere? non erit ergo iſte motus ex Deo; vnde igitur erit? Ita quærenti tibi ſi reſpondeam neſcire me? fortaſſe eris triſtior, ſed tamen vera reſponderim; ſciri enim non poteſt, quod nihil eſt. Tu autem pietatem inconcuſſam tene; vt nullum tibi bonum,vel ſentienti, vel intelligenti, vel quoquomodo cogitanti occurrat,quod non ſit ex Deo; ita enim nulla natura occurrit, quæ non ſit ex Deo:* & infrà, *Omne bonum ex Deo; nulla ergo natura eſt, quæ non ſit ex Deo; Motus ergo ille auerſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectiuus motus eſt; omnis autem defectus ex nihilo eſt; vide quò pertineat; & ad Deum non pertinere ne dubites; qui tamen defectus, quoniam eſt voluntarius,in noſtra poſitus eſt poteſtate.*

Circa hanc poſtremam Auguſtini auctoritatem obſeruandum eſt.in nonnullis editionibus quas Aluarez ſecutus eſt, legi, *Et ad Deum pertinere non dubites*, ſed mendosè: Hurtadus enim diſputatione 10.phyſicæ,benè oſtendit legendum eſſe.*Et ad Deum non pertinere nè dubites,* quemadmodum Codices correctiores habent, & clarè ex antecedentibus colligitur: Nam cùm D. Auguſtinus dixiſſet,

xiſſet, omne bonum, & omnem naturam eſſe ex Deo; defectum autem eſſe ex nihilo, quod contraponitur Deo; intulit actum peccati, quia defectiuus eſt, non eſſe ex Deo, ſed ex nihilo; non quòd neget actum illum peccati eſſe actum poſitiuum, & produci à nobis, neque enim aliter poſſet nobis eſſe voluntarius; ſed quia plerumque Patres ſollicitiores vt excitaremur ad vitandum peccatum, quàm ad naturam, & cauſas eius metaphyſicè inueſtigandas; in illius deſpectum dicere ſolent, peccatum quodcunque, tametſi vmbram aliquam ſuauitatis, vel vtilitatis obtendat, nihili tamen eſſe faciendum; & quia peccatum non eſt ex imitatione Dei, quem nullâ ratione auctorem habet, ſed vindicem; & quia nos à bonis diuinis excidentes in nihilum pertrahit; facítque nos eſſe nihil; ſiue quod idem eſt, nihili: & quia ideò in peccata ruimus, quia ex nihilo ſumus; propter quod etiam dicere ſolent Patres, ac Theologi non eſſe quęrendam peccati cauſam efficientem, ſed deficientem; & actum peccati nullâ conſtare eſſentiâ, ſeu naturâ: ob has, inquam, rationes, B. Aug. intulit, actum peccati non eſſe ex Deo, ſed ex nihilo.

V. Non me latet Gabrielem Vaſquez à quibuſdam reprehendi, quòd in hanc noſtram ſententiam B. Auguſtinum adduxerit; eò quòd S. Pater variis locis dixerit, Omne quicquid eſt, quoniam eſt, inquantùm eſt, à Deo eſſe; ex quo inferunt ex mente Auguſt. actum peccati, quoniam verè eſt ens, ſeu entitas quædam poſitiua, ex Deo eſſe.

Facilè tamen reſpondemus, tametſi actio noſtra praua non fiat proximè, & immediatè à Deo nobiſcum in eam influente Concurſu realiter indiſtincto; nihilominùs tamen admittendum eſſe, quamlibet actionem creaturæ, atque adeo etiam eam quæ mala eſt, eſſe à Deo aliquo tali modo qui ſufficiat, vt ipſe verè dicatur primum agens, ac mouens; alioqui ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam nō ſaluaretur; ad hoc autem vt ſaluetur, ſufficit Deum concurrere ad actus noſtros mediante voluntate, influxu ſcilicet remoto, ac mediato: & hæc fortaſſe cauſa fuit, cur Durandi ſententia malè apud multos audierit; qui cùm eius verba non legiſſent, falſò exiſtimauerūt eum negaſſe, quòd Deus ſit cauſa actionis peccati vniuerſalis, & prima, cùm tamen illudipſum expreſsè

docuerit

docuerit in 2. diſt. 37. quemadmodum dicemus *infra.* Itaque B. Auguſt.planè idem ſenſit quod Durandus: Cùm enim dixit *actum peccati non eſſe ex Deo*,ſolùm dicere voluit, Deum non eſſe cauſam illius proximam,& immediatam; neque cum nobis vires arbitrij contuliſſe eo fine vt peccata committamus; propterеáque eum peccati auctorem minimè eſſe dicendum: Cùm verò docuit *omnem actionem noſtram quatenus ens aliquod eſt,à Deo eſſe*,dicere voluit Deum eſſe cauſam actionis peccati vniuerſalem,& primam; ſcilicet à qua talis actio remotè ſaltem pendet mediante voluntate, ad eum modum quo D. Thomam ſenſiſſe idem dicemus capite proximè ſecuturo.

Dico tertiò, idem S. Auguſtinus,etiam in teſtimoniis illis quæ citari ſolent pro ſententia contraria, expreſſiùs ſignificat Concurſum Dei remotum,ac mediatum; quàm proximum,immediatum,& indiſtinctum;ex quo ſequitur eum eiuſdem fuiſſe omnino ſententiæ quam nos hîc ſequimur, non modò reſpectu actuum malorum, ſed etiam reſpectu bonorum qui ſunt ordinis naturalis; de quibus ſolùm hîc loquimur; eo quòd præſens tractatio minimè actus ſupernaturales attingat. VI.

Probatur concluſio adductis in medium teſtimoniis; Itaque obiici ſolet Auguſtinus lib. 4. de geneſi ad literam cap. 12. dicens: *Poteſt intelligi*( inquit)*Deum requieuiſſe die ſeptimo à condendis generibus creaturæ;quia vltra iã non condidit aliqua genera noua,deinceps autem vſq; nunc,& vltra,operatur eorundem adminiſtrationem quæ tunc inſtituta ſunt, non vt ipſo ſaltem die ſeptimo potentia eius à cæli , & terræ omniumque rerum quas condiderat gubernatione ceſſaret,alioquin continuò dilaberentur; Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ, quæ virtus ab eis quæ creata ſunt ſi aliquando ceſſaret;ſimul & illorum ceſſaret ſpecies,omniſque natura concideret; Proinde & quod Dominus ait,Pater meus vſque modò operatur,continuationem quandam operis eius, quo vniuerſam creaturam continet,atque adminiſtrat, oſtendit.*

Rurſumque lib. 5 de geneſi ad literam cap 5. initio, *Sunt*(inquit) *qui arbitrantur,tantummodò mundum ipſum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipſo mundo ſicut ille ordinauit,& iuſſit,Deum autem ipſum nihil operari: contra quos profertur illa ſententia Domini,Pater meus vſque nunc operatur,*

& poſt pauca:*Deinde quia non ſolùm magna atque præcipua,verùm etiam iſta terrena,& infima ipſe operatur:ita dicit Apoſtolus:ſtulte tu,quod ſeminas non viuificatur, niſi priùs moriatur, &c. ſic ergo credamus, vel ſi poſſumus, etiam intelligamus,vſque nunc operari Deum, vt ſi conditis ab eo rebus operatio eius ſubtrahatur,intereant.*

VII. Iterum quoque Epiſtola 146. ad Conſentium paulò ante finem *Quomodo enim* (inquit)*negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta quæ creantur; cùm Dominus dicat Pater meus vſque nunc operatur. Vnde illa ceſſatio ſeptimi diei ab ipſis naturis condendis intelligenda eſt facta; non ab earum adminiſtratione quæ condita referuntur, ſic autem naturas quas condidit adminiſtrat,vt eas ſinat agere motus ſuos.*

Reſpondeo primò,mirum eſſe quòd Theologi citare potuerint ea teſtimonia aduersùs opinionem Durãdi,cùm expreſsè Auguſtinus ea protulerit ad refellendam veterum aliquorum ſententiam qui aſſerebant,Deum ceſſare omnino ab omni prorſus actione, & nihil ampliùs operari;quam ſentẽtiam fatemur eſſe plenè, ac planè hæreticam: & nos ab illa alieniſſimos;ſicut & Durãdum ipſum,vtpote qui omnino doceat, Deum etiamnum hodie Concurſu effectiuo conſeruare cœlos,Angelos, materiam, animaſque hominum ſingulis momentis ex nihilo creare,quibus etiam infundit habitus, aut qualitates ſupernaturales, vt principia idonea eſſe poſſint ad actus ſupernaturales producendos:præterquàm quòd ipſe idem docet,Deum eſſe cauſam primam,& vniuerſalem cuiuſcunque operationis creaturæ,tametſi non proximam,& immediatam.

Reſpondeo ſecundò, D. Auguſtinum poſtremis illis verbis explicare, quomodò Deus creaturam quam condidit adminiſtrat, nimirum dum dixit:*Ita vt eam motus ſuos agere ſinat*, quæ profectò phraſis,expreſſiùs ſonat Concurſum Dei mediatum, ac remotum, quàm proximum, & immediatum; & actionem ſeu motum Dei diſtinctum à motu,& actione creaturæ,quàm identificatum, & indiſtinctum:neque enim propriè dicimur ſinere ac permittere vt aliquis agat id quod nos etiam ſimul cum illo proximè, & immediatè coëfficimus.

Ampliùs obiici ſolet;Auguſtinum docuiſſe;Deum agere,vt homines agant; & facere vt faciant; & facere vt velint; & ſine nobis operari vt velimus, & nobiſcum cooperari cùm volumus:qui modus

dus loquendi frequens eſt in Auguſtino, vt in lib. 10. de gratia Chriſti contra Pelagium & Cœleſtium c. 25. lib. de correptione & gratia cap 20. in lib. de gratia & libero arbitrio cap. 16. lib. 3. hipognoſticon. ſermone 13. de verbis Apoſtoli. libro item 22. de ciuitate, cap. 24. docuit, *Deum occultâ potentiâ mouere omnes creaturas; & ſi efficacem ſuam potentiam rebus ſubtrahat, illas nec progredi poſſe, nec ſuis motibus peragere tempora: nec prorſus in eo quod creata ſunt aliquatenus permanere*, & lib. 3. de Trinitate cap. 4. *Dei voluntatem eſſe primam, & ſummam cauſam omnium corporalium ſpecierum, atque motuum.*

Reſpondetur; iis omnibus teſtimoniis S. Auguſtinum docere Concurſum immediatè conſeruatiuum, quo Deus continet atq; in eſſe ſuſtentat, non modò ſubſtantias, ſed potentias noſtras, hæc enim eſt motio efficax qua res producit in eſſe, & illarũ vires vegetat, atque in operando adiuuat, tanquam prima & vniuerſalis omnium cauſa; qua in re nihil dixit nobis aduerſum: Porrò quòd iſte ſit ſenſus atque intentio S. Patris, liquet ex citato teſtimonio, c. 16. de gratia & libero arbitrio in hunc modum: *Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt quod paulò ante poſui, quòd præparatur voluntas à Domino, de quo dictum eſt, qui operatur in nobis & velle & operari: Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Vnde ſi quis quærat quomodo Deus facit nos operari, & facere bonum; ſiue quod idem eſt, quomodo Deus operantibus nobis cooperatur, & coëfficit facientibus, id eſt, quomodo concurrit nobiſcum ad operandum: Reſpondetur ex mente Auguſtini ſæpiùs, ac diuerſis locis expreſſa: concurrit aptando nobis, ac præparando voluntatem; & præbendo illi vires efficaciſſimas ad operandum; quæ verba clarè ſignificant Concurſum remotum, ac mediatum, non autem proximum, immediatum, & indiſtinctum.

Sanè Nicolaus de Gracchis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, eiuſdemque Sancti Patris ſtudioſiſſimus, mentem illius ita intellexit in opuſculo cui titulus Gemma ſententiarum S P. Auguſtini de auxiliis, Præfatione àd lectorem; vbi declarans quidnam apud Auguſtinum ſignificent iſti termini. *Auxilium generale ſiue gratia generalis* quam Pelagius, inquit, admittebat, & *auxilium ſpeciale, ſiue gratia ſpecialis*, quam idem Pelagius negabat; ita loquitur, *Auxilium*

*igitur*

*igitur generale, & gratia generalis dicitur illud quod naturaliter accipit homo in ſui natiuitate, ſcilicet quando Deus dat homini in ſua natiuitate liberum arbitrium, & voluntatem, & dicitur naturalis gratia, & poſſibilitas quam homo accipit à Deo, vt ait S.P. Auguſtinus tomo 7. cap. 4. de natura, & gratia, num. 507. & cap. 9 n. 496. & cap. 4. num. 520. & de natura & gratia cap 24 & de gratia Chriſti num. 527 & 520. & cap. 24 num. 527. & tom. 2. epiſt. 95. Innoc. num. 278. & tom. 10. cap. 11. de verbis Apoſt. & 204. & ſerm. 12. de tempore.*

Neque iuuat dicere D. Auguſtinum in loco illo citato. *Certum eſt nos facere cùm facimus*, &c. loqui tantùm de modo coëfficiendi nobiſcum bonos actus, quia cùm iam ſupra oſtenſum ſit ex mente Doctoris Sancti, Deum non coëfficere nobiſcum actus malos niſi ſolùm iſtiuſmodi Concurſu remoto, ac mediato; illud ipſum ex hoc poſtremo teſtimonio iterum à fortiori colligitur: Nam ſi Deus non aliter coëfficit nobiſcum actus bonos, quàm influendo potentiæ operanti vires ad agendum efficaces; longè euidentiùs eſt, eum non aliter dici poſſe cauſam actuum noſtrorum illicitorum, ac turpium, quàm quia influit nobis, conſeruàtque vires boni malique, prout maluerimus, effectiuas; quanquam diuerſo longè propoſito, atque intentione; ſiquidem præbet vires quibus elicere poſſimus actus honeſtos, eâ intentione vt viribus illis vtamur ad bonum; conſeruat verò eaſdem quibus interdum abutimur, non vt malum faciamus, ſed vt à malo abſtinentes, prout ex noſtra libertate, & Diuina illius gratia poſſumus, propriis meritis, ac proinde glorioſius beatitudinem conſequamur.

VIII. Denique obiiciunt Auguſtinum, dicentem, *Deum operari intus in cordibus hominum motum voluntatis ad inclinandas eorum voluntates, ſiue in bonum ſiue in malum; neque hoc facere ſolùm permittendo, ſed etiam per potentiam compellēdo, & voluntates hominum magis eſſe in poteſtate Dei, vt ex illis faciat quidquid voluerit, & illas cōuertat, & inclinet quocùmque voluerit; quàm ſint in poteſtate ipſorum hominum*; ità enim docuit lib. 5. contra Iulianum cap. 3. & lib. de gratia & libero arbitrio c. 20. & 21.

Reſpondetur; Auguſtinum ab omnibus Catholicis ità eſſe exponendum; vt ſignificet, Deum operari intus in cordibus hominum, & inclinare per potentiam, & compellere voluntatem aliquorum ad malum non quidem poſitiuè influendo in illam, & producendo

cendo in ea actum prauum, vel inclinationem ad illum; ſed ſolùm permittendo, aut ordinando, ac dirigendo motum eiuſdem voluntatis, & vnam viam illi aperiendo, aliáſque intercludendo: alioqui fateri oporteret Auguſtinum in eo errore fuiſſe qui olim ipſi à Maſſilienſibus falsò impoſitus, poſteáque in Concilio Tridentino condemnatus fuit; quo aſſerebatur, Deum æquè omnia mala ſicut bona in nobis operari,hominéſque per potentiam ſuam in peccata compellere.

Ex quibus omnibus apparere poteſt, quam in præſente opuſculo ſequimur non vnius duntaxat Durandi fuiſſe ſententiam, quemadmodum plerique arbitrantur;ſed & Beatum Auguſtinum eandem planè,tametſi non iiſdem omnino verbis euidenter docuiſſe;proptereáque cùm eiuſdem reſtituēdæ neceſſitas appareat, & Patrum authoritatibus,& firmiſſimis argumentis inferiùs adducendis,& ex facili eorum quæ in contrarium proferuntur ſolutione & ex alioquin interminabili Prædeterminantium, & eorum qui illis aduerſantur controuerſia, eam deinceps tutò, & non ſine magno Theologorum fructu, & commodo in ſcholas eorum eſſe reducendam.

Sed enim inquies; B. Auguſtinus in concilianda creati arbitrij libertate cum diuina cauſalitate,prouidentia,voluntate,recurſum ſemper habuit ad infinitam eiuſdem Dei virtutem,atque omnipotentiſſimam voluntatis efficaciam: at ſi exiſtimaſſet Deum non concurrere proximè,facillimùm illi fuiſſet diluere omnes difficultates quæ in ea materia ſolent occurrere, quas tamen eſſe maximas,tum ipſe Auguſtinus,tum etiam alij Sancti Patres antiqui docuerunt. IX.

Reſpondeo;tametſi Deus non concurrat proximè, tamen ad omnipotentiam illius pertinet, quòd vniuerſa hominum corda, etiam Regum in manu habeat, & quocúmque voluerit inclinet illa;quia illi abſolutè volenti vt velimus, nullum hominis reſiſtit arbitrium;ipſe enim poteſt relicta nobis facultate reſiſtendi, voluntatem tamen reſiſtendi auferre;& in quocunque ſtatu, aut diſpoſitione nos repererit,poterit nos quàm citò voluerit ad ſe pertrahere,& quamcúmque idoneam diſpoſitionem in nobis etiam nolentibus excitare, ac nos ab vna diſpoſitione, ad aliam con-

gruentiorem deducere;aut nos in priore illo ſtatu, & diſpoſitione relinquendo, conſenſum ad quodlibet pium opus à nobis eliceret; ſiue interuentu ſubitę cogitationis in intellectu,& ſancti motus in voluntate,ſiue per habituum infuſionem, ſiue per victricem illam delectationem, de qua ſæpe idem Auguſtinus; & aliis multis, ac miris modis,qui cùm infallibiliter effectum à Deo intentum conſequantur,omnipotentiam illius,& infinitam efficaciam voluntatis manifeſtant;quam nullæ ex parte noſtra circunſtantiæ, & diſpoſitiones adiuuant,quaſi illis indigeat,nullæ etiam retardant;neque eſt facilius Deo ſaluare in multis quàm in paucis:Quæ omnia omnipotentiſſimam efficaciam Dei, tametſi non proximè, ſed duntaxat remotè concurrentis,apertè declarant.

X. Dico quartò, S. Hieronymus in caput 45. Iſaiæ explicans illud, *Ego Dominus,& non eſt alter,formans lucem,& creans tenebras,faciens pacem,& creans malum.Cōfundatur,* inquit,*hæreſis qua malorum arbitratur conditorem Deum,cùm hîc malum non contrarium bono, ſed pro afflictione ponatur,& bello,ſecundum illud quod in Euangelio dictum eſt ſufficit diei malitia ſua.*

Idem quoque Dialogo primo aduerſus Pelagianos ſententiæ noſtræ fauet pro actu peccati,dum ſub nomine Attici interlocutoris ait,*Conſtat ergo inter nos,in bonis operibus,poſt propriam voluntatem, Dei nos inniti auxilio,in malis,Diaboli*, vbi non ſolùm videtur operationem peccaminoſam in Diabolum refundere,ſed nullum etiam Dei Concurſum ad illam admittere, nullum, inquam, immediatum,& proximum,neque enim ipſe putandus eſt negaſſe Concurſum remotum,& mediatum qualem nos admittimus: Neque obſtat quòd ibidem ad minima opera, Dei requirat auxilium, vt ad ſedendum, temperandum calamum, & ad reliqua minutiſſima opera: quia nulla ibi reperitur mentio Concurſus immediati & proximi,& certè inter ea ipſa opera quæ commemorat nunquam refert opera peccati,imò verò de illis operibus ſolùm videtur loqui quatenus fiunt ſecundùm virtutis regulam per ſpeciale adiutorium gratiæ Dei, alioqui nihil aduersùs Pelagium concluderet qui negabat gratiam peculiarem internam ad opera ſalutis æternæ meritoria eſſe neceſſariam; qua de re vide quæ dicturi ſumus infrà cap.7. & Vaſquezium prima ſecundæ diſp.129.cap.2.

D.Gre

D. Gregorius Nazianzenus orat 1. contra Iulianum, *Deus*, inquit, *nullo modo cauſa eſt mali, quippe naturâ bonus, vitiúmque eius eſt qui elegit.*

D. Gregorius Nyſſenus, ſeu Nemeſius lib. 7. Philoſoph. cap. 1. vel vt aliæ habent editiones libro vnico cap. 39. *Non eſt fas*, inquit, *adſcribere Deo turpes actiones & iniquas*; adſcribuntur autem Deo ſi dicamus Deum operari illas Concurſu proprio, per ſe, immediatè & proximo.

S. Proſper in reſponſione ad capit. Gallorum cap. 12. *voluntas Dei nunquam vult niſi bona, præſcientia autem & bona noſcit, & mala; ſed bona, quæ aut ipſe faciat, aut etiam vt nos faciamus imperat; mala autem quæ omnino ipſe non facit, nec fieri ſuaſit, nec impulit*, ſanè ſi Deus opera noſtra mala omnino non facit ipſe, incredibile eſt quòd ipſe per ſe immediatè & proximè, nõ minùs quàm ipſe homo peccans ea faciat, quod tamen admittere tenetur ſententia contra quam diſputamus.

Dico quintò, tametſi B. Anſelmus à plerîſque citari ſoleat, quaſi docuerit Concurſum Dei proximum & immediatum ad quoſlibet actus noſtros, etiam prauos; tamen longè verius eſt eum docuiſſe Concurſum duntaxat remotum, ac mediatum; qui tamen ſufficiat ad hoc vt quælibet actio noſtra, tametſi praua, quantùm ad materiale, vt aiunt, dicatur eſſe à Deo, velut à cauſa prima, vniuerſali, ac primordiali fonte eſſendi. XI.

Probatur Aſſertio; quia quotieſcunque Anſelmus explicare aggreditur qualiter actio noſtra praua ſit à Deo, perpetuò ſubdit, eam idcirco dici eſſe à Deo, quia ipſe confert nobis, continet, conſeruátque virtutem, potentiam, & facultatem quâ poſſimus operari; ad eum prorſus modum quo B. Auguſtinum ſupra diximus dicere ſolitum fuiſſe, *Deum facere ut faciamus prabendo vires efficaciſſimas voluntati.*

Sanè libro de caſu Diaboli cap. 20. in perſona Magiſtri dicit Anſelmus, *Quid ergo dicimus contra veritatem ſi dicimus, cùm Diabolus voluit quod non debuit, hoc illum & à Deo accepiſſe, quia Deus permiſit, & nõ accepiſſe, quia nõ conſenſit?* Et reſpõdente diſcipulo, *nihil hoc repugnare videtur veritati*; ſubiungit Magiſter, *cùm igitur diabolus conuertit voluntatem ad quod non debuit, & ipſum velle, & ipſa conuerſio fuit aliquid, & tamen non niſi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit, quoniam nec*

*velle aliquid, nec mouere potuit voluntatem, niſi illo permittente qui fecit omnes naturas ſubſtantiales, & accidentales, uniuerſales, & indiuiduales, inquantùm enim voluntas, & conuerſio ſiue motus voluntatis eſt aliquid, bonum eſt, & Dei eſt; inquantùm verò iuſtitiâ caret ſine qua eſſe non debet, non ſimpliciter malum, ſed aliquid malum eſt, & quod malum eſt, non Dei, ſed volentis ſiue mouentis voluntatem*; quaſi dicat; actum prauum, quatenus eſt ens reale, poſitiuum, tranſcendentali ſuâ perfectione, ac bonitate naturali prædıtum, eatenus attribui Deo, & reduci in Deum, quatenus ipſe fecit naturas ſubſtantiales, & accidentales, hoc eſt animas noſtras, & voluntates noſtras, cum propriis ſuis affectionibus, & paſſionibus, quas etiam ipſe permittit operari ſuos actus; eatenus verò nõ reduci in Deum tanquam in cauſam effectiuam, quatenus actus ille malitiam, & turpitudinem habet annexam, quæ eſt ipſiſſimâ opuſculi præſentis ſententia. Atque vt appareat eum in hoc planè ſenſu eſſe locutum; ipſe idẽ libro de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis, literâ C. dicit; *Et ſicut Deus non facit iniuſtitiam, ita non facit aliquid iniuſtum eſſe, qui tamen facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipſe facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam poteſtatem volendi, aut faciendi, niſi illo dante; ipſum quoque velle, quod aliquando iuſtum eſt, aliquando iniuſtum, nec eſt aliud quàm vti poteſtate volendi, & voluntate quas Deus dat, inquantùm eſt, bonum eſt, & à Deo eſt.*

Rurſúmque libro de concordia gratiæ, & liberi arbitrij, literâ L. *Dico*, inquit, *voluntatem inſtrumentum omnes voluntarios motus facere, ſi diligenter conſideramus; ſed ille*, ſcilicet Deus, *veriùs dicitur facere omnẽ quod facit natura, aut voluntas, qui facit naturam & inſtrumentum volendi cum affectionibus ſuis, ſine quibus idem inſtrumentum nihil facit.*

Ecce quomodo Anſelmus vbique docet, omnem actionem noſtram eatenùs verè dici eſſe à Deo, quatenus ipſe confert nobis vires, inſtrumenta, & potentias, per quas, in quibus, & à quibus operationes noſtrę fiunt, quod nihil eſt aliud quàm concurrere Deum ad ſingulos actus noſtros Concurſu remoto, mediato, atque ab ipſa operatione noſtra realiter condiſtincto.

XII. Veruntamen obiicit nobis quidam Theologus, eundem Anſelmum ſub finem citati capitis 20. de caſu Diaboli, Diſcipulo ita interrogante, *Quòd quidem Deus naturas rerum omnium faciat, fatendum*

*dum eſt quòd verò ſingulas actiones peruerſarum voluntatum veluti ipſum prauum motum voluntatis quo ipſa mala voluntas ſe mouet faciat, quis concedat?* Reſpondiſſe, *quid mirum ſi dicimus Deum facere ſingulas actiones quæ fiunt malâ voluntate; cùm fateamur eum facere ſingulas ſubſtantias quæ fiunt iniuſtâ voluntate, & inhoneſtâ actione?* additque idem Theologus Anſelmum concludere: *verè negari non poſſe quin omnis actio ſit à Deo, à quo immediatè prodeat neceſſe eſt quidquid verè aliquam habet eſſentiam.*

Reſpondeo primò, me in nulla editione Anſelmi, plurimis licet de induſtria conquiſitis, reperire potuiſſe quòd quidquid habet eſſentiam prodire debeat à Deo *immediatè*, ſed ſolùm abſolutè, & ſimpliciter quòd quidquid habet eſſentiam fiat à Deo, nullâ factâ mentione vocis (*immediatè*) aut alterius æquiualentis; quod ipſum planè, & nos etiam vltrò admittimus; eo tamen ſenſu, vt actio praua ſit duntaxat à Deo remotè, ac mediatè concurrente, non autem coefficiente illam proximé, immediatè, propriè ac per ſe, qualiter eam à Deo fieri docet ac prætendit ſententia quam impugnamus; vnde videri fortè poſſet eos qui vocem illam (*immediatè*) ſupprimunt, dum mihi affingunt negare me quòd Deus concurrat ad actus noſtros, tacitâ vt dixi illâ voce (*immediatè*) quam tamen additam, miniméque ſuppreſſam volui, eos, inquam, eamdem illam vocem hocce loco, mihi tametſi non petenti, ſed potius reluctanti, reſtituere voluiſſe; vnde cùm eos hoc loco deceptos fuiſſe, aut decipere voluiſſe appareat, nihil prohibet eoſdem aliis etiam locis eſſe ſuſpectos.

Reſpondeo ſecundò, ſic intelligendum eſſe B. Anſelmum: Quid mirum ſi dicamus actus noſtros prauos, quatenus aliquid poſitiuum ſunt, eſſe à Deo, eò quòd ipſe dederit nobis conſeruarítque vires ad operandos actus illos, & quoſcunque alios opportunos? quandoquidem ipſe non ſolùm permittit vt homines operentur actus prauos; verùm etiam, quod longè amplius eſt, ipſe veluti peccatis hominum ſeruiens non dedignatur producere ſubſtantias quæ fiunt inhoneſtâ actione, id eſt, homines ex adulteriis genitos creans, infundénſque animas rationales huiuſmodi corpora informaturas, iuxta illud prophetæ, *ſeruire me feciſti in iniquitatibus tuis.*

Neque verò mirum videri debet quod B. Anſelmus hâc teneatur ſententiâ, vt exiſtimet actionem noſtram prauam aliquo mo-

do eſſe à Deo, & aliquo modo non eſſe à Deo, quemadmodum conſtat verbis ex eodem paulò ante citatis, dum dixit, *diabolum & à Deo accepiſſe motum prauum voluntatis ſuæ, quia Deus permiſit, & non accepiſſe, quia non conſenſit*; nam & alij ſancti Patres ferè vniuerſi eodem planè modo & ſenſu locuti ſunt; dum tam ſæpe dixerunt, Deum non eſſe cauſam effectiuam peccati, ſed permiſſiuam; quibus verbis euidens eſt, niſi maximam illis iniuriam facimus, idem eos ſignificare voluiſſe quod Concilium Tridentinum apertiùs poſtea definiuit ſeſſ. 6 canone 6. vbi hæc habentur verba formalia (cum quibuſdam aliis quæ nos pro nunc omittimus, eo quòd præſenti inſtituto nec ſint neceſſaria, nec contraria) *ſi quis dixerit Deum operari opera praua (hominis) non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè ac per ſe, Anathema ſit*: dum enim Concilium adhibuit particulam illam aduerſatiuam, *ſed*, ſignificare voluit nullam propriam, ac per ſe cauſalitatem reſpectu actus peccaminoſi Deo eſſe tribuendam; ſed ſolam, merámque praui actus permiſſionem; ipſúmque permittere, minùs aliquid eſſe, quàm propriè, ac per ſe operari, & illa abinuicem prorſus eſſe diſtincta, imò & aduerſantia.

Vnde ſequitur Doctores Eccleſiæ, dum paſſim docuerũt Deum duntaxat permittere actus prauos, eoipſo cenſendos eſſe negaſſe quòd ipſe producat eos per ſe, ac propriè; conſentientibus enim vel iis contra quos hac in parte diſputamus, atque imprimis erudittiſſimo Patre Suario lib. 1 de Concurſu Dei c. 4. nihil eſt aliud producere aliquid *per ſe ac propriè*, quàm producere illud *proximè, & immediatè*: hoc autem plus eſt quàm permittere.

Ex quo rurſum ſequitur eos Patres, ac Doctores Eccleſiæ qui dixerunt Deum eſſe aliquo modo cauſam actus peccati, & aliquo modo non eſſe, quod quidem ferè omnes dixerunt; apertiſſimè pro hac noſtra citari debere ſententia; cùm enim dicentes actum illum eſſe à Deo, id non intellexerint de cauſalitate per ſe ac propria, quæ eſt cauſalitas proxima, & immediata, alioqui verum vero non conſonaret, ſed Patres Eccleſiæ Conciliis eiuſdem contradicerent; neceſſe eſt eos id intellexiſſe de cauſalitate impropria, & remota, quæ ſit collatio continuata virtutis ad operandum neceſſariæ, atque inſuper ipſius operationis mera permiſſio.

Veruntamen de illa Definitione Concilij peculiare caput paulò inferiùs

inferiùs adhibituri ſumus, vtpote in qua maximum planè pro ſententia noſtra præſidium arbitramur, ibidemque oſtendemus, vel ipſis etiam aduerſariis noſtris iudicibus, eam definitionem intelligendam eſſe de actu prauo, non ſecundùm formalitatem præcisè deformitatis, ac malitiæ; ſed de eo quatenus eſt actus realis, ac poſitiuus, deformitati & malitiæ ſubſtratus, nimirum quòd Deus huiuſmodi opus ita conſideratum, non propriè ac per ſe operetur; ſed ſolùm permiſſiuè, atque impropriè, & per aliud, nimirum mediante libero hominis vel Angeli arbitrio, cui Deus vires contulit conſeruauítque ad operandum neceſſarias, neque ipſum ab operatione prohibuit, cùm tamen dicto faciliùs impedire potuiſſet.

## CAPVT III.

*In quo oſtenditur S. Thomam nomine Motionis, quâ Deus applicat creaturam ad agendum, nec Prædeterminationem phyſicam intellexiſſe; nec Concurſum immediatum; ſed influxum duntaxat remotum, ac mediatum.*

QVotieſcunque B. Thomæ incidit ſermo de diuina cauſalitate, influentia & Concurſu in actus noſtros, expreſsè docuit Deum præmouere omnes cauſas ſecundas ad agendum; eaſque non agere niſi motas, & applicatas à prima cauſa; noſtrâmque voluntatem indigere moueri à primo mouente; & ad hoc vt exeat in actum ſecundum indigere inclinatione, applicatione, motione, & præmotione diuinâ, proptereàque, cùm in hac loquendi forma perpetuus ſit S. Doctor cuius auctoritas in re tanta plurimùm refert, operæpretium arbitror inueſtigare quidnam ipſe intellexerit nomine præmotionis, & applicationis; & quid apud eum ſit, creatam voluntatem per phyſicum influxum à Deo moueri, & ad agendum applicari: præſertim verò cùm Aſſertores Scientiæ Mediæ; Imò & I.

cæteri

Digitized by Google

cæteri ferè omnes cõmuniter doceant S. Doctorem, per motionem cauſæ primæ mouentis ſecundam ad operandum, intelligere Concurſum generalem cauſæ primæ, prout patet ex Suario in opuſculis libro primo de Concurſu, cap. 6. 11. & alibi.

Et quidem Caluinus lib. 2. contra Pighium, & lib. 2. inſtitut. cap. 4. & alibi, docet huiuſmodi præmotionem Dei phyſicè prædeterminare humanam voluntatem ad quiduis agendum, ſiue bonum, ſiue malum; ita vt per eam libertas arbitrij penitus euertatur, & homo ſæpenumero ad peccandum compellatur, qui eſt error in fide manifeſtus.

Catholici autem diuiſi ſunt; & tam circa mentem B. Thomæ, quàm circa rei veritatem in varias abiere ſententias: Prædeterminantes enim nomine præmotionis intelligunt aliquid à cauſa prima in ſecundas deriuatum, & in iis receptum; quo ad agendum excitentur, applicentur, determinentur, quodque ideo præſupponatur ad illarum operationem tanquam effectiuum illius principium, aut complementum virtutis agendi, inferens tamen operationem neceſſitate quadam naturali; & ab eadem operatione inſeparabile; quà de re ſatis multa pro ratione inſtituti noſtri diximus in prima parte, atque etiam in tertia præſentis opuſculi: Et hæc ſententia plurimùm ſanè laborat in ſaluanda humana libertate, & diuina innocentia, ac ſanctitate, quam tamen vtramque defendere, ac tueri toto animo ſatagit.

Propterea igitur Alij ſcilicet Aſſertores Concurſus minimè quidem Prædeterminantis, ſed duntaxat identificati, & ſimultanei, exiſtimant præmotionem tam ex mente D. Thomæ, quàm ex rei veritate, non eſſe influxum in ipſam voluntatem præuium, & antecedentem operationem voluntatis, ſed ipſiſſimam voluntatis operationem, quatenus tamen à Deo ſimul cum creatura operante coëfficitur; & contendunt eam non eſſe aliud, quàm Concurſum identificatum proximum, immediatum, & ſimultaneum qualem ipſi docent conferri nobis à Deo interuentu Scientiæ Mediæ; addúntq; D. Thomam nunquam aliter ſenſiſſe, vel ſi aliter aliquando ſenſit, tamen eum in lib. contra gentes, quem librum cum Summa Theologica veluti vltimam voluntatem ſuam nobis reliquit, priorem ſententiam ſaltem tacitè retractaſſe; quod ex eo probare nituntur

tuntur

Digitized by Google

tuntur; quia, vel aſſerendum eſt D. Thomam ignoraſſe illũ Concurſum immediatum, & ſimultaneum; vel per illam applicationem ad agendum eundem Concurſum intellexiſſe: Primum autem dici non poteſt; quia cùm iſte ſit præcipuus, magíſque neceſſarius modus concurrendi, non eſt veriſimile D. Thomam datâ operâ inueſtigantem, & recenſentem omnes modos quibus Deus operatur cum cauſis ſecundis, hunc ſolum ignoraſſe, aut omiſiſſe; niſi quis velit imponere D. Thomæ errorem intolerabilem; (ita enim appellare non verentur ſententiam Durandi, quam nos contrà exiſtimamus eſſe veriſſimam; imò & ipſiſſimam D. Thomæ ſententiam; tametſi fortè Doctores iſti diſſimile aliquid verbo tenus dixerint, quòd parum refert ad ſententiæ veritatem) cùm igitur D. Thomas ignorare non potuerit Concurſum iſtum immediatum, & ſimultaneum; & tamen nullus inueniatur locus in quo, ſub alia verborum forma de eodem meminerit: Conſequens eſſe dicunt, vt nomine præmotionis, applicationis, & inclinationis cauſarum ſecundarum, intellexerit cooperationem Dei ſimultaneam, immediatam, proximam, & indiſtinctam.

Dico primò, tametſi negari non poſſit quin D. Thomas nomine inclinationis, applicationis, & præmotionis ad agendum, intellexerit influxum quendam phyſicum in ipſas cauſas ſecundas, præuium, & antecedentem operationes earum; tamẽ veriſimilius eſt eum tali nomine non intellexiſſe rigoroſam illam Prædeterminationem phyſicam, quâ poſitâ, non poſſit voluntas adhuc operari vel non operari ad vtramlibet contradictionis partem prout elegerit. II.

Prima pars probatur; quia omnes ferè diſcipuli S. Thomæ eum ita interpretantur; &, ſi per huiuſmodi phraſim mens eius ſufficienter non declaratur, nihil ampliùs certum, & conſtans ex eius doctrina habebitur & quod non poſſit quiſque ad libitum in alienos ſenſus detorquere. Sanè verba illius, & exempla quibus in eam rem vtitur euidenter id ſignificant, ſiquidem *mouere, præmouere*, & *applicare* cauſam ſecundam ad agendum, ſicut artifex mouet ſecurim; aut manus baculum; aut ſagittarius ſagittam; & facere vt creata voluntas faciat, & operetur, eſt influere aliquid in illam, & dare illi aliquid, ac non tantùm effectui, ſeu operationi; ad eum



Digitized by Google

omninò modum quo dicebat Auguſtinus, *facit Deus vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati*, præbere autem vires ad operandum, propriè loquendo eſt prębere potentiam & facultatem operandi, & conſequenter præſtare aliquid præuium, & antecedens operationem.

Secunda pars probatur; tum argumentis quibus in tertia parte oſtendimus Prædeterminationes phyſicas in rigore illo non eſſe admittendas; inde enim ſatis ſequitur S. Doctorem non ſtetiſſe à partibus qualitatis, aut motionis phyſicè prędeterminantis, quemadmodum nuper benè oſtendit Petrus à S. Ioſeph in defenſione S. Thomæ: Tum quia idem D. Thomas 1. 2. quæſt. 11. art. 6. ad 3. dicit *quòd Deus eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè eſt ex ipſa voluntate humana, & ex Diabolo ſuadente:* & q.10. art.4 dicit, *quòd quia volũtas eſt principium actiuũ non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa: ſic Deus ipſam mouet, quòd non ex neceſſitate ad vnũ determinat, ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in iis ad quæ naturaliter mouetur:* Ergo cenſet voluntatem creatam exiſtentem ſub dicta motione Dei, id eſt, actualiter à Deo motam, & applicatam ad agendum; nihilominus tamen, etiam in ſenſu compoſito iſtius diuinæ motionis, manere adhuc indeterminatam, ac indifferentem ad vtrumlibet; adeò vt non modò poſſit operari, ſed etiam non operari, & hunc aut illum actũ elicere prout maluerit: fieri autem non poteſt vt ſit prædeterminata, & tamen non ſit determinata ad vnum ſimul & ſemel.

Denique probatur concluſio; quia cùm facilè poſſimus in alium veriſſimum ſenſum interpretari præmotionem, & applicationem quam D. Thomas docuit, prout oſtenſuri ſumus concluſione tertiâ ſequenti, nulla nos cogit neceſſitas, vt Doctorem Angelicum, & clariſſima eius verba in difficillimo illo ſenſu explicemus.

III. Dico ſecundò, nomine Præmotionis, & applicationis ad agendum, cuius neceſſitas fundamentum habet in eſſentiali ſubordinatione, ac dependentia cauſæ ſecundæ ad primam, D. Thomas non intellexit Concurſum duntaxat identificatum, proximum, immediatum, & ſimultaneum; neque vllibi tacitè, aut expreſsè reuocauit ea quæ de hac re docuerat quæſt. 3. de potentia.

Prima

Prima pars probatur; quia Concurſu illo ſimultaneo non poteſt ſatisfieri intentioni D. Thomæ quam verba illius, & exempla quibus vtitur euidenter ſignificant, vti paulò antè concluſione prima diximus.

Secunda pars probatur; quia D. Thomas in quæſtionibus diſputatis, & de potentia, & alibi; ex profeſſo, & datâ operâ varios modos enumerandos ſuſceperat quibus actiones noſtræ in Deum velut in cauſam primam referuntur; neque eſt veriſimile eum ibi fuiſſe diminutum; præſertim cùm ſæpè diuerſis locis, iteratiſque vicibus causâ cognitâ, & maturè diſcuſsâ, eandem pertractans materiam eadem penè verba adhibuerit, neque vnquam iſtiuſmodi Concurſus proximi, immediati, & identificati meminerit; cùm tamen ipſe clarè ſoleat de vnoquoque argumento ſententiam ſuam pronuntiare; propter quod Ruiz, qui tomo de ſcientia Dei diſput. 65. fatetur D. Thomam apertè ſuppoſuiſſe in quęſtione de potentia diuerſas eſſe actiones Dei, & Creaturæ concurrentium: poſteà tomo de voluntate Dei diſp. 69. ſect. 4. num. 22. *Nihil opus eſt*, inquit, *dicere S. Thomam in Summa Theologica, & in Summa contra gentes ſententiam retractaſſe, quam docuerat in quæſt. 3. de potentia artic. 7.* quod ipſum etiam docuerunt Aluarez, Syluius, & alij in doctrina S. Thomæ verſatiſſimi. Quinimò, longè veriùs dicturus quiſpiam videtur in hunc modum: Incredibile eſt quòd S. Thomas ignorauerit modum quo Deus coniungit ſe ad operandum nobiſcum; & quòd non alicubi clarè expreſſerit id quod de hoc argumento ſenſit: At ipſe nullibi vnquam dixit Deum concurrere influxu proximo, ſimultaneo, & indiſtincto: Ergo non ſenſit Deum ſic concurrere: Ergo Deus non ita concurrit.

Neque eſt quòd quis nobis obiiciat art. 5. quæſt. 105. primæ partis, aut cap. 70 tertij contra gentes, in quorum vno dicit eandem actionem ad Deum, & ad Creaturam pertinere; in altero verò adhuc expreſſiùs dicit Deum eſſe cauſam *immediatam* operationum noſtrarum, ſicut prima principia in demonſtrationibus dicuntur *immediata*: facilè enim capite ſequenti infrà monſtrabimus, D. Thomam in illis verbis ſententiæ quam nos in præſente opuſculo ſequimur eſſe conſentaneum.

IV. Dico tertiò; cùm neceſſe ſit, vel Deum non ſe coniungere ad

operandum nobiſcum influxu proximo, & identificato; vel eum id facere alterutro ex his duobus modis; ſcilicet iuxta modum dicendi Prædeterminantium; vel iuxta eum quem Aſſertores Scientiæ Mediæ tenuerunt: Cúmque S Thomas neutrum ex his duobus modis probauerit, vt ex præſenti capite liquet: Sequitur eum non ſtetiſſe à partibus Concurſus proximi, immediati, & identificati; ſed remoti, mediati, & ab operatione noſtra condiſtincti.

V. Dico quartò, S. Thomam non vno duntaxat modo, ſed pluribus ac diuerſis intellexiſſe Motionem, ſeu applicationẽ quâ Deus excitat voluntates noſtras ad operandum; qui omnes facilè cohærent cum iis quæ nos dicimus de Concurſu Dei mediato, ac remoto, & ab operatione noſtra condiſtincto: Imprimis enim nomine applicationis quâ Deus mouet vnamquamque creaturam, atque adeò voluntatem noſtram ad actum ſuum; intelligit propenſionem, & inclinationem ad agendum quam Deus vnicuique creaturæ, atque adeò voluntati humanæ confert, & conſeruat; per quam inclinationem naturaliter inditam voluntati ad obiectum quod eſt bonum, quaſi pondere quodam incitamur, & trahimur ad aliquam volitionem boni, vel veri, vel apparentis; Vnde fit, vt quemadmodum grauia & leuia moueri dicuntur à generante ob qualitates illis ab eo impreſſas; ita ad amorem boni in communi, & vagè, voluntas noſtra neceſſariò & naturaliter à Deo moueatur; & niſi Deus hoc pacto voluntatem noſtram inclinaret, & moueret ad bonum; ipſa nihil omnino velle poſſet; quia *nullus ad malum intendens operatur*: & quemadmodum lapis violenter impeditus ne deorſum ruat, dicitur retineri ſurſum contra proprium pondus, & inclinationem ad deſcendendum; & cùm deſcendit, dicitur moueri deorſum à generante: Ita ſi Deus voluntatem noſtram alioquin expeditam, ab omni tamen volitione prohiberet; ipſa diceretur violentiam, & coactionem pati; & dum agit, dicitur moueri à Deo, & applicari, ſcilicet per inclinationem ad agendum à Deo nobis impreſſam.

Porrò, ex hac tanta inclinatione, & propenſione ad volendum aliquod bonum oritur illa neceſſitas quam experimur habendi ſemper aliquam volitionem, quâ ſemper ametur à nobis aliqua ratio boni, particularis, aut generalis, quandiu phantaſia non fuerit impedita

impedita quominus intellectui ſuppeditet phantaſmata quæ ſpeculetur; cuius quidem neceſſitatis argumentum nullum euidentius eſſe poteſt ipſâ experientiâ, quemadmodum enim non poſſumus vnum corpus ab vno loco remouere, niſi transferendo illud ad alium locum, neque intellectum ab vno obiecto, niſi applicando illum ad alia obiecta cogitanda: ita non poſſumus vniuerſalem omiſſionem, ſeu ſuſpenſionem omnium volitionum collectiuè in nobis efficere quando adſunt omnia requiſita vt voluntas noſtra operetur; ſed ex illa naturali propenſione voluntatis, ſi non phyſicâ neceſſitate, ſaltem morali quadam infallibilitate oritur aliqua volitio; ſiue illa ſit tenuis, & remiſſa; ſiue intenſa, & vehemētior, & ſiue ſit efficax, ſiue ſimplicis ſolùm cōplacentiæ, quod non refert; & quia Deus huiuſmodi inclinationē conſeruare non deſinit, ſemper dicitur illam producere, atq; illâ mediāte voluntatem noſtram ad agēdum vrgere, applicare, & præmouere: ita tamē vt noſtræ ſit electionis in hāc aut illam determinatā volitionem ferri: eſt enim hęc differentia quoad hoc inter cauſam liberam, & naturalē, quòd poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, cauſa naturalis, exempli causâ, ignis applicatur, & præmouetur ad ſuam ipſius operationē, non modò in generali, ſed etiam in particulari, & determinatè, nō vagè: At verò cauſa libera applicatur, & determinatur ad volitionem aliquā in communi, & vagè; relictâ tamē indifferentiâ, & indeterminatione ad quamlibet determinatam volitionē, niſi fortè in motibus primo primis, in quibus voluntas noſtra operatur, non vt libera, ſed vt natura, nimirum circa obiecta ſibi indeliberatè propoſita.

Obiicies, S. Thomas in quæſt. 3. de potentia art. 7. in corpore, expreſsè dicit, *applicationem virtutis ad agendum non eſſe idem cum collatione, aut conſeruatione virtutis actiua*; At ex ſupradictis non apparet differentia inter vtramque; Reſpondeo, non diſtingui realiter virtutem agendi ab inclinatione & propenſione naturali ad actum; ſed ſolùm virtute, & ratione ratiocinatâ, quod ſufficit; virtus ſanè aliquid agendi, ſicut & patiendi, facilè poteſt intelligi abſque propenſione ad illud agendum, aut patiendum; potiſſimùm cùm ſæpenumero contingat nos habere virtutem & facultatem aliquid agendi, ad quod tamen nullâ prorſus inclinatione propendemus, ſed potius in oppoſitum; Nam inclinatio, & propenſio, vltra po- VI.



Digitized by Google

operandum nobiſcum influxu proximo, & identificato; vel eum id facere alterutro ex his duobus modis; ſcilicet iuxta modum dicendi Prædeterminantium; vel iuxta eum quem Aſſertores Scientiæ Mediæ tenuerunt: Cúmque S Thomas neutrum ex his duobus modis probauerit, vt ex præſenti capite liquet: Sequitur eum non ſtetiſſe à partibus Concurſus proximi, immediati & identificati; ſed remoti, mediati, & ab operatione noſtra condiſtincti.

V. Dico quartò, S. Thomam non vno duntaxat modo, ſed pluribus ac diuerſis intellexiſſe Motionem, ſeu applicationē quâ Deus excitat voluntates noſtras ad operandum; qui omnes facilè cohærent cum iis quæ nos dicimus de Concurſu Dei mediato, ac remoto, & ab operatione noſtra condiſtincto: Imprimis enim nomine applicationis quâ Deus mouet vnamquamque creaturam, atque adeò voluntatem noſtram ad actum ſuum; intelligit propenſionem, & inclinationem ad agendum quam Deus vnicuique creaturæ, atque adeò voluntati humanæ confert, & conſeruat; per quam inclinationem naturaliter inditam voluntati ad obiectum quod eſt bonum, quaſi pondere quodam incitamur, & trahimur ad aliquam volitionem boni, vel veri, vel apparentis; Vnde fit, vt quemadmodum grauia & leuia moueri dicuntur à generante ob qualitates illis ab eo impreſſas; ita ad amorem boni in communi, & vagè, voluntas noſtra neceſſariò & naturaliter à Deo moueatur; & niſi Deus hoc pacto voluntatem noſtram inclinaret, & moueret ad bonum; ipſa nihil omnino velle poſſet; quia *nullus ad malum intendens operatur*: & quemadmodum lapis violenter impeditus ne deorſum tuat, dicitur retineri ſurſum contra proprium pondus, & inclinationem ad deſcendendum; & cùm deſcendit, dicitur moueri deorſum à generante: Ita ſi Deus voluntatem noſtram alioquin expeditam, ab omni tamen volitione prohiberet; ipſa diceretur violentiam, & coactionem pati; & dum agit, dicitur moueri à Deo, & applicari, ſcilicet per inclinationem ad agendum à Deo nobis impreſſam.

Porrò, ex hac tanta inclinatione, & propenſione ad volendum aliquod bonum oritur illa neceſſitas quam experimur habendi ſemper aliquam volitionem, quâ ſemper ametur à nobis aliqua ratio boni, particularis, aut generalis, quandiu phantaſia non fuerit impeditá

impedita quominus intellectui ſuppeditet phantaſmata quæ ſpeculetur; cuius quidem neceſſitatis argumentum nullum euidentius eſſe poteſt ipsâ experientiâ, quemadmodum enim non poſſumus vnum corpus ab vno loco remouere, niſi transferendo illud ad alium locum, neque intellectum ab vno obiecto, niſi applicando illum ad alia obiecta cogitanda: ita non poſſumus vniuerſalem omiſſionem, ſeu ſuſpenſionem omnium volitionum collectiuè in nobis efficere quando adſunt omnia requiſita vt voluntas noſtra operetur; ſed ex illa naturali propenſione voluntatis, ſi non phyſicâ neceſſitate, ſaltem morali quadam infallibilitate oritur aliqua volitio; ſiue illa ſit tenuis, & remiſſa; ſiue intenſa, & vehementior, & ſiue ſit efficax, ſiue ſimplicis ſolùm cõplacentiæ, quod non refert; & quia Deus huiuſmodi inclinationẽ conſeruare non deſinit, ſemper dicitur illam producere, atq; illâ mediáte voluntatem noſtram ad agẽdum vrgere, applicare, & præmouere: ita tamẽ vt noſtræ ſit electionis in hãc aut illam determinatã volitionem ferri: eſt enim hęc differentia quoad hoc inter cauſam liberam, & naturalẽ, quòd poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, cauſa naturalis, exempli cauſâ, ignis applicatur, & præmouetur ad ſuam ipſius operationẽ, non modò in generali, ſed etiam in particulari, & determinatè, nõ vagè: At verò cauſa libera applicatur, & determinatur ad volitionem aliquã in communi, & vagè; relictâ tamẽ indifferentiâ, & indeterminatione ad quamlibet determinatam volitionẽ, niſi fortè in motibus primo primis, in quibus voluntas noſtra operatur, non vt libera, ſed vt natura, nimirum circa obiecta ſibi indeliberatè propoſita.

Obiicies, S. Thomas in quæſt. 3. de potentia art. 7. in corpore, expreſsè dicit, *applicationem virtutis ad agendum non eſſe idem cum collatione, aut conſeruatione virtutis actiuæ*; At ex ſupradictis non apparet differentia inter vtramque; Reſpondeo, non diſtingui realiter virtutem agendi ab inclinatione & propenſione naturali ad actum; ſed ſolùm virtute, & ratione ratiocinatâ, quod ſufficit: virtus ſanè aliquid agendi, ſicut & patiendi, facilè poteſt intelligi abſque propenſione ad illud agendum, aut patiendum; potiſſimùm cùm ſæpenumero contingat nos habere virtutem & facultatem aliquid agendi, ad quod tamen nullâ prorſus inclinatione propendemus, ſed potius in oppoſitum; Nam inclinatio, & propenſio, vltra po- VI.

tentiam operandi, addit quendam veluti ordinem, ſeu conatum, vt aliqui vocant, ad operationem; eſtque præcedens quædam actualitas,& præparatio proxima ad operandum.

Secundò, nomine Motionis præuiæ, & applicationis quâ vrgetur voluntas noſtra ad operandum, D. Thomas aliquando intellexit excitationem illam quæ conſiſtit in actuali propoſitione obiecti ab intellectu facta, propter quod dici ſolet voluntatem noſtram determinari obiectiuè ab intellectu; & quidem, ſi obiectum fuerit pietati, ac ſaluti noſtræ conſentaneum, motio illa tribuitur ſpecialiter Deo, vtpote quam ipſe nobis ſpeciali cura, & benignitate prouiderit.

Tertiò; interdum intellexit excitationem illam quæ fit per motus ſubitos, atque indeliberatos intellectus, & voluntatis; qui, rametſi eliciantur à potentiis noſtris, effectiuè, vitaliterque operantibus, dicuntur tamen à Deo nobis immitti, & fieri ab eo vt Auctore naturæ, aut gratiæ in nobis ſine nobis; hoc eſt, nobis humano modo,& cum libertate minimè pro tunc operantibus;& hi quidem actus voluntatem pulſant, mouent, ſollicitántque ad conſenſum liberum; ſuntque poſtea rationes conſulendi, deliberandi, & eligendi, neque vllo modo libertati noſtræ præiudicant.

Quartò; intelligit aliquando Motionem illam quæ fit ad actus ſupernaturales per gratiam, ſiue nomine gratiæ intelligamus actus illos vitales de quibus paulò ante,& in quibus communiter Theologi docent conſiſtere gratiam excitantem, ſcilicet illuſtrationem intellectus,& inſpirationem piamque affectionem voluntatis; ſiue intelligamus qualitatem illam ſupernaturalem quam requirimus in potentiis noſtris ad hoc vt ſint comprincipia ad eliciendos actus ſupernaturales idonea.

Quintò, intelligere potuit Motionem illam, quâ Deus, vt finis vltimus, ac ſummum bonum, cuius quædam participatio in quolibet fine ac bono particulari reſplendet, voluntates noſtras ad ſe trahit; quo ſenſu dicunt morales philoſophi ſummum bonum illud eſſe quod omnia appetunt,& propter quod omnia operantur; ſcilicet quia operamur ex appetitu fœlicitatis, ac beatitudinis, vel abſtractæ in vniuerſali, vel concretæ in aliquo ſpeciali bono.

Denique, ſæpenumerò intellexit nomine Motionis, directionẽ illam

illam ſupremámque artificis intentionem, & artem in creaturis exiſtentem velut in inſtrumentis, ad eum modum quo dicimus, artem eſſe in inſtrumento quo artifex vtitur dum ex arte operatur: tametſi enim inſtrumentum non ſit capax artis, aut intentionis propriè dictæ, tamen ex directione artificis operatur eâdem omnino ratione, ac ſi præditum eſſet arte & intellectu; propter quod dicit S. Thomas artem eſſe in inſtrumento artis, non ſecundùm eſſe reale, ſed ſecundùm eſſe intentionale, & incompletum; ad eum fere modum quo colores dicuntur eſſe in aëre; Itaque ſicut artifex dirigit inſtrumentum quo vtitur ad hoc vt conſequatur productionem effectus à ſe intenti; ita Deus infinitâ ſuâ arte, ac ſapientiâ, omnes, & ſingulas creaturas, earúmque operationes in aliquem finem honeſtiſſimum dirigit modo vnicuique creaturæ conuenienti; quaſdam enim actiones procurat fieri, vt bonas; quaſdam ſolùm permittit fieri, vt malas; quas tamen omnes dirigit in finem principaliter intentum, ſcilicet in manifeſtationem gloriæ ſuæ; vnde Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 4. *Voluntas Dei*, inquit, *eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum, atque motionum; nihil enim fit viſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de interiori, inuiſibili, atque intelligibili aula Summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundùm ineffabilem iuſtitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam, immenſáque republica.*

Sed rogas, an iſta Motio, ſeu directio Dei ponat aliquid in creatura operante diſtinctum realiter ab ipſa, aut ab eius operatione? Reſpondeo diſtinctione, ſicut enim quædam ſunt inſtrumenta, quæ, vt agere poſſint ex arte, recipere debent impetum aliquem ab artifice, quemadmodum ſecuris, vt ex arte lignum ſcindat, impetum quendam motúmque localem debet accipere, priuſquam in locum ligni penetrando ſubintrare poſſit & diuiſionem in illo facere: Alia verò ſunt quæ agunt per propriam virtutem, formámque naturalem in illis permanentem, ſolúmque indigent directione artificis diſpoſitionem aliquam præuiam facientis, quâ ritè aptatâ, actio fluit à propria, & naturali virtute inſtrumenti; quemadmodum ignis dum ab Alchimiſta dirigitur ad aurum fictitium conflandum, nullam præuiam motionem ac realitatem ab artifice recipit; ſed certo quodam loco & quantitate, tum ipſe ignis, tum ea VII.

circa

circa quæ agere debet ex arte applicantur,& diſponuntur; & tunc actio ſequitur ex virtute illius propria ac naturali: Et dum aqua ad irrigandas varias plantas artificioſè dirigitur, Hortulanus nullum motum,aut impetum in ipſa aqua producit; ſed diſpoſitis quibuſdam foſſulis decliuioribus aquam in minutos riuulos diuidit,eámque deducit quò vult, vrgente nimirum naturali grauitate elementi;éſtque in aqua intentio,ars,& directio Hortulani, abſque eo quòd aliquid in ea producat realiter ipſi inhærens, & ab ea diſtinctum: Ita planè quædam ſunt actiones, ad quarum productionem nihil eſt opus voluntatem noſtram quidquam diſtinctum recipere; vt ſunt actiones ordinis naturalis quas producimus liberè; quæ, ſi bonæ ſint,per prouidentiam approbationis fiunt; ſi malæ, per prouidentiam permiſſionis: Aliæ ſunt ordinis ſupernaturalis; vt actus charitatis, contritionis, viſionis beatificæ; ad quarum productionem neceſſe eſt nos priùs à Deo moueri receptione qualitatis ſupernaturalis,quæ eſſe poſſit idoneum principium effectiuum iſtiuſmodi operationum: eo verò principio accepto, neceſſe non eſt Deum vltrà nobiſcum elicere actus illos Concurſu immediato, & indiſtincto.

Denique, aliæ ſunt actiones, ad quarum productionem Deus concurrit Concurſu identificato, abſque eo quòd neceſſe fuerit eum aliquid præuium in creatura quæ ad huiuſmodi actionem eleuatur produxiſſe:vt ſi verum eſt Deum vti ſacramentis, & ſono verborum ad productionem gratiæ, vel Corporis Chriſti Domini; Tunc enim non eſt neceſſe quòd Deus in ſono verborum realitatem aliquam corporalem,aut ſpiritualem imprimat, quæ ſit principiũ gratiæ aut corporis Chriſti productiuũ; ſed ſufficit quòd Deus per potentiam obedientialem actiuam creaturam eleuet, aſſumátque ad eandem ſecum actionem, & terminum ſeu effectum producendum:& ſic patet, applicationem in actionibus noſtris primi, & ſecundi generis nihil præiudicare poſſe libertati noſtræ, aut diuinæ ſanctitati, eo quòd Deus non niſi remotè ac mediatè ad eaſdem concurrat;Illas autem quæ ſunt tertij generis non eſſe reſpectu noſtri liberas, ſicut neque vitales,clarius eſt quàm vt probari debeat.

VIII. Rogas ſecundò; quis ſit terminus iſtius diuinæ motionis, & applicationis

plicationis? Reſpondeo, ſi applicatio ſumatur pro actione Dei externa; terminum habet ipſam inclinationem voluntatis, quę eſt ipſa voluntas vt procliuis, & proximè tendens ad operationem, ſeu procliuitas ad operandum; formalis autem effectus iſtius procliuitatis, & propenſionis eſt, voluntatem applicatam eſſe, inclinatam, motámque & procliuem ad operandum.

Itaque ex dictis liquet, voluntatem cùm non ſit ſibi primum mouens, & agens; præmoueri à Deo, vel per collationem & conſeruationem virtutis actiuæ, vel per naturalem propenſionem, & inclinationem in bonum, quâ Deus illam mouet tanquam vniuerſalis motor ad obiectum vniuerſale, vel per motus primò primos, vel per nouam obiecti propoſitionem, vel per gratiam excitantem, vel per habituum infuſionem, vel per diuinam directionem, quâ ordinatur, atque in certos fines deſtinatur, aut aliis modis relatis ex D. Thoma, & cum libertate noſtra, ac Diuina Sanctitate facilè cohærentibus.

Sed rogas tertiò; An non verum ſit quod ſæpè B. Thomas tradidit, Deum in omnibus operari immediatè, immediatione virtutis ac ſuppoſiti: Reſpondeo, veriſſimum eſſe in hoc ſenſu; nimirum, vbicumque Deus operatur, immediatione ſuppoſiti operatur; quia inter diuinum ſuppoſitum, & creaturam in qua operatur, nulla diſtantia eſt, eo quòd immenſitatis diuinæ plena ſunt omnia; ipſe autem in omni parte ſpatij aliquid operatur immediatione ſuppoſiti, quia nulla eſt pars ſpatij realis, in qua non ſit aliqua ſubſtantia ſpiritualis, aut corporea; quam Deus immediatè conſeruet: Operatur quoque immediatione virtutis, id eſt, non per virtutem ab alia ſuperiore cauſa deriuatam, ſicut prima principia dicuntur *immediata*, quatenus à nullis prioribus principiis illorum veritas oritur ac demonſtratur. IX.

Cæterùm inde non ſequitur, Deum, quotieſcunque operamur, eandem indiuiſibilem operationem proximè & immediatè nobiſcum producere; poteſt enim ad ſubſtantiam noſtram conſeruandam immediatè concurrere; & ad actus noſtros, præſertim verò prauos, mediatè ſolùm, ac remotè.

Ii CAPVT

## CAPVT IV.

### *In quo ampliùs oſtenditur, S. Thomam non ſtetiſſe à partibus Concurſus ſimultanei, proximi, & indiſtincti, & explicantur aliqua illius teſtimonia in contrarium.*

I. CVm S. Thomas plurimis omninò locis enumerauerit omnes modos quibus prima cauſa cõcurrit cum creaturis ad earum operationes, neque vnquam meminerit Concurſus ſimultanei, proximi, & identificati, qualem defendunt Aſſertores Scientiæ Mediæ; neque Prædeterminationis phyſicæ neceſſario inferentis effectum neceſſitate antecedente; qui erant duo tantum poſſibiles modi concurrendi Concurſu proximo, & identificato; perſpicuè liquet eum à partibus iſtiuſmodi Concurſus non ſtetiſſe; ſed potiùs in ea fuiſſe ſententia quam nos amplectimur; ſcilicet, Influentiam Dei, & Concurſum generalem, eſſe collationem, conſeruationémque virtutis agendi, & propenſionem, applicationem, motionémque, per quam ipſe applicat, mouétque vniuerſam creaturam ad operandum; motione quâ non obſtante, etiam in ſenſu compoſito, poni poteſt negatio operationis; & quam propterea euidens eſt diſtingui realiter ab actu noſtro, minìméque identificari cum illo; ſed eſſe aliquid ab eo ſeparabile, antecedénſque eum non modò naturâ, ſed etiam vt plurimùm tempore.

Nihilominùs tamen, vt iſtius propoſitionis veritas luculentiùs adhuc appareat: S. Thomas interdum ait cauſas ſecundas à Deo moueri & dirigi in ſuos fines; eo modo quo ſagitta deſtinatur ad ſcopum à ſagittante: & in 1. part. quæſt. 103. art. 1. ad 3. diſcrimen conſtituit inter ſagittam emiſſam; & cauſam ſecundam operantem; quòd ſagitta recipit impulſum ab illius natura diſtinctum, eidémque ſuperadditum: At verò id quod cauſæ ſecundæ à Deo recipiunt dum mouentur ab eo in ſuos actus & fines, eſt earum natura, ſcilicet inclinatio illa naturalis & intrinſeca, per quam in ſuas

ſuas operationes tendunt; & quæ ipſis indita eſt à Deo; & quam Deus illis continuò conferre dicitur, quia eam perpetuò conſeruat.

Vnde patet motionem illam Dei, quæ eſt Concurſus generalis, iuxta D. Thomam, non eſſe aliquid realiter diſtinctum ab ipſa creatura quod de nouo in ea producatur; quod ipſum etiam confirmari poteſt ex opuſc. 9. quæſt. 38. vbi S. Doctor ait propoſitionem illam, *Deus non agit in anima, niſi per nouum influxum*, falſam eſſe. *Manifeſtum eſt enim*, inquit, *quòd Deus in anima agit, non ſolùm cauſando in ea aliquem habitum, puta gratiæ, aut virtutis, ſed etiam inclinando liberum arbitrium ad hoc, vel ad illud, quod non propriè dicitur influere, ſed magis mouere ad actum*: hæc ille.

Porrò inclinatur liberum arbitrium ad bonum in communi, abſque eo quòd aliquid de nouo à Deo recipiat, quemadmodum idem S. Doctor ait quæſt. 22. de veritate art. 8. *Sicut enim*, inquit, *ex ipſa natura quam Deus voluntati dedit inclinatur voluntas in aliquid volendum, ita ex aliquo ſuperaddito, ſicut eſt gratia, vel virtus, inclinatur vlteriùs ad volendum aliquid aliud ad quod priùs non erat inclinata naturali inclinatione*; ex quibus verbis inferre licet; voluntatem, quando mouetur à Deo ad actus ordinis naturalis, nihil de nouo recipere immediatè à Deo, quod ſit realiter diſtinctum à ſua ipſius natura; quæ ſanè omnia probant Concurſum Dei remotum, ac mediatum duntaxat in actus ordinis naturalis.

Rurſúmque idem S. Doctor 1. part. quæſt. 105. art. 4. ad 1. *Sicut graue*, inquit, *cùm mouetur deorſum à generante, non cogitur; ſic Deus mouendo voluntatem, non cogit ipſam; quia dat ei propriam eius inclinationem*; quibus verbis oſtendit voluntatem noſtram eatenùs à Deo moueri ex S. Thoma; quatenus ab eo accipit propriam inclinationem ad agendum; ſicut grauia & leuia dicuntur moueri à generante, quatenus in inſtanti generationis acceperunt ab eo formam & inclinationem naturalem, atque adeò potentiam completam, quâ in propria loca moueantur, abſque eo quòd eorum motus proximè, immediatè, & identificè à generante producatur; & Cõfirmatur ex reſponſione ad ſecundum, vbi S. Thomas oſtendit, idẽ eſſe voluntatẽ noſtrã moueri à Deo, & accipere ab eo principium intrinſecũ & facultatẽ per quam ipſa ſeipſam mouere poſ-

 ſit:

Digitized by Google

ſit: *Dicendum*, inquit, *quòd moueri voluntariè, eſt moueri ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco, ſed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco; & ſic moueri ex ſe non repugnat ei quod mouetur ab alio*; vbi probat voluntatem habere in ſeipſa poteſtatem mouendi ſe; tametſi iſta poteſtas ſit illi à principio extrinſeco, putà Deo: & cùm dicturus videretur, & ſic moueri ex ſe, non repugnat ei quod *eſt* ab alio principio extrinſeco; dixit, non repugnat ei quod *mouetur* ab alio; nimirum ſignificans idem eſſe *moueri à Deo*, & *recipere ab eo poteſtatem mouendi ſe*: quæ verba, eorúmque interpretatio prorſus conſentanea ſunt modo loquendi Auguſtini dum tam ſæpè dixit, *facere Deum vt faciamus*, id eſt, mouere nos, & concurrere nobiſcum ad faciendum, *præbendo vires efficaciſſimas voluntati*; quæ quidem vtriuſque Doctoris verba manifeſtè exprimunt Concurſum Dei eſſe aliquid diſtinctum realiter ab actu noſtro.

**Ampliùs**, S. Doctor in quæſtionibus diſputatis de potentia quæſt. 3. art. 7. in 3. & 4. argumento, & eorum ſolutione; ſupponit concurrente Deo cum Creatura diuerſas eſſe actiones cauſæ primæ atque ſecundæ; ſic enim eum intellexit, ac retulit Didacus Ruiz de Scientia Dei diſput. 65. ſect. 10. numero 2. & facilè patet legenti: Cùm enim eo articulo diſputaret ex profeſſo; vtrùm Deus operetur in operatione naturæ; & in argumentis dixiſſet, non videri quòd Deus nobiſcum operetur eâdem actione: Reſpondet: *ad tertium dicendum, quòd in operatione quâ Deus operatur mouendo naturam, non operatur natura; ſed ipſa naturæ operatio, eſt etiam operatio virtutis diuinæ; ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis.*

Itaque dum D. Thomas docet, naturam non operari in operatione quâ Deus mouet naturam; ſeu quod idem eſt, in motione naturæ, quæ eſt generalis Concurſus Dei cum agente aliquo naturali: ſequitur Concurſum, ſeu motionem Dei non eſſe eandem indiuiſibilem entitatem, ſeu actionem, à Deo ſimul, & à Creatura indiuiſim procedentem, ſed potiùs aliquid præuium, & antecedens operationem creaturæ, ſeu agentis naturalis; quod etiam clarè confirmari poteſt ex præclaro illo diſcurſu quem habet idem Doctor in corpore.

*Sciendum*

Digitized by Google

*Sciendum eſt,*(inquit)*,quòd actionis alicuius rei,res alia dici poteſt cauſa multipliciter: Vno modo,quia tribuit ei virtutem operandi; & hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ: Alio modo conſeruans virtutem dicitur facere actionem,ſicut dicitur quòd medicina conſeruantes viſum faciunt videre: ſed quia nulla res per ſeipſam mouet, vel agit,niſi ſit mouens non motum,ideo tertio modo dicitur vna res eſſe cauſa actionis alterius, inquantùm mouet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conſeruatio virtutis actiuæ,ſed applicatio virtutis ad actionem*; & poſt pauca, *Sequitur de neceſſitate,quòd Deus ſit cauſa actionis cuiuſlibet rei naturalis,vt mouens & applicans virtutem ad agendum*; Rurſumque paucis interiectis. *Quarto modo,vnum eſt cauſa actionis alterius,ſicut principale agens eſt cauſa actionis inſtrumenti,& hoc modo etiam oportet dicere,quòd Deus eſt cauſa omnis actionis rei naturalis.*

Itaque iuxta S. Thomam, creatura non dicitur agere per ſeipſam,neque per virtutem propriam;quia mouet mota,id eſt, mouet per virtutem Dei; ſcilicet,quia ipſa creatura eſt quædam virtus Dei,participata;ad eum ferè modum,quo calor dicitur eſſe virtus ignis ad calefaciendum tametſi per propriam entitatem calefaciat;Deus autem mouet & applicat creaturam ad agendum, Concurſu,ſeu motione in qua creatura ipſa non agit, ſed duntaxat recipit,ergo Concurſus,ſeu cauſalitas Dei non eſt ipſa actio creaturæ;ſiquidem creatura in ſua ipſius operatione,vel potius ſuâ ipſius operatione operatur.

Quid ſit autem illa applicatio, vel motio, quâ Deus mouet, & applicat creaturam, & cum ea concurrit ad operandum, dictum eſt ſupra capite præcedenti; plurimúmque id nobis contulit ad mentem doctoris Angelici pleniùs ſynceriúſque explicandam; nobis ſufficit in præſenti oſtendere,D.Thomam in quæſtione de potentia non ſtare à partibus Concurſus proximi, immediati,& indiſtincti; & nihilominus apud eum operationem naturæ dici & vocari operationem Dei,ſcilicet, quia creatura quidquid operatur, facit per virtutem Dei;cùm ipſa ſit etiam virtus quædam Dei non mouens niſi mota, motione quæ diſtinguitur ab ipſa naturæ operatione.

Inſuper, Idem D. Thomas de malo quæſt. 3. de cauſa peccati artic.2.multa habet, quæ apertè oſtendunt eum non ſtetiſſe à parti- 11.

bus Concurſus identificati,& indiſtincti, ſiquidem in corpore articuli: *Neceſſe eſt enim*, inquit,*omnes motus cauſarum ſecundarum cauſari à primo mouente;ſicut omnes motus inferiorum corporum cauſantur à motu cœli; Deus autem eſt primus mouens reſpectu omnium motuum; vnde cùm actus peccati ſit quidam motus liberi arbitrij, neceſſe eſt dicere quod actus peccati, inquantùm eſt actus,ſit à Deo:Sed tamen attendendum eſt, quòd motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus; ſed in vnoquoque ſecundùm proprium modum,*& poſt pauca: *Cùm enim aliquid eſt in debita diſpoſitione ad recipiendum motionem primi mouentis, conſequitur actio perfecta ſecundùm intentionem primi mouentis; ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione,& aptitudine ad recipiendum motionem primi mouentis,ſequitur actio imperfecta;Et tunc id quod eſt ibi actionis, reducitur ad primum mouẽs ſicut in cauſam:quod autem eſt ibi de defectu,non reducitur ad primum mouens ſicut in cauſam; quia talis defectus conſequitur in actione,ex hoc quòd agens deficit ab ordine primi mouentis,* & poſt pauca: *Sic ergo dicendum,quòd cùm Deus ſit primum principium motionis omnium, quædam ſic mouentur ab ipſo,quòd etiam ipſa ſeipſa mouent,ſicut quæ habent liberum arbitrium;quæ ſi fuerint in debita diſpoſitione, & ordine debito ad recipiendum motionem quâ mouentur à Deo, ſequentur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum ſicut in cauſam;ſi autem deficiant à debito ordine,ſequetur actio inordinata,quæ eſt actio peccati.*

Ex quibus verbis duo reſultãt argumenta clariſſima pro noſtra ſententia.Primum eſt;quia ſicut motio,ſeu influxus, ac Concurſus Cœli,vel Solis, vnà cum homine hominem generantis; aut aliud quidpiam in his inferioribus producentis, non eſt ipſiſſima actio, ſeu Concurſus hominis,aut alterius agentis ſublunaris; ſed aliquid diſtinctum,præuium,& antecedens: & tamen motus omnes inferiorum corporũ dicuntur cauſari à motu Cœli:ita Concurſus Dei non eſt identificatus cũ actione,& Concurſu creaturæ;ſed aliquid ab eo diſtinctum, præuium,& antecedens eumdẽ & tamen omnes motus & actiones creaturarum dicuntur cauſari à Deo; vnde antiqui omnes ſcolaſtici,ac Patres, dum vtuntur ſimilitudine ductâ ex Concurſu Solis,aut Cœli ad explicandum modum quo Deus concurrit cum creaturis,citari poſſunt,ac debent pro noſtra ſententia, exceptis tantùm illis (ſi tamen erunt aliqui) qui forſitan contrarium aliquid expreſſerint.

Secundum

Secũdum argumentum eſt; quia ſicut idem influxus Cœli poterat determinari ad pullulationem roſæ, vel lilij, vel cuiuſcumque alterius plantæ noxiæ, aut ſalutaris; ita eadem motio, ſeu Concurſus Dei poteſt à creatura detorqueri, vel in bonam, vel in malam actionem ad libitum; ex quo ſequitur euidenter, Concurſum Dei non identificari realiter Concurſui creaturæ, neque eſſe ipſiſſimam illius actionem, eandémue indiuiſibilem entitatem, ſed aliquid ab ea longè diuerſum: Nam Concurſus indiſtinctus ab vno actu, non poſſet inſeruire ad alium actum tametſi eiuſdem ſpeciei; vnde multò magis ſequitur eum non poſſe inflecti ſeu detorqueri ad actum oppoſitum, aut ab eo eſſe indiſtinctum.

Amplius, idem Angelicus Doctor in ſecundo ſententiarum diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. clariſſimè docet, actionem peccati reducendam eſſe in Deum, aliquo tali modo qui ſufficiat vt ipſe dicatur prima, & vniuerſalis cauſa omnis entitatis, & boni quod in illo actu reperitur qui procedit à Deo mediante voluntate, qui locus cùm citari ſoleat contra nos ab aduerſariis, operæpretium fuerit verba illius huc adducere: Quærit igitur in titulo articuli; vtrum actio peccati, inquantùm actio, ſit à Deo? & reſpondens, ait.

*Circa hanc quæſtionem tanguntur à Magiſtro duæ opiniones; quarũ vna dicebat, omnes actus, inquantùm actus ſũt, ex Deo eſſe: ſed inquantùm deformitatem habent à Deo non ſunt, ſed ab homine, vel diabolo; & horum rationes ſupra 31 diſt. proſecutus eſt. Alia opinio dicebat; actus peccatorum nullo modo, nec etiam inquantùm actus ſunt, à Deo eſſe; & hæc opinio tangitur in præſenti diſtinctione, quam ad præſens nulli vel pauci tenent, quia propinquiſſima eſt errori duplici. Primò, quia ex ea videtur ſequi quòd ſint plura prima principia: hoc enim eſt de ratione primi principij, vt agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentia eius, vnde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere cuius Auctor Deus non eſſet; voluntas humana rationem primi principij haberet. Quamuis hoc ſoluere nitantur dicentes, quòd voluntas, etſi per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis, non tamen habet à ſe eſſe, ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principij: Sed hoc videtur inconueniens, vt, quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit, cùm etiam per ſe durare non poſſit, quod à ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute: Vnde cuius eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus & operatio ab alio ſit: & pratera,*

*rea, quamuis per hãc reſponſionem euitaretur quòd non eſſet primum ſimpliciter, non tamen poſſet vitari quin eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod prius agens non reduceretur ſicut in cauſam: Secundò, quia cùm actio, etiam peccati, ſit ens quoddam; non ſecundum quòd priuationes, & negationes entia dicuntur, ſed etiam ſecundùm quòd res in genere exiſtentes entia ſunt, eo quòd & ipſa actiones in genere ordinantur, ſequeretur quòd ſi actiones peccati à Deo non ſunt; aliquod ens eſſentiam habens à Deo non eſſet; & ita Deus non eſſet vniuerſalis cauſa omnium entium, quod eſt contra perfectionem primi entis. Primum enim in quolibet genere eſt cauſa eorum quæ ſunt poſt, vt in ſecundo metaph. dicitur; Et ideo cum prima opinione dicendum eſt, quòd actus, inquantùm actus, à Deo eſt, & vt ſic, non habet aliquid quod deformitatem habeat: quòd qualiter ſit ita conſiderari poteſt: In omnibus enim in quibus incidit defectus ex cauſa ſecunda, & non ex cauſa prima, oportet quòd quidquid eſt in effectu deficiente eſſentiæ, & bonitatis, totum à prima procedat, quod autem defectus, reducatur in cauſam ſecundam deficientem, vt patet in claudicatione, quæ eſt à virtute greſſiua mediante tibiâ: per cuius, ſcilicet tibiæ curuitatem, obliquitas in greſſu claudicantis relinquitur; Vnde quidquid eſt ibi de greſſu, totum eſt à virtute greſſiua; ſed defectus, vel obliquitas greſſus, non eſt à virtute greſſiua, ſed à tibia tantùm.*

*Similiter etiam eſt ordo Dei ad voluntatem cauſatã, ſicut cauſa prima ad cauſam ſecundã, ideo ex parte Dei nullus defectus incidere poteſt, voluntas autem cauſata ad effectum poſſibilis eſt, & ideo quidquid eſt in actu deficiēte, ſcilicet peccato, de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, ſcilicet Deo procedit mediante voluntate, ſed ipſe defectus qui eſt in actu, hoc modo eſt à voluntate, quòd à Deo non procedit: Et ideo quodcunq; nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat, ſiue in generali, ſiue in ſpeciali, non poteſt dici quòd hoc à Deo ſit ſimpliciter, vnde non poteſt dici abſolutè, quòd peccatum ſit à Deo, vt homicidium, aut aliquid huiuſmodi, niſi cum hac additione, inquantùm eſt actus, & inquantùm eſt ens.*

III. Quibus verbis oſtenditur eum non meminiſſe Concurſus immediati, & indiſtincti; ſed in eadem omnino eſſe ſententia quam poſteà Durandus ſecutus eſt: Primùm enim oſtendit ſe agere aduerſùs eos qui exiſtimant actionem peccati *nullo modo* in Deum eſſe reducendam, his verbis, *Alia opinio dicebat actus peccatorum nullo modo, nec etiam inquantùm actus ſunt, à Deo eſſe*; At Durandus docet

Digitized by Google

cet, Deum eſſe cauſam vniuerſalem, & primam actionis peccati, quatenus ens, & bonum quoddam eſt; Ergo non docet actionem peccati inquantùm actus eſt, *nullo modo* in Deum eſſe reducendam.

Secundò, docet S. Thomas, *opinionem illam nullius eſſe vel paucorum:* At S. Bonauentura Doctoris Angelici contemporaneus, docet ſententiam quam nos ex Durando ſequimur, eſſe valdè rationabilem, & præclarorum Doctorum, quemadmodum alio capite dicturi ſumus: Ergo non eſt ea contra quam S. Thomas hîc diſputauit.

Tertiò; S. Thomas docet opinionem illam eſſe propinquiſſimam errori duplici, quorum primus eſt Manichæorum; quòd ſint plura prima principia, quia, inquit, de ratione primi principij eſt, vt agere poſſit ſine auxilio & influentia prioris agentis; Ergo ſi voluntas creata aliquam actionem produceret ſine Concurſu immediato Dei, ipſa eſſet primum principium reſpectu talis actionis: At profectò error iſte non poteſt attribui ſententiæ Durandi: Primò, quia Ariſtoteles docuit vnicum duntaxat eſſe primum agens, & primum principium, & nihilominùs nunquam docuit primum agens immediatè cooperari cauſis ſecundis; neque venit illi in mentem ſuſpicari, An ſublato tali influxu neceſſe eſſet admittere plura prima principia: Ergo Durandus qui negat cooperationem immediatam Dei, non ſtatim cenſendus eſt admittere plura prima principia, nimirùm, quia admittit dependentiam ſaltem remotam & vltimatam creaturarum omnium ab influxu Dei effectiuo; imò & immediatam ab eius voluntate tanquam à conditione ſine qua nulla creatura quidquam operari poſſet: Secundò, quia ex hoc quòd voluntas operetur abſque influxu iſto Dei immediato, proximo, & identificato, non ſequitur quòd operetur abſque auxilio prioris agentis, & ſine illius influentia generali, indiget enim auxilio, & influentiâ Dei dantis eſſe, & virtutem, propenſionémque ad agendum; & vtrumque conſeruantis, & mouentis etiam ac determinantis voluntatem ad vniuerſale obiectum, quod eſt bonum in communi; & dirigentis eandem voluntatem; quò fit vt actio voluntatis creatæ reducatur in aliquod prius agens, à quo eſſentialiter dependet, & in cuius virtute agit:

vnde actio ipſius non poteſt non eſſe mediatè à Deo, & Deus non poteſt non eſſe primum principium ſaltem mediatum eiuſdem actionis; ad eum ferè modum quo Caietanus,& alij multi dicunt, quòd ſi Spiritus ſanctus procederet à ſolo Filio,& non à Patre, adhuc diſtingueretur realiter à Patre; quia licèt inter Spiritum ſanctum, & Patrem non eſſet oppoſitio originis immediata; eſſet tamen mediata; quatenus Filius, qui eſſet principium Spiritus ſancti, eſſet à Patre tanquàm à principio: Igitur iſta Durandi ſententia toto cœlo diſtat ab hæreſi Manichæorum,ad quam vt accederet,oporteret actionem creaturæ (iuxta S.Thomam) nullo modo reduci in Deum ſicut in cauſam.

Secundus error eſt,quòd Deus non ſit vniuerſalis cauſa omnium entium; At iam ſuprà diximus Durandum apertè fateri, & rectiſſimè explicare Deum eſſe cauſam primam, & vniuerſalem actionis peccati,non tamen proximam,aut immediatam.

Denique S.Thomas in citato loco docuit: quidquid eſt in actu peccati de ratione actus,& entis,& boni;totum hoc à primo agente,ſcilicet Deo,procedere *mediante voluntate*; quod quidem Didacus Aluarez lib.3. de aux. diſp 24.num. 18.contendit explicari non poſſe de Concurſu ſimultaneo,quo Deus cum voluntate ſe determinante ſimul concurrat ad actum peccati, vt actus eſt; quia per huiuſmodi Concurſum Deus non producit actum peccati mediante voluntate; id eſt,influendo in ipſam voluntatem vt in cauſam,ſed immediatè cum voluntate.

Ecce qualiter D.Thomas variis locis,non quaſi aliud agens, ſed ſtudioſè diſputans quibus modis prima cauſa influat in actiones ſecundarum; Concurſum illum proximum,immediatum,& identificatum ſemper omiſit, qui poſteà in ſcholas Theologorum adductus, tantæ diſſenſionis & controuerſiarum originem attulit.

IV. Verùm,obiici nobis poſſunt alia quædam loca D.Thomæ,quibus aſſeruiſſe videtur Concurſum identificatum, & immediatum, vt in prima parte quæſt. 105. artic. 5. ad 2. & 3. contra gentes cap.70.

Reſpondemus, hoc vnum voluiſſe S. Thomam, ſcilicet quòd quamuis actio noſtra non fiat proximè, & immediatè à Deo nobiſcum influente Concurſu realiter indiſtincto; tamē omnis actio

creaturæ

creaturæ eſſe debet à Deo, aliquo tali modo qui ſufficiat, vt ipſe verè dicatur primum agens, ac mouēs: alioqui non ſaluaretur ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam: Probatur autem, quia S. Thomas quæſt. 3. de potentia ſol. ad 3. expreſsè docet, in actione quâ Deus mouet naturam ad agendum, id eſt, quâ concurrit ad actionem naturæ, naturam non operari; & tamen ibidem ſtatim ſubdit: *nihilominùs operationem naturæ eſſe, & dici operationem ipſius Dei*, propter rationes quas toto articulo illo diffusè explicat, ſcilicet, quia dat naturæ & conſeruat eſſe, & virtutem agendi, mouétque, & applicat eam ad operandum, &c.

Et in 1. parte quæſt. 105. art. 5. ad 2. tametſi dicat nihil prohibere quin vna & eadem actio procedat à primo & ſecundo agente; tamen hoc ideò dicit, quia, vt ipſe ait in Corpore paulò antè, operationes naturæ attribuuntur Deo operanti in natura, quatenus dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe, mouétque eas ad agendum, nullâ factâ mentione Concurſus identificati proximè, & immediatè à cauſa prima manantis, quem tamen non omiſiſſet, ſi exiſtimaſſet eum indiſpenſabiliter eſſe neceſſarium.

Rurſúmque, idem S. Doctor, 3. contra gentes, cap. 70. docens quomodo eadem actio, vel effectus dici poſſit eſſe à Deo, & à Creatura ſimul agentibus; quod idem eſt ac ſi quæreret, ſicut in quæſtione citata de potentia quæſiuit, quomodo actionis alicuius rei, res alia poſſit dici cauſa? repetit ea quæ ibidem dixerat, nimirùm *quia dat, conſeruátque eſſe, mouétque & applicat creaturam ad agendum*; Prætereáque addit, *eandem actionem, & effectum tribui Deo, & Creaturæ; quia actio inferioris agentis non ſolùm eſt ab eo per virtutem propriam, ſed per virtutem omnium ſuperiorum agentium, agit enim in virtute omnium, & virtus infimi agentis habet quòd producat hunc effectum ex virtute Superioris proximi; & virtus illius ex virtute Superioris, & ſic virtus ſupremi agentis inuenitur ex ſe productiua effectus, quaſi cauſa immediata, ſicut patet in principiis demonſtrationum, quorum primum eſt immediatum; ſicut igitur non eſt inconueniens quòd vna actio producatur ex aliquo agente, & eius virtute, ita non eſt inconueniens quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab vtroque immediatè, licèt alio, & alio modo.*

V. Circa quem poſtremum locum Doctoris Angelici obſeruandum eſt, quòd tametſi aliqui putent eum ſuffragari Concurſui proximo, & identificato Dei, propter illa verba *quaſi cauſa immediata*, & iterum propter illa, *ab vtroque immediatè*, ex quo inferri videtur quod Suares docet in opuſc. eum tacitè retractaſſe ea quæ tradiderat quæſt. 3. de potentia; tamen exiſtimo ne hunc quidem locum vrgeri contra nos poſſe; ſed fauere nobis euidentiſſimè; idque mihi vehementer fit credibile ex pluribus coniecturis: Primò, quia locis antè citatis oppoſitum docuerat causâ cognitâ & maturè diſcuſsâ, prout dictum eſt præcedenti cap. concluſ. 1. & tamē ibi non meminit Concurſus immediati illo genere immediationis quod nos inficiamur; ſed alio quodam immediationis modo quem nos admittimus.

Secundò, quia ibidem docuit eundem effectum fieri *ab vtroque agente immediatè, ſed alio, & alio immediationis modo*, quod ipſum explicat exemplo principiorum demonſtrationis, *quorum primum eſt immediatum*, non quidem reſpectu concluſionis, ſed reſpectu alterius principij ſuperioris, & prioris, quod nullum eſt; ita igitur Deus dicitur *cauſa immediata noſtræ actionis*, non quia non ſit alia cauſa intermedia proximè attingēs, & producēs eā, ſed quia Deus nō agit per virtutem alterius agentis ſuperioris; ita enim explicat D. Thomam Ferrarienſis ſuper idem cap. 70. §. in hoc enim differt Deus, ad finem: & P. Ruiz lib. de vol. Dei diſp. 39. ſect. 2. poſteaquàm ſibi obiecit articulum 2. quæſt. 2. diſtinct. 37. 2. ſententiarum; *Concedo* (inquit) *S. Thomam aſſerere, quòd actus peccati, inquantùm actus eſt, ſit à Deo tanquam à prima cauſa, & quòd ſub eadem ratione Deus ſit Auctor illius; ac proinde actus voluntatis reducatur in aliquod prius agens ſicut in cauſam, nihilominus* (inquit) *contextus ipſe articuli manifeſtat nihil aliud intendere S. Thomam niſi hoc eſſe de ratione primi principij, vt agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentia eius*, hæc ille; quæ omnia oſtendunt S. Thomam conſtanter idem variis locis docuiſſe; & apud illum, *primum agens*, & *immediatum agens* idem omnino ſignificare, quemadmodum *primum principium* in demonſtrationibus dicitur *immediatum*. Itaque, iuxta D. Thomam; quando plures cauſæ concurrunt ad eādem actionem, & effectum; vt exempli causâ, Deus, Sol, & homo ad productionem hominis, homo eſt cauſa infima,

proxima,

proxima, & immediata reſpectu actus, & effectus ſui, ſcilicet generationis hominis geniti; Deus cauſa prima, ſuprema, & immediata, hoc genere primitatis & immediationis, ſcilicet, quatenus non habet cauſam ſuperiorem, inter quam & effectum productum ipſe ſit veluti agens intermedium, accipiens virtutem ab alio priore; Sol verò eſt cauſa mediata vtroque modo: Tum quia inter Solẽ, & hominem genitum, medius eſt homo generans: Tum etiam quia Deum habet tanquam agens ſuperius in cuius virtute operatur, & ſic patet, quòd ſicut Sol, & homo generant hominem, non Concurſu identificato, ſed diſtinctis realiter Concurſibus, & tamen verè dicitur, quòd Sol, & homo generant hominem: ita etiam, tametſi Deus ſit cauſa actionis noſtræ vniuerſalis, & prima, non concurrit tamen nobiſcum influxu identificato, immediato, & proximo, iuxta eum immediationis ſenſum quem intendimus, quemque iam ſatis ſuprà expreſſimus: Nos enim dum negamus Deum concurrere influxu immediato, & indiſtincto ad omnem creaturæ actionem, non loquimur de illo modo immediationis, ſeu primitatis, ſecundùm quem cauſa *immediata* ſignificat primam, ſupremam, & independentem ab alia priore, ſed de illo modo immediationis, ſecundùm quem cauſa *immediata* ſignificat infimam, & proximè attingentem effectum, tametſi ab aliis ſuperioribus cauſis dependeat.

---

## CAPVT V.

*In quo producuntur Auctores multi ex Sacro Ordine Minorum Sancti Franciſci pro eadem ſententia, Alenſis, Bonauentura, Scotus, Aureolus, Pelbartus, Scotellus, Bonetus, Palanterius, Sarnanus, Bocherius, & alij.*

QVemadmodum ſecundo capite primæ partis huius opuſculi diximus; aduerſarios, cùm animaduerterent ſententiam no- I.

ſtram ſyncerè propoſitam, iiſdem verbis & ſenſu quibus eam intelligimus, ac defendimus, ad impugnandum eſſe difficillimam, callidè & de induſtria conaros eſſe taliter eam proponere, vt primo ſtatim intuitu, cuiuis Theologo ingrata & ſuſpecta eſſe poſſet; nimirum ſerendo in vulgus negare me Concurſum Dei ad actus liberos humanæ voluntatis, tacitâ illâ voce *Concurſum proximum, immediatum, & à Concurſu creaturæ indiſtinctum*; quam tamen intelligebant me maximè additam, miniméque ſuppreſſam eſſe velle.

Ita nunc ſanè aliam quandam eorum verſutiam, & dolum palam detegere, atque hîc oſtentare viſum eſt, vt appareat non fuiſſe ſynceriorem eorum fidem in producendis aduersùm me Auctorum teſtimoniis, quàm fuerat in eadem ſententia mea proponenda: Poſteaquàm enim ſententiam meam, prout ipſis commodum viſum eſt, ad ſuam intentionem compoſuerunt, effinxerúntque; ita vt falsò mihi imputauerint, quòd negem actus noſtros liberos, præſertim autem prauos eſſe à Deo, tacitâ, vt dixi, illâ voce *proximè, immediatè, & identificè*, producunt aduersùm me Theologos Scholaſticos, ſacróſque interpretes necnon etiam philoſophos abſque numero, nimirum quotquot docuerunt actiones noſtras omnes, & quamlibet etiam creaturam eſſe à Deo; ſiue dixerint eas eſſe à Deo proximè, immediatè, atque identificè concurrente, ſiue ſolùm dixerint abſolutè & ſimpliciter eas eſſe à Deo, non determinando eſſéntne ab eo per Concurſum proximum, & identificatum; an verò per Concurſum duntaxat remotum, mediatum, atque ab operatione creaturæ condiſtinctum; cùm tamen maxima Doctorum illorum pars idem ipſum hac in parte docuerit quod nos etiam profitemur; ſcilicet, actus noſtros, tametſi prauos, quatenus actus reales, & poſitiua entia ſunt, eſſe à Deo, non quidem immediatè, & proximè, ſed aliquo tali modo qui ſufficiat vt ipſe dicatur eſſe cauſa illorum prima, vniuerſalis, atque vt loquunrur Sancti, primordialiſſima.

Hanc dico aduerſariorum verſutiam detegendam eſſe, ad eam falſam perſuaſionem ex animis lectorum auellendam, ſi qui fortè eâ imbuti fuerint, quòd ſententia noſtra contra torrenrem Doctorum non modò recentiorum, ſed etiam antiquorum nitatur, quod vbi à me confectum fuerit, perſpicuè oſtendam eam non

modò

modò non eſſe omni præſidio auctoritatis deſtitutam, quemadmodum falsò illi obiiciunt, ſed potius in ſacra præſertim Minorum familia, iam inde à principio Ordinis fuiſſe ſolemnem.

II. Notandum eſt igitur ſententiam quam impugnamus docere, ac prætendere; omnem prorſus operationem creaturæ non modò honeſtam, aut indifferentem, ſed etiam turpem, & illicitam, produci à Deo nobiſcum eam operante proximè, immediatè, & identificè, iiſdémque rationibus, & nullis ferè aliis vti ſolere ad probandum eum ſic concurrere ad actus bonos, quibus vtitur ad probandum eum ſic concurrere ad malos: Ex quo ſequitur grauiſſimos illos Theologos, qui docuerunt Deum non cooperari proximè, immediatè, & identificè ad actus prauos, eo ipſo cenſendos eſſe docuiſſe eum non ſic cooperari ad omnem actum, quandoquidem actus prauus, aliquis actus eſt, niſi fortè velimus illis obiicere, eos omnes hac in parte valde inconſequenter eſſe locutos.

III. Notandum ſecundò, eos qui olim docuerunt actionem peccati, etiam quatenus actio illa eſt ens reale, & poſitiuum non eſſe à Deo, in duplici fuiſſe differentia, neque omnes propoſitionem iſtam in eodem ſenſu accepiſſe: Quidam enim id dicebant, quia vel erant in hæreſi Manichæorum ponentium plura prima principia, vnum bonum, & alterum malum; & negantium Deum eſſe primum agens omnium; vel eorum opinio duplici illi errori erat propinquiſſima, prout capit. 2. oſtendimus ex Sancto Thoma in 2. diſtinct. 37. quæſtione 2. articulo 2. qui etiam addidit eam in illo ſenſu acceptam, ſuo tempore nullius eſſe, aut certè valde paucorum.

Alij verò iiſdem ſanè verbis, ſed non eodem ſenſu dixerunt, actum peccati, etiam quatenus actus eſt, non eſſe à Deo; de quibus Bonauentura in 2. diſt. 37. pronuntiauit, eorum ſententiam eſſe valde rationabilem, & magnorum virorum: & Magiſter Sentent. ibidem non eſt auſus definire, eſſétne propoſitio illa vera, vel falſa; Ex quo ſequitur eam ab iſtis Auctoribus acceptam & intellectam fuiſſe in aliquo ſenſu Catholico, & Orthodoxo; non autem in priore illo quem diximus ex S. Thoma eſſe propinquum errori Manichæorum, & ferè ab omnibus eſſe deſertum; Neque enim Doctor Seraphicus dixiſſet opinionem hæreticam eſſe valdè rationabilem,

nabilem,& magnorum virorum; nec Magiſter Sentent.trepidaſſet timore vbi non erat timor: Atque in eo ſanè ſenſu B. Auguſtinus locis ſupra capite 2. citatis aſſeruit actum peccati, & motum quo auertimur à ſummo bono non eſſe à Deo,& ad Deum nõ pertinere;quibus profectò verbis ſignificare voluit Deũ nõ operari propriè & per ſe actũ peccati,ſed ſolùm impropriè,& per aliud:ſcilicet mediãte libero arbitrio ſeu per liberũ hominis arbitriũ,quod eſt,Deũ operari dũtaxat actum prauũ remotè,ac mediatè,& aliquo tali modo qui ſufficiat vt Deus dicatur primũ principium, & cauſa prima, vniuerſalis, & primordialiſſima omnium aliorum entium, abſque eo tamen quòd actio peccaminoſa tribuatur ei tanquam coëffectori per ſe ac propriè.

Veruntamen;quamuis hæc ſententia vera ſit in eo ſenſu quem B.Auguſtinus cum aliis multis intendebat; tamen ipſa phraſis, & loquendi modus, iam ante tempora Beatorum Thomæ & Bonauenturæ diſplicere cœpit, eo quòd affinis eſſet modo loquendi Manichæorum, aut eorum qui erroribus Manichæorum propinquabant;propter quod vſu recepta fuit conſuetudo, vt Theologi cum diſtinctione dicerent,actionem peccati, inquantùm actio eſt, & ſubſtratum ac fundamentum malitiæ, eſſe à Deo, & reduci debere in Deum velut in cauſam primam,malitiam verò & deformitatem actus nullo modo tribui poſſe Deo,niſi tanquam cauſæ permiſſiuæ; eámque ob cauſam Albertus magnus in 2. diſt. 35. art. 7. dixit modum illum loquendi ſeu propoſitionem ferè ceſſiſſe ab aula, & à multis modernorum reputari hæreticam; ſcilicet, quâ abſolutè,& ſine diſtinctione actionis phyſicæ à deformitate & malitia,dicebatur actionem illam non eſſe à Deo.

Verum; quia Theologi dicentes actionem peccati eſſe à Deo, non ſatis diſtinctè explicabant, An eſſet ab illo tanquam à cauſa remota,& mediata, An verò tanquam à cauſa immediata, & proxima:Poſteriores illud idem paulò diligentius inueſtigare cœperunt, quâ in re magna adhuc fuit verborum æquiuocatio, & ambiguitas, ob diuerſas acceptiones vocis *immediata*; nimirum, quia cauſa dici poteſt *immediata* duplici ſenſu, vel enim dicitur *immediata* ad eum modum quo prima principia in demonſtrationibus appellari ſolent *immediata*; quia ſicut ea fidem non ſumunt,

nec

Digitized by Google

nec demonſtrantur per alia priora principia; ita prima cauſa quæ eſt Deus, virtutem agendi non accipit ab alia priore, & ſuperiore cauſa, inter quam, & effectum ipſe ſit veluti cauſa media; ſed potiùs virtutem agendi communicat omnibus cauſis inferioribus; Vel alio modo cauſa dicitur *immediata*; quæ eſt effectui & actioni proxima, & quæ non per aliud, ſeu mediante alio agente operatur, ſed ipſa proximè, propriè, ac per ſe operatur; ſiue acceperit virtutem agendi ab alio, ſiue non acceperit; & ſiue aliam concauſam ſimul operantem eundem actum habeat, ſiue non habeat; & hoc vtroque *immediationis* modo, ac ſenſu, Deus eſt cauſa immediata reſpectu cœlorum, Angelorum, animarum noſtrarum, materię primæ, & aliorum effectuum, quos ipſe proximè, & immediatè producit per virtutem agendi indepēdentem, atque ſupremam; reſpectu verò plurimorum effectuum aliorum, præſertim autem actionis prauæ, non dicebatur cauſa immediata hoc ſecundo immediationis genere, quod ſignificat cauſam proximam; ſed ſolùm in priore illo ſenſu quo ſignificatur cauſa prima, & primordialiſſima, non accipiens virtutem operandi ab alia; ſed potiùs communicans illam omnibus, à qua omnes incipiunt, & ipſa à nulla.

Atque hinc ſanè factum eſt, vt multi Auctores exiſtimati fuerint dixiſſe, Deum eſſe cauſam immediatam actionis prauæ iuxta ſecundum ſenſum, qui tamen haud dubiè dictum illud intellexerunt tantummodò iuxta primum; eámque ob cauſam Theologi poſteriores remotâ omni ambiguitate, & æquiuocatione verborum clariùs adhuc diſputarunt; Vtrùm actio peccati, inquantùm actio realis, phyſica, & poſitiua eſt, ſit à Deo immediatè, eo ſenſu quo cauſa *immediata* dicitur cauſa *proxima, per ſe, ac propria*, qua in re Theologi fuerunt, hodiéque etiamnum ſunt inter ſe valdè diuiſi; aliis aſſerentibus Deum eſſe cauſam proximam, & immediatam actionis peccaminoſæ; aliis autem negantibus.

Hinc igitur facilè erit aduerſariorum deceptionem; ſi non etiam dolum, aduertere; dum contra ſententiam noſtram promiſcuè cumulant teſtimonia, non modò Auctorum qui ſecùs quàm nos hac in parte opinati ſunt (quos non diffiteor ex recentioribus eſſe non paucos) ſed etiam eorum qui ita dicunt actum peccati eſſe à Deo, vt tamen indicent Concurſum Dei remotum, mediatum, & ab IV.

actione creaturæ diſtinctum, potiùs quàm immediatum, proximum, & à Concurſu creaturæ indiſtinctum, quos ſanè veriùs multò pro nobis, quemadmodum æquitas poſtulat, adducturi ſumus, cùm fateamur omninò, ſicut & illi, quemlibet actum noſtrum, tametſi prauum, reduci poſſe, ac debere in Deum tanquam in cauſam primam, remotam, & vniuerſalem, non quidem ipſius malitiæ, & defectus; ſed actionis.

V. Atque vt in præſenti capite recenſeamus eos quos pro ſententia noſtra ex vno Minorum Ordine in promptu habuimus. Alexander Alenſis nuncupatus ſuo tempore Doctor irrefragabilis, & Magiſter BB. Bonauenturæ, & Thomæ, negauit influxum illum proximum, & immediatum ad actus prauos, ſolúmque admiſit remotum, ac mediatum, prout illum refert citátque Pater Mendoza diſputatione 10. phyſicæ: Iſte auctor 1. parte quæſt. 35. memb. 2. vbi inquirit, *An Deus ſit cauſa vniuerſalis omnium quæ fiunt?* Reſpondet; *Non eſt concedendum quòd nihil fit quod non egrediatur de aula Summi Imperatoris, quia ex hoc ſequeretur quòd malum egrederetur de aula, quod eſſet dicere, quòd malum culpæ haberet exemplar in Deo, & quòd Deus eſſet eius cauſa, ſed ſecundùm Auguſtinum, dicendum quòd nihil fit quod non de intelligibili aula, aut iubeatur quantùm ad bona, aut permittatur quantùm ad mala.*

Et ne quis exiſtimet eum aſſerere abſolutè actum peccati nullo modo eſſe à Deo tanquam à cauſa: Idem 2. parte quæſt. 94. mēb. 3. art. 6. qui eſt, *An actio mala, inquantùm mala, à Deo ſit*: propoſitis argumentis in vtramque partem: *Reſpondeo dicendum*, inquit, *quòd mala actio, ſecundùm quòd actio, eſt à Deo; ſed non ſecundùm quòd mala; Nam mala actio ſecundùm quòd mala, eſt à voluntate mala; dicendo autem voluntatem malam, duo dico; ſcilicet, ipſam voluntatem qui eſt motus potentiæ, & defectum ipſius qui eſt malitia; voluntas ergo ratione potentiæ reducitur in cauſam primam; quod autem ibi dico malum, ſiſtit in ipſa, ſecundùm quòd eſt deficiens, & non vlteriùs procedit; hoc enim non habet à Deo, ſed quia ex nihilo, & ideò vertibilis ad malum; & ideò, licèt voluntas ſit à Deo, & malum à voluntate, non tamen malum à Deo; non enim eſt à voluntate ſecundùm quòd ad Deum refertur: ſimiliter etiam dicendum eſt de actione; Nam inquantùm actio, procedit à voluntate ſecundùm quòd eſt potentia à Deo; ſed inquantùm mala, procedit à potentia, vt deficiens eſt.*

Rurſúmque

Rurſúmque idem Auctor ibidem clarè oſtendit ſe intelligere, quòd actio mala ſecundùm quòd actio eſt, reducenda ſit in Deum tanquam in cauſam remotam ac mediatam; eo quòd ſcilicet dederit virtutem agendi: Primò enim dicit, *coniunctionem, ſiue continuationem, & influentiam; id eſt, dependentiam, & conſeruationem potentiæ quantùm ad eſſe inducere actionem, procedit autem malitia*, inquit, *à potentia, inquantùm ipſa ſe deuiat, & diſcontinuat quantùm ad effectum à ſummo bono:* Tum deinde ad ſecundum; docet Deum non adiuuare liberum arbitrium in malo; *adiuuat enim ipſum*, inquit, *tãtùm quantùm ad actionem, ſed non quantùm ad malitiam; dat enim potentiam ad actionem inquantùm actio nominat naturam, ſiue quid bonum; ſed non dat potentiam ipſi voluntati, ſeu libero arbitrio ad malum, vel defectum: quia illud non eſt poſſe, imò non poſſe; non enim hoc habet potentia à Deo quòd deficiat; ſed à ſe, quia de nihilo*: Et pòſt pauca, *Non ergo adiuuat Deus liberum arbitrium in malo; ſed adiuuat ipſum in actionem in qua eſt malum; quia dat potentia ſiue libero arbitrio quòd poſſit operari, ſed non quòd poſſit malè operari.*

Rurſúmque idem 2. parte quæſt. 100. docens quomodo Deus adiuuet liberum arbitrium ad malas actiones, *Adiuuat ipſum*, inquit, *ad actionem in qua eſt malum; quia dat potentia, ſiue libero arbitrio quòd poſſit operari*: hæc ille. Ex quibus patet Alenſem idem omninò hac in re docuiſſe, quod ſuprà docuiſſe aſſerimus S. Anſelmum dum dixit, in lib. de Concordia prædeſtinationis & præſcientiæ cum libero arbitrio: *Facit Deus omnes actiones, & omnes motus, quia ipſe facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam poteſtatem volendi, aut faciendi niſi illo dante; ipſum quoque velle, quod aliquando iuſtum eſt, aliquando iniuſtum, à Deo eſt; non eſſe verò rectum, non eſt quid, nec à Deo eſt:* quibus verbis apertè ſignificatur Concurſus ad actum peccati remotus, & mediatus, potiùs quàm proximus, immediatus, & ſimultaneus.

VI. Seraphicus Doctor B. Bonauentura in 2. diſt. 37. art. 1. quæſt. 1. *Vtrùm omnis actio, ſecundùm quòd actio, ſit à Deo: Reſpondeo dicendum*, inquit, *quòd ſicut Magiſter dicit in litera, circa iſtam quæſtionem fuerunt diuerſæ poſitiones adeò magnorum virorum, & adeò rationabiles; vt nec Magiſter auſus fuerit definire quænam earum magis contineat veritatem*: & quamuis Sanctus Doctor ibidem addat: *Attamen quia per multam diſcuſſionem dubia ducuntur ad manifeſtationem; nunc communiter tenetur*

*quòd illa opinio verior ſit, quæ dicit quòd omnis actio, ſiue ſubſtrata peccato, ſiue non, ſecundùm id quod eſt actio, eſt à Deo; nec immeritò, quia illud oportet ponere, ſi penſetur eminentia Diuinæ potentiæ, & indigentia potentiæ creatæ; quia enim Deus eſt cauſa primordialiſſima, ideò eſt i fluentiæ maximæ in cauſas ſecundas; & adeò magnæ influentiæ, vt nec modicum, ſeu quantumcunque parum, (dum tamen aliquo modo ſit ens) procedat ab aliqua cauſa creata niſi cooperante Diuinâ potentiâ: Omnis etiam potentia creata, quãtùm eſt de ſe, defectiua eſt; nec eſt purè actiua: Ergo quantumcunque faciat modicam operationem, neceſſe habet adiuuari ab ea potentia quæ eſt actus purus propter omnimodam impermiſtionem cum materia; & quæ ſola ſibi ſufficit, nullo modo indigens adiuuari à cauſa alia; & ideò hæc poſitio quæ dicit omnem actionem eſſe à Deo, ſecundùm quòd actio eſt, abſque omni ambiguitate tenenda eſt*: tamen in his eius verbis duo mihi videntur obſeruanda: Primum eſt, ſententiam quam B. Bonauentura hìc reprehendit, non eſſe illam quam nos in præſente opuſculo ſequimur; ſcilicet, quòd actus praui eâ ſolùm ratione tribuendi ſint Deo, quòd ipſe ad eos concurrat mediante voluntate creatâ; ſed vel illam eandem de qua S. Thomas ſuprà citatus in 2. diſt. 37. dicebat quòd nulli, aut pauci tunc illam auderent ſequi; eo quòd eſſet duplici errori propinquiſſima; ſcilicet quia inde ſequebatur duo eſſe prima principia, vnum bonum, & alterum malũ; & Deum non eſſe primum agens omnium; vel potiùs eam quâ abſolutè, & ſine diſtinctione actionis phyſicæ à deformitate & malitia, dicebatur actionem illam non eſſe à Deo; Iſta autem quam nos amplectimur, neque ad duplicem illum errorem, aut alium vllum accedit, quin potiùs hoc habet vtilitatis, quòd longiſſimè recedit à duobus pernicioſiſſimis hęreticorum huius tempeſtatis erroribus, qui dum humanam libertatem negant, & Deum impellentem nos in peccata confingunt; nullum aliud in ſpeciem probabilius erroris ſui, ac blaſphemiæ fundamentum adferunt; quàm ſententiam aſſerentem Concurſum Dei proximum, & identificatum ad quãlibet actionem noſtram indiſpenſabiliter eſſe neceſſarium, quemadmodum & nos infrà iterum dicturi ſumus: Neque eadem ſententia noſtra negat actum prauum, ſecundùm quòd actio poſitiua, & realis eſt, eſſe à Deo tanquam à cauſa vniuerſali, & primordialiſſima; ſed ſolùm negat eum eſſe à Deo tanquam à cauſa proxima, &

Digitized by Google

ma, & immediata, propria & per ſe, quemadmodum Concilium Tridentinum definiuit, eámque diſtinctionem actionis, prout ea ens poſitiuum eſt, à malitia & deformitate, admittimus omnino, & veneramur.

Alterum quod in ſententia B. Bonauenturæ obſeruatum cupimus, eſt; quòd cùm ipſe dicat actionem peccati eſſe à Deo, ibi non explicat an ſit ab illo per Concurſum proximum, identificatum, & immediatum, de quo tamen hîc præcipuè quærimus: imò ſi rationes, & auctoritates quas ibi pro ſe adducit attentè conſiderentur; potiùs probant Concurſum mediatum, ac diſtinctum; qui tamen ſufficiat ad hoc vt illa actio dicatur eſſe à Deo tanquam à prima, vniuerſali, atque, vt ipſe loquitur, primordiali cauſa adiuuante cauſas creatas, virtutémque ad operandum perpetuò illis ſuppeditante, & influente; vtitur enim auctoritate B. Anſelmi in libro de concordia prædeſtinationis, & præſcientiæ, cuius verba iterum conſultò adducimus: *Omnes actiones & omnes motus facit Deus, quia ipſe facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam potentiam volendi aut faciendi, niſi illo dante: ipſum quoque velle, quod aliquando iuſtum eſt, aliquando iniuſtum, à Deo eſt:* Ecce qualiter B. Bonauentura ſecutus Anſelmū; docet actionem malā, imò & omnes ac ſingulas creaturarum actiones & motus, eſſe à Deo; quia ipſe eſt maximæ influentiæ in cauſas ſecundas, quas ad quidlibet operandum adiuuat, conferens illis conſeruánſque potentiam ſeu virtutem volendi, & faciendi; non autem quòd ipſe immediato, proximo, & indiſtincto influxu concurrat ad earum actiones, ad eum prorſus modum quo B. Auguſtinus vbi ſuprà dicebat, *Deum facere vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati:* & Alenſis *Deum adiuuare nos ad actionem in qua eſt malum, quatenus dat potentiæ ſeu libero arbitrio quòd poſſit operari.*

Vnde patet quàm immeritò nonnulli B. Bonauenturam contra nos produxerint; quòd ſi quis eorum obiiceret eum ſequente articulo dixiſſe Deum eſſe cauſam immediatè conſeruantem quodlibet ens poſitiuum, atque adeò quamlibet actionem creaturæ.

Reſpondemus; Seraphicum Doctorem ibi per *cauſam immediatam* intellexiſſe cauſam primam, & independentem quæ non accipit virtutem operandi ab alia ſuperiore, & priore cauſa; ad eum



Digitized by Google

modum quo ſuprà ex B. Thoma, & aliis diximus prima principiá in demonſtrationibus vocari *immediata*; quia non ſumunt fidem ab aliis, nec probantur per alia priora; niſi fortè etiam conſentire velimus iis qui aſſerunt eam particulam (*immediatè*) non haberi in textu B. Bonauenturæ; ſed à quibuſdam eius diſcipulis fuiſſe poſtea adhibitam cùm non haberetur in antiquis Codicibus: vel dic, per immediatam illam cauſalitatem Seraphicum Doctorem intellexiſſe voluntatem immediatam quá de vnaquaque creatura ſtatuit vt ſit, aut vt eſſe permittatur, præſertim cùm multi exiſtiment ex mente S. Bonauenturę Concurſum Dei eſſe ipſammet eius volitionem internam: ex quo euidenter ſequitur eum à Concurſu Diuino identificato cum actu creaturæ omnino fuiſſe ſemper alieniſſimum.

VII. Paulò poſt tempora Doctoris Seraphici, fateor Scotum in eo ſcripto ſuper ſententias quod communiter appellant Reportata, dum præſentem tractaret quæſtionem in 2. diſt. 37. fuiſſe problematicum ac docuiſſe ſententiam illam videri ſibi probabilem, quæ exiſtimat Deum non concurrere immediatè, ſed duntaxat remotè & mediatè ad actus voluntatis humanæ, præſertim prauos; & ordinem ſeu quod idem eſt, ſubordinationem eſſentialem cauſæ ſecundæ ad primam æquè ſaluari & explicari; ſiue Deus dicatur immediatè concurrere ad volitiones noſtras; ſiue dicatur concurrere tantùm mediatè; propter quod Tartaretus eximius Scotiſta in 2. diſt. 37. dixit Scotum in re iſta fuiſſe problematicum: Nihilominus tamen, ſi rationes diligenter expendantur, quibus Doctor ſubtilis vſus eſt in vtroque ſcripto ſuper ſententias dum præſentem verſaret materiam; facile apparebit quas ipſe attulit pro Concurſu immediato, proximo, & indiſtincto, non admodum magni eſſe momenti; prout etiam nobiles Scotiſtæ non diffitentur; ſunt autem iſtæ, nimirum quia, inquit, ſequeretur Deum non eſſe omnipotentem, neque præſcium futurorum, & aliæ huiuſmodi, quas nos quidem inferiùs propoſitas facillimè diluemus, econtrà verò apparebit ſolutionem aliquarum rationum ex illis quas ipſe adfert pro Concurſu remoto, ac mediato eſſe difficillimam, aut etiam impoſſibilem; vt eſſet indicio, Doctorem ſubtilem, quem latere non poterat quantùm roboris ſoliditatíſque in vnoquoque ſuo argumento, &

Digitized by Google

to,& ratione contineretur,propenſiùs inclinaſſe in ſententiam noſtram,quàm in oppoſitam;quod ipſum ſufficere poteſt ac debet,vt dicamus opinationem quæ viſa eſt Scoto probabilis, & quam ipſe non obiter, ſed ex profeſſo quæſtionem examinans validiſſimis rationibus communiuit;ab omni vel leuiſſima erroris,temeritatiſque ſuſpicione eſſe libertimam;eámque fortaſſe ob cauſam factum eſt, vt hæc noſtra ſententia deinceps in Sacro Minorum Ordine iam inde ab illis temporibus ſatis communis, ac ſolemnis habita fuerit;quemadmodum oſtenſuri ſumus ex Aureolo, Nicolao Boneto, Scotello, Pelbarto, Palanterio, Sarnano, Bocherio, & aliis.

VIII. Petrus Aureolus S.R.Eccleſiæ Cardinalis ex Ordine Minorum aſſumptus,ante trecentos annos idem expreſsè docuit in 2.diſt.37. quæſt.vnica art.1.cuius titulus eſt, *vtrum actus malus ſit à Deo*, vbi præmittit duas eſſe circa hoc dubium opiniones ſolemnes,quarum vna eſt hæc noſtra, quam ipſe diſertis verbis pronuntiat videri ſibi magis rationabilem:*Neque ego video*, inquit, *quod dicunt*, ſcilicet aduerſarij, *Omnis actus eſt à Deo,dato quod ſit poſitiuus, niſi fortè conſeruando potentiam quæ elicit, & naturam actus elicitiuam; & ita dico quòd Deus non agit immediatè in actum voluntatis deformem per peccatum, nec oportet quòd agat immediatè in omnem creaturam*; quam propoſitionem fusè probat firmiſſimis rationibus & argumentis, quæ nos inferiùs ſuo loco adducturi ſumus, ſolùm enim pro nunc tria animaduertere te velim,benigne Lector.

Primum eſt, Cardinalem Aureolum non fuiſſe in ſententia iſta vnicum, aut ſingularem; quandoquidem ipſe dicit eam ſuo tempore fuiſſe ſolemnem, quod ipſum etiam fatetur Gregorius Ariminenſis in 2.diſt. 37.

Alterum eſt,hanc nouam editionem, quâ ego vtor,Commentariorum Cardinalis Aureoli Romæ impreſſam fuiſſe anno 1605. curâ & ſumptibus eruditiſſimi Cardinalis Sarnani eiuſdem Ordinis Minorum Sancti Franciſci,& Clementi VIII Papæ dedicatam,necnon à Petro Capullio Theologiæ profeſſore, & Epiſcopo Conuerſano reuiſam,& iudicatam quòd tutò,& cum fructu in lucem prodire poſſet; quæ omnia mihi videntur non parum commendare doctrinam in ea editione contentam; neque enim facilè paſſurus fuiſſet

fuiſſet eruditus iſte Cardinalis, vt noua illa editio Commentariorum alterius celebratiſſimi Cardinalis ex eodem Franciſcanorum Ordine aſſumpti, quem ſummâ veneratione, & amore colebat, erroneam aut temerariam doctrinam contineret, quam, ſi talis fuiſſet, pro ſumma ſua eruditione facile Sarnanus deprehendere, deprehenſámque nullo negotio expungere, & corrigere potuiſſet, (quemadmodum alios ſanè multos feciſſe nouimus in nouis editionibus Auctorum quos ſpeciali honore proſecuti ſunt) quod tamen tantùm abeſt vt Sarnanus hîc fecerit, vt potiùs idem ipſe ſecundo libro ſummæ ſuæ Theologiæ eandem anteceſſoris ſui Aureoli ſententiam amplexus, doceat ideo Deum non eſſe cauſam effectiuam, ſed ſolùm permiſſiuam peccati, *quia*, inquit, *defectus qui comitatur aliquam actionem non tribuitur cauſæ remotæ talis actus, ſed tantùm cauſa proxima, & immediatæ, Deus autem non eſt cauſa proxima, & immediata actus praui.*

Addam ego nunc & tertium, videlicet quendam Theologum libro quem ex parte aduerſus hunc tractatum meum biennio antequàm de eo publicando cogitaſſem, edidit, præter cætera falsò mihi attribuiſſe, quòd ego in eo dixerim Cardinalem Aureolum dicaſſe opus ſuum Clementi VIII. Papæ, propter quod ipſe ſubſannat me, & conatur confundere turpiter valde, cùm tamen meritò credere debuiſſet, eos qui hæc ſcripta mea aut eorum partem me prorſus inuito (quod ille non ignorabat) cum tanta iniuria mea ad eum tranſmiſerant, & qui eidem curam commiſerant opuſculi mei priuſquàm imprimeretur, refellendi, non ex fide ea deſcripſiſſe, ſed aliqua de ſuo, vel addidiſſe, vel detraxiſſe, aut immutaſſe, prout contingere ſolet iis qui inſcio, ac minimè conſentiente auctore clàm, feſtinantérque abbreuiare interdum volentes aliena deſcribunt, præſertim ſi ex zelo, & contentione, ac maleuolo animo id faciant: vix enim ego in animum inducam meum, quòd ipſe de induſtria prudens, ac volens hunc tam ineptum craſſúmque errorem, & alia cætera mihi affinxerit, quæ reperi in illo libro falsò mihi fuiſſe attributa, cùm nimis turpe & illiberale ſit Doctorem Catholicum non ex fide citare auctores, & ſibimetipſi Aduerſarios confingere, eiſdémque errores falsò imponere quos perſequatur gratis, ac deinde hanc adeò abiectam humilitatem, & obmuteſcentiam

tiam

tiam ab illis exigere, ac ſperare, vt non audeãt dicere cur me cædis?

Petrus de Aquila cognomento Scotellus eiuſdem Sacri Ordi- IX.
nis Minorum S. Franciſci, in 2. diſtinct. 34. q. 1. *An peccatum ſit à bono, vt à cauſa*: Reſpondet præmiſſis variis dicendi modis: *Quartus modus dicendi eſt*, inquit, *quòd peccatum habet pro cauſa bonum creatum, ſcilicet voluntatem, quæ eſt totalis, & immediata cauſa ſuæ volitionis, ſiue bonæ, ſiue malæ, & Deus reſpectu illius non habet aliquam efficientiam immediatam; tum quia aliter voluntas ipſa non eſſet libera, quia non eſſet in eius poteſtate actus; tum quia voluntas nihil contingenter cauſaret, ex eo quòd haberet neceſſariam habitudinem ad primam cauſam reſpectu effectus; tum quia voluntas non poſſet peccare; quia cùm Deus ſit prior cauſa, in primo ſigno naturæ cauſaret rectitudinem in actu; Tum quia Auguſtinus dicit lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 7. quòd Deus ſic adminiſtrat res quas condidit, vt eas agere proprios motus ſinat; Tum quia Commentator dicit 7. Metaph. Comment. 7. quòd ſi entia non habent proprias actiones, non habebunt proprias eſſentias.*

Et quia contra quartum illum dicendi modum arguitur; quia fundamentum reputatur falſum; tum quia Deus non eſſet cauſa meriti, ſicut nec peccati; tum quia deſtruit ordinem cauſarum, ſiquidem ex prima propoſitione de cauſis, *cauſa prima influit plus in cauſatum, quàm ſecunda*; tum quia ſi Deus non haberet efficaciam ſuper velle, non eſſet præſcius futurorum; tum etiam quia non eſſet omnipotens: Reſpondet idem Scotellus, *Iſta duo vltima argumenta non concludunt & ſoluuntur libro primo. Similiter primum non valet, quia Deus eſt cauſa meriti aliquo alio modo quo modo non eſt cauſa peccati, quia immediatè cauſat in anima gratiam vel charitatem quæ inclinat ad merendum: Secundum etiam non valet nec concludit; Eſt enim ordo eſſentialiter inter cauſas in eſſe, quia prima cauſat ſecundam. Quidquid autem ſit de iſta opinione, datur quintus modus dicendi*, &c. Hæc ille, & diſtinct. 37. eiuſdem libri 2. ſententiarum, cùm idem Scotellus retuliſſet argumenta quibus Aureolus probat Deum fore cauſam deformitatis quæ eſt in peccato, ſi produceret immediate, & proximè actum realem cui malitia inſeparabiliter annectitur; remittens ſe ad ea quæ dixerat diſt. 34. loco citato Reſpondet; *ideo forte opinio quarta in 2. art. diſt. 34. eſt verior*; nimirum illa quæ negat Deo efficientiam, & cauſalitatem immediatam in actum prauum.

X. Pelbartus eiuſdem Seraphici Ordinis Doctor eximius tomo 2. Roſarij. Verbo malum, §.7. ad obiectionem Aureoli quæ ſic habet: Si Deus ageret actum ſubſtratum deformitati, neceſſariò etiam ageret deformitatem actus; quia quando aliqua ſic ſe habent, quòd impoſſibile eſt illa abinuicem ſeparari; tunc quod agit in vnum, agit & in reliquum: ſed ſic ſe habet deformitas ad ſubſtratũ actus praui: Ergo, &c. Minor patet in odio Dei; vbi ad actum neceſſariò ſequitur deformitas: Reſpondet: *Ideò poteſt dici quod de ſubſtrato actu odij Dei, cùm ſit per ſe, & ſecundùm ſe malum odiſſe Deum, non habeat locum prædicta poſitio, (nimirum quâ dicitur Deum immediatè agere quemlibet actum noſtrum) ſed benè in aliis quæ non ſunt ſecundùm ſe mala; vel aliter poteſt dici; quòd quamuis in odio Dei non poſſit ſeparari actus ſubſtratus à deformitate realiter, tamen actus in genere actus, & deformitas inquantùm deformitas, diſtinguntur per rationes formales, & ſecundùm hoc ſeparatim intelliguntur; maximè cùm actus ſit quid poſitiuum, & deformitas quid priuatiuum; vel ſaltem permiſſiuè huiuſmodi à Deo ſunt.* hæc ille; ex quibus patet probabilem ipſi fuiſſe ſententiam quæ negat Deũ cõcurrere proximè, & immediatè ad actus intrinſecè prauos, cuiuſmodi eſt odium Dei; quod ſatis eſt vt inferamus ſententiam affirmantem Concurſum illum Dei proximum vniuersè ad ſingulos actus noſtros eſſe falſam.

XI. Nicolaus Bonetus eiuſdem familiæ Seraphicę egregium decus, doctrinæ reſolutiſſimæ, & perſpicaciſſimi vir ingenij, quem Ioannes Picus Mirandulanus miris præconiis extollebat, affirmãs eum eſſe exquiſitiſſimę literaturæ, ſibíque omni ex parte cõſentaneum: Is lib. 7. Theologiæ naturalis cap. 3. quod eſt de Concurſu primi motoris cum cauſis ſubcœleſtibus, paulò poſt medium; poſteaquàm docuit Deum habere certam notitiam futurorum, & poſſe ſuſpendere actum cauſarum ſecundarum, addit: *Sed cùm dicis vltrà; Ergo eſt cauſa effectiua omnium: Reſpondeo; non oportet quòd ſit cauſa immediata, ſed ſufficit quòd ſit cauſa mediata, dando entitatem illis cauſis ſecundis.*

Rurſúmque paulò pòſt, *& ſi quæras quæ propoſitio ſit magis probabilis, vel quòd cauſa prima concurrat, vel quòd non: Reſponſio negatiua poteſt probabiliter teneri; Ad cuius euidentiam debes aduertere, quòd ſicut in nobis voluntas noſtra determinat potentias inferiores ad ſuos actus, nec tamen concurrit*

*concurrit cum eis ad cauſandum effectus earum, ſed propter ordinem potentiarum motâ primâ conſequenter mouentur & aliæ, nullo alio producto in ipſis; & ſicut voluntas noſtra poteſt ſuſpendere actus aliarum potentiarum inferiorum; ita etiam primus motor poteſt determinare cauſam ſecundam ad agendum, vel non agendum, quod eſt ponere effectum eius in eſſe volito, vel in eſſe nolito; non tamen immediatè eum producendo.*

Rurſúmque idem Auctor; *At verò ſi quæras, An cauſa prima ſit productiua effectus difformis, & moraliter vitioſi: Dicendum eſt conſequenter ad prædicta; Nam illi qui ponunt neceſſitatem Concurſus primæ cauſæ cum ſecundis, difficulter poſſunt euadere, quin ſit cauſa cuiuſcunque effectus moralis, cùm ſit cauſa ſubſtrati, & entitatis poſitiuæ ipſius actus defectuoſi, ad quem ſequitur neceſſariò difformitas actus moralis; quoniam quicquid eſt cauſa antecedentis, eſt cauſa conſequentis; iſta autem difformitas eſt conſequens ad ſubſtantiam actus: Palàm etiam illi qui ponunt Deum eſſe cauſam determinatiuam iſtius actus, tametſi non effectiuam; quia ſi cauſa ſecunda ſequitur determinationem cauſæ primæ; talis effectus non videtur imputabilis voluntati ex quo conformat ſe determinationi cauſæ primæ. Aliter ergo dicendum eſt.* hæc ille, hoc eſt, Dicendum ergo contrarium; ſcilicet quòd non concurrat vtique proximè & immediatè de quo erat dubium, ſed ſolùm remotè, ac mediatè.

Iſte Auctor quatuor præcipua opuſcula edidit, metaphyſicam, naturalem philoſophiam, prædicamenta, & Theologiam naturalem; impreſſa Venetiis circa annum 1503. poſteaquàm ſatis diu in tenebris iacuerant, prout habetur pagina 2.

Ioannes Paulus Palanterius eiuſdem Ordinis Minorum, inclyti Patauini ſtudij lector præſtantiſſimus, in 2.diſt. 37. lectione 144. docet Deum non eſſe cauſam actionis peccaminoſæ, niſi ſolùm remotam, ac mediatam; ſcilicet, mediante libero arbitrio; ſuámque circa hoc ſententiam tribus clariſſimis aſſertionibus comprehendit; quarum prima eſt, quòd Deus ſit cauſa vniuerſalis, & prima actionis peccati: ſecunda, quòd non ſit eiuſdem actionis cauſa proxima & immediata: tertia, quòd ex hoc peccati culpa Deo imputari non debeat; quibus poſitis ſoluit argumenta in contrarium, prout videre licet apud Auctorem. XII.

Satnanum Cardinalem diximus ſuprà, cùm de Aureolo, in eadem fuiſſe ſententia, ac docuiſſe ſecundo libro Summæ ſuæ Theo- XIII.



Digitized by Google

logiæ, ideò Deum non eſſe cauſam effectiuam, ſed ſolùm permiſſiuam peccati; *quia*, inquit, *defectus qui comitatur aliquam actionem non debet tribui cauſæ remotæ, & mediatæ talis actus; ſed duntaxat cauſæ proximæ & immediatæ; Deus autem non eſt cauſa proxima, & immediata; ſed ſolùm remota, & mediata actus praui.*

XIV. Pater Bocherius inſignis verbi diuini præco, ex eadem Minorum S. Franciſci familia, in erudito opere Gallicè ſcripto cui titulus eſt, Triumphus Chriſtianæ Religionis lib. 5. quæſt. 55. docet Deum non aliter cooperari voluntati noſtrę ad actus prauos, quàm quia tribuit illi & conſeruat exiſtentiam, & virtutem agendi.

XV. Prætereo Ioſephum Angles ſecundo Florum Theolog. alióſque grauiſſimos Theologos eiuſdem Ordinis, exiſtimantes cauſalitatem Dei reſpectu creaturarum non eſſe aliud quàm ipſam volitionem, ſeu actum practicum diuinæ voluntatis; & in eo actu interno Dei conſtituentes rationem Concurſus generalis, quem proptereà affirmarunt eſſe ex ſe indifferentem ad omnia effecta agentium creatorum, prout eos retulit Illuſtriſſimus Maſcareñas Algarbiorum Epiſcopus, & Generalis Inquiſitor in opuſculo de auxiliis diſp. 2. 1. parte num. 17. in fine; ſanè ſi grauiſſimi Theologi, cauſalitatem, ſeu quod idem eſt, Concurſum Dei dixerunt eſſe volitionem ipſam diuinam, quam omnes norunt realiſſimè eſſe diſtinctam ab operatione creaturæ, conſequens eſt, vt ſententia quæ negat Concurſum Dei generalem eſſe identificatum, & indiſtinctum ab operatione creaturæ, non ſit ab omnibus exploſa, ac deſerta, neque vt recentiores aliqui calumniantur, omni præſidio auctoritatis deſtituta, atque *in ſupremo vertice temeritatis reponenda.*

Mitto etiam nonnullos alios ex eadem familia Franciſcanorum, qui cùm non admittant influxum Dei identificatum, & indiſtinctum, contendunt tamen influxum illius immediatum & ſimultaneum omninò eſſe neceſſarium, adeò vt in productione cuiuſcunque effectus interueniant duæ actiones externæ realiter abinuicem condiſtinctæ, quarum vna à ſolo Deo, altera à ſola creatura immediatè procedat; Tametſi enim eorum ſententia mihi quidem videatur eſſe falſa, ſufficere tamen poteſt, vt dicamus ſententiam quæ negat Concurſum Dei identificatum & indiſtinctum requiri ad quamlibet actionem noſtram, non eſſe ſingularem,

rem,aut improbabilem; ſed potiùs in ſacro Minorum Ordine fuiſſe hodiéque etiamnum eſſe celebratiſſimam.

Denique mitto plurimos eiuſdem Ordinis Seraphici præſtantiſſimos Scholaſticæ Theologiæ Magiſtros, quibus cùm in variis Italiæ,aliarúmque Prouinciarum locis,vel coram, vel datis ad eos literis,quid de præſenti quæſtione ſentirem,aperuiſſem;eorúmque iudicium poſtulaſſem: Reſponderunt ſe omnino perſuaſos, & conuictos eſſe,quòd poſt definitionem Concilij Tridentini ſeſſ. 6. canone 6. contentam, nemini ampliùs liceat exiſtimare quòd Deus opera noſtra omnia operetur Concurſu proprio,& per ſe,immediato,proximo,& indiſtinctò.

## CAPVT VI.

*In quo promiſcuè cumulantur Philoſophi ac Theologi pro noſtra ſententia, Plato, Ariſtoteles, Durandus, Armacanus, Petrus Pomponacius, Raynerius de Piſis, Præpoſitiuus, & alij plures.*

QVoniam diſputatio præſens partim philoſophica,partímque Theologica eſt;Philoſophorum quoque, imprimíſque ipſius Ariſtotelis adferenda nobis erit auctoritas;quem,tametſi nonnulli ex recentioribus putant ſuffragatum eſſe Prædeterminationi phyſicæ,alij verò Concurſui immediato,& ſimultaneo,& indiſtincto; communior tamen Philoſophorum, Theologorum, priſcorúmque Patrum ſententia eſt, eum nunquam exiſtimaſſe Deum concurrere proximè, immediatè, & identificè ad omnes, & ſingulas actiones humanas; qua de re videri poteſt Leſſius de gratia cap.18.num.8.& 11.& Pennotus lib.8. cap.19. I.

Șanè ſi Ariſtoteles exiſtimauit Deum non cognoſcere futura contingentia quæ ex libera hominum voluntate pendent, cognitione certâ, & diſtinctâ; cúmque non agere in hæc inferiora niſi

Mm 3 median

mediante motu & lumine corporis cœleſtis; & agere ad extra ex neceſſitate naturæ, quemadmodum eum ſenſiſſe communiter dicitur; Impoſſibile eſt eum nihilominus exiſtimaſſe Deum influere in omnes ac ſingulas actiones humanæ voluntatis quatenus liberè, diſtinctè, & ſucceſſiuè fiunt: vel ipſam voluntatem de nouo diſtinctè & ſucceſſiuè præmouendo, & inclinando, ac prædeterminando ad hanc & ad illam actionem; vel eoſdem cum voluntate actus coëfficiendo influxu proximo, immediato, & identificato, quem eodem prorſus momento & non antè, vel poſt conferat, quo creata voluntas præuidetur operatura, nimis enim hæc omnia adinuicem diſſentiunt.

Neque verò in contrarium adferri poteſt textus quartus 2. metaphiſic. vbi dixit philoſophus, *quod eſt maximè ens, & maximè verum, eſſe cauſam omnis entis*: ex quo ſequitur vt ſit etiam cauſa cuiuſcunque actionis per quam aliquod ens producitur: neque textus 100.2. de cœlo; vbi idem affirmat, *à Deo deriuari omnibus eſſe, & viuere*, quibus in locis perſpicuè docuiſſe videtur Concurſum Dei proximum, immediatum & identificatum ad ſingulos actus noſtros.

Contra enim hoc eſt, quia ad verborum illorum veritatem abundè ſufficit Concurſus Dei remotus, ac mediatus, qualem nos admittimus ad ſingulos actus noſtros; & qui dicunt verbis illis Ariſtotelis, ſententiam quam impugnamus radiis Solis videri fuiſſe conſcriptam, ſimiles eſſe videntur illis qui ſe audire ac videre, putant, affirmantque omnia quæ imaginantur, & quæ audire vel videre deſiderant.

Ariſtoteli præluxit Plato dum 2. de legibus ſcripſit Deum cauſam eſſe bonorum duntaxat operum, nequaquam verò malorum, quia pugnaret alioqui ipſe ſecum, vtpote qui contraria ſuis legibus fieri imperaret, additque neminem in Republica eſſe permittendum qui contrarium afferat: ergo ipſe exiſtimauit Deum non producere immediatè, propriè ac per ſe omnia opera noſtra, quia mala ſunt de numero omnium.

II. Durandus inſignis Theologus, necnō Epiſcopus Eccleſiæ Anicienſis, vel vt alij volunt, Meldenſis; aut denique, vt alij referunt, vtriuſq;, ex inclyto Prædicatorū Ordine aſſumptus, cuius lectionē

Ioannes

Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis Theologis ſuadebat tanquam Doctoris reſolutiſſimi, quique ſuper ſententias puriùs, ſolidiuſq; ſcripſiſſet in ea præſertim parte Theologiæ quæ inter Scholaſticos verſatur: Is in 2. ſentent. diſt. 37. quæſt. 1. eandem quam nos amplectimur ſententiam docuit, non ſolùm *materialiter*, quemadmodum aliqui nobis obiiciunt, ſed omninò formaliſſimè, adhibitis etiam rationibus quarum plurimis etiam & nos vtimur, Ait enim expreſsè in corpore articuli: *Dicenda ſunt tria; Primum eſt quòd Deus ſit cauſa actionis peccati vniuerſalis, & prima. Secundum eſt, quòd nō eſt cauſa eius proxima, & immediata, Tertium eſt, quòd ex hoc non poteſt Deo imputari culpa.*

Similiter quoque idem ſuperius docuerat in eodem lib. diſt. 1. quæſt. 5. cui titulus eſt, *vtrum Deus agat immediatè in omni actione creaturæ*: neq; moueri poteſt hac in parte dubium de Auctoris intētione, ac ſenſu, niſi ab eo qui non legerit, aut qui latinè non intellexerit; cùm ſint omnino perſpicua concluſionum Durandi verba, & probationes illius luce meridianâ clariores.

Et quamuis iſto Auctor acriter vrgeri ſoleat cenſuris Scholaſticorum; quorum alij pronuntiant opinionem illius eſſe temerariam. Alij verò priorum imitatione, ac ſine diſcuſſione vlla, eam malè ſonantem, erroneam, aut hæreſi proximam vocāt; ſed vir Catholiciſſimus eorum iudicio ſtare non cogitur; quin potius cùm Actore non probante reum abſolui oporteat; facilè nobis fuerit oſtendere eiuſmodi cenſuras Durando minimè eſſe metuendas; & tanti viri iudicium non temerè à Scholaſticis vſurpandum; ſed Sanctæ ſedi Apoſtolicæ fuiſſe relinquendum, vbi Durandum, & Scholaſticos tam acriter eum inſectantes oportet iudicari.

Richardus Radulphus Archiepiſcopus Armacanus totius Hiberniæ Primas, in quæſtionibus Armenorum lib. 17. ferè toto. diſputauit quomodo Deus coagat creaturæ, cúmque in 1. & 2. capite dixiſſet, difficile eſſe ad explicandum quomodo non ſequatur ineuitabilitas in actibus humanis ſi Deus immediatè eos efficiat, toto ferè libro oſtendit Deum non niſi mediatè actus noſtros producere. III.

Et quidem cap. 3. *liquidè tenendum eſt*, inquit, *quod nos actum bonum volentes agimus, & Deus ſimiliter; vna tamen eſt actio vtriuſque, ſcilicet*

Digitized by Google

*ſcilicet, actus productus; qui non aliâ actione ab eo diſtinctâ producitur, ſed immediatè ipſe actus voluntatis à voluntate producitur, tanquam ab agente immediatè virtutem applicante ad opus; & eadem actio à Deo procedit prout Deus eſt aſſiſtens animæ, vel tanquam à virtute habilitante, & facilitante ipſam voluntatem, cuius virtus actiua non immediatè applicatur ad actum, ſed immediatè diſponit actiuam potentiam, ſeu facilitat.*

Et paulò poſt, *nec Deus attingit hoc modo actiones immediatè ad actum, ſeu effectum productum, ſed ad agens immediatum ipſius effectus; puta intellectum, aut voluntatem; vnde patet, quod actio Dei hoc modo agendi reſpectu actus meritorij voluntatis, non eſt alia actio quàm actio voluntatis; ſed eſt eadem, ſcilicet actus merendi, nimirum quia idem actus fit à Deo quidem mediatè, ab homine autem proximè & immediatè.*

Cap. 6. inquit, *ſi propter cooperationem Dei immediatam cum voluntate actus non ſit magis intenſus, vel fortior, illa cooperatio ad nihil eſt vtilis, ſed ad productionem ipſius actus omnino ſuperfluit, imò quia ſuperflua eſſe non poteſt, omnino nulla cooperatio talis exiſtit*, & poſt pauca concludens caput: *Ex his concluditur*, inquit, *quòd ſi Deus immediatè produceret actum meritorium coagendo voluntati, per illam cooperationem actus ille eſſet intenſior quàm ſi à voluntate ſola fieret, non ergo applicat Deus voluntatem ſuam, vel virtutem ad immediatè agendum, ſic enim diſcernimus cauſam à non cauſa, quando remotâ vnâ cauſâ, effectus nihilominus ſit æqualis.*

Cap. 22. Quærit quomodo Deus agere poſſit immediatè actus peruerſos noſtræ voluntatis; & an non ſit Actor peccati, & reprehenſibilis ſicut voluntas; & an non ſit Deus ſimiliter cauſa deformitatis, ſicut eſt cauſa actus, Et ſi dicatur quòd voluntas habet præceptum non faciendi actum; contra hoc eſt; quia etiam ſumma ratio dictat non minus apud Deum, quàm apud homines, quòd tales actus fieri non debeant; debétque (ea ratio) vigorem habere retrahendi, aut ſaltem obligandi Deum vt retrahatur à productione huiuſmodi actuum peruerſorum qui ſunt contra rectam rationem; *quæ ratio*, inquit, *incomparabiliter magis viget apud Deum quàm apud homines, Imò vrget difficultas, quia Deus ex duplici capite videtur actor eſſe peccati; ſcilicet, quia actum malum facit, & quia facit actum malum in alio: Neque dicas eum non demereri, neque vituperabilem eſſe,*

*quia*

*quia non agit liberè, ſed vt cauſa naturalis. Contra enim hoc eſt, quia liberrimè libertate contradictionis agit.*

*Neque dicas eum teneri ad agendum ne peruertat curſum naturæ primariò inſtitutum;* quia, inquit, *videtur ſimpliciter meliùs talia mala non fieri quæ rerum ordinem turbant, cuiuſmodi ſunt omnia, & ſola peccata; quàm ea fieri: Nec ea fieri videtur neceſſarium inſtitutioni primariæ, licèt ea poſſe fieri videatur neceſſarium primariæ rerum inſtitutioni, quæ inſtitutio voluntatem liberam exigebat libertate contradictionis: Et ſic expletio curſus naturalis non excuſat, quin potiùs eũ turbatio ordinis naturalis accuſat; quoniam non eſt dubium quin contra curſum naturæ ſit eſſe peccatum, cùm naturam vniuerſi ex parte viciet, & corrumpat: Vnde videtur, quòd ſi Angelus voluntariè voluntati peruerſæ coageret; ipſe peccaret, & eſſet actor peccati; & pariter de Deo videtur poſſe concludi.*

Et c. 25. ſub finem concludit, *vnde ſi quis poterit ex Scripturis ſacris probare hanc cooperationem diuinam* (nimirùm immediatam & proximam) *cum omni agente creato; erit mihi mirandus, & libenter probationem illam acciperem; quoniam hoc facere fateor me neſcire.* Et paulò pòſt; *Neque enim ita in hoc puncto intelligo quòd Deus nullo modo ad actionem creaturæ attingat, cùm immediatè ex toto ſupportet intrinſecùs agens actionem, & actum eius, & virtutem; & ob hoc agitur ipſe actus; ſed dico me neſcire in præſenti videre, quòd in actionibus creaturarum Deus immediatè potentiam ſuam applicet ad illum actum agendum:* hæc ille: ex quibus apparet Armacanum defendiſſe tanquam probabiliorem ſibi ſententiam, quæ docet Deum non concurrere immediatè ad actus liberos noſtræ voluntatis, præſertim verò ad prauos, quemadmodum etiam illum refert citátque Didacus Ruiz de ſcientia Dei diſp. 49. ſect. 5. prope finem.

Petrus Pomponacius Mantuanus eandem nobiſcum ſententiam complexus eſt, lib. 3. de fato, quem ſe abſoluiſſe teſtatur anno 1520 Pontificatus Leonis X. octauo: Eum tametſi aliqui ambiguę fidei arguant, Alij verò aſſerant neque Philoſophis, neque Chriſtianis eſſe annumerandum: Ego tamen in hoc eius libro eiuſmodi verba reperio, quæ non niſi Chriſtianiſſimum, fideliſſimúmque pectus redoleant; *Si declarabitur,* inquit, *quòd modus iſte repugnet Religioni Chriſtianæ, eum ex toto abiicio; & ſiue ſolationes quæ dabuntur noſtris dubitationibus ſatisfaciant mihi, ſiue non ſatisfaciant; non minùs quàm* IV.

Nn *deter*

*determinatis per Eccleſiam adhæreo, & captiuo intellectum in obſequium fidei. Si verò determinabitur quòd modus iſte non repugnet Eccleſiæ, & conueniat dictis eius, indubitanter iſti modò aſſentio, quoniam non video quomodo aliter ſatisfieri poßit ad dictas dubitationes:* Rurſúmque idem Auctor eodem libro, *his quæ dixi tantùm adhæreo, quantùm approbauerit Romana Eccleſia, cui etiam in aliis me totum ſubiicio.*

Is igitur præfato libro ſic ait, *Actus humani, vel ſunt mali, vel ſunt boni; ſi ſunt mali, horum Deus eſt cauſa, quoniam omne malum fundatur in bono, & eſt à bono ſecundùm naturam; vnde peccatum eſt à voluntate, & in voluntate; quæ voluntas cùm ſit à Deo, bona eſt, quæ dependet à Deo, & in fieri, & in conſeruari; ſubtractâ enim manu Dei, nihil eſt voluntas: quare, vt ſic, peccatum eſt à Deo quantùm ad bonum quod requirit peccatum: peccatum enim deformitatem habet, cuius cauſa per ſe non poteſt eſſe, tamen Deus dici poteſt huius peccati cauſa permißiua, non enim voluntas peccaret niſi Deus permitteret:* hæc ille: Et pòſt pauca, *Non tribuitur tamen peccatum Deo permittenti, quoniam permißio non eſt ſufficiens cauſa effectiua, tametſi enim permiſero tibi percutere me, non erit tamen percußio, niſi tu moueas, & percutias: ſic niſi voluntas peccare velit, non erit peccatum quanquam Deus permittat peccare, quia hoc eſt ipſius voluntatis.*

Iterúmque pòſt pauca, *Si Deus vult voluntatem humanam eſſe liberam, de neceßitate oportet aliquam ſibi dare actionem, cuius ipſe Deus ſecundùm aliquem modum non ſit cauſa:* nota ly *ſecundùm aliquem modum,* quod quidem nos interpretamur, *proxima, & immediata:* & ſequitur, *quamuis ſimpliciter eſſe non poßit quòd illius actionis Deus aliquo modo non ſit cauſa, & pariter per omnia dicendum eſt in actu bono; ſeu in virtute:* Et rursùm pòſt pauca, *Sic dico quòd voluntas in volitione, & nolitione mouet ſe, & non mouetur à Deo, quoniam dedit ei vt moueat ſe, quia in eo conſiſtit meritum, & demeritum; quòd ſi dicatur moueri à Deo, hoc eſt, quoniam voluntatem Deus conſeruat, neque ſine Deo eam conſeruante poſſet habere opus aliquod; quoniam neque eſſet, totúmque poſitiuum quod eſt in actu voluntatis, à Deo fouetur & conſeruatur: Redeundo ergo vnde diſceßimus; dico per omnia eſſe ſimiliter; quoad hoc, in actu virtutis & vitÿ; quoniam vterque actus immediatè fit à voluntate, & vt ſic Deus voluntatem non mouet, licèt conſeruet in eſſe; verùm cùm in vitio ſit defectus, Deus non conſeruat defectum; quia habet tantùm cauſam deficientem: neque Deus eſt cauſa finalis defectus, quoniam defectus non ordinatur in Deum, neque etiam*

*Deus eſt exemplaris cauſa defectus; & ob iſtas rationes, Deus non eſt cauſa peccati. Verùm Deus eſt cauſa actus virtuoſi, quoniam eſt finis eius, & exemplar, & conſeruat actum virtuoſum.* Et paulò pòſt, ſcilicet pag. 771. *eſſe autem illius actus, ſcilicet humani, eſt à voluntate, & non immediatè à Deo.* Et pag. 772 *Sed iam multoties dictum eſt, quòd Deus illius actus ſimpliciter eſt cauſa, & ſecundùm quid non eſt cauſa.* Et pag. 774. *Actus eſt à Deo, & effectiuè dependet à Deo, quandoquidem Deus eſt cauſa voluntatis à qua fit actus, & poſitiuum quod eſt in actu conſeruatur à Deo, & in Deum ordinatur, veluti vnumquodque ens taliter à Deo pendet; Imò quoquo modo peccatum quantùm ad deformitatem dicitur eſſe à Deo, non quòd faciat defectum, ſed permittit defectum; Poſitiuum autem non tantùm permittit, verumetiam conſeruat, & fouet, & in ipſum Deum ordinatur, quanquam immediatè fiat à voluntate.*

Et pag. 780. *Vnde actus attribuitur voluntati, & non Deo, niſi tanquam cauſa vniuerſali*; & ibidem, *quare cùm dicitur Deum non determinare actum voluntatis, nihil aliud intelligitur, niſi Deum non producere actum voluntatis, ſed voluntatem ipſam producere actum.* Et pag. 797. *Ad ſextam obiectionem dicitur quòd actus voluntatis immediatè ſunt à voluntate, neque tamen ſequitur quòd aliquis actus ſit qui non dependeat à Deo, in actu enim aut eſt defectus, aut non; ſi non eſt defectus, etſi immediatè hoc ſit à voluntate, tamen cùm voluntas ſit à Deo, neque eſſe, neque operari poſſit voluntas ipſa niſi in virtute Dei, & vt eſt inſtrumentum, non actualiter motum, ſed quia eſt effectus Dei in triplici genere cauſæ, ideò iſte actus reducitur in Deum; ſicut motus grauium reducitur in motum cæleſtem; quanquam corpus cæleſte non propriè moueat graue deorſum.*

Et pag. 810. *Dico quòd virtutes ſunt à nobis, & etiam malitiæ; tamen malitiæ ſunt magis noſtræ, quàm virtutes: Primò, quoniam virtutes magis aſſimilantur Deo qui eſt fons perfectionis, malitiæ verò nobis qui quaſi nihil ſumus: Item virtutes fouentur, & approbantur à Deo, malitiæ nequaquam: virtutes habent finem per ſe; malitiæ verò per accidens: Ampliùs, defectus magis attribuitur cauſæ imperfectæ, & perfectio cauſæ perfectæ: Nam ſi benè operemur, vt diuini operamur; ſi malè, vt non entia & imperfecti homines.* Et paulò pòſt, *Non dedit homini poteſtatem peccandi, vt peccet, ſed vt peccata ſuperando mereatur*: hæc ille: quibus verbis euidenter explicat id quod nos etiam contendimus eſſe veriſſimum: ſcilicet, Deum aliquo modo eſſe cauſam efficientem actus praui, & aliquo modo

non eſſe; eſt enim cauſa illius *prima, & vniuerſalis, remota, & mediata*; non eſt autem cauſa illius *proxima, immediata, per ſe, ac propria.*

V. Viguerius Ordinis Prædicatorum cap 18. Inſtitut. Theologicarum de cauſis exterioribus peccatorum verſ.4. ſic habet, *Si aliquid extrinſecum eſt cauſa peccati; hoc eſt, vel quia mouet immediatè voluntatem; vel rationem, vel appetitum ſenſitiuum; voluntatem autem interiùs, & immediatè nemo mouere poteſt niſi Deus, qui non eſt cauſa peccati*; quaſi dicat, Deus poteſt quidem mouere interiùs voluntatem immediatè ad aliquos actus; ſed quia ipſe non poteſt eſſe cauſa peccati, eſſet autem ſi moueret immediatè ad actum peccati; ideò non mouet immediatè ad actum peccati, id eſt, non concurrit immediatè, nec producit immediatè. Dices, Iſte Auctor ſolùm intelligit quòd Deus non poſſit mouere moraliter voluntatem ad actum peccati; non autem quòd non poſſit mouere eam phyſicè: Sed contra hoc eſt, quia motio phyſica eſt multò efficacior, & immediatior quàm ſola moralis; vnde ſi non poteſt mouere moraliter, multò minùs poterit phyſicè: mouere autem in propoſito idem eſt quòd concurrere: Ergo non concurrit immediatè.

Rurſúmque idem Auctor verſ. 5. dicit, *Cùm peccatum ſit actus voluntarius difformis regulæ ſuæ; conſequens eſt, quòd ſi manus dolatoris eſſet regula eius, non poſſet peccare dolando, quia operaretur ſecundùm regulam ſuam; & ideò Deus qui eſt regula ſua, non poteſt operari actum qui ſit peccatum; quia eſſet difformis, & non eſſet; eſſet, quia repugnat rationi; non eſſet, quia eſt conformis Deo.* Iterúmque pòſt pauca, *Nec propter hoc quòd Deus eſt cauſa liberi arbitrij, ſequitur quòd ſit cauſa peccati ab eo procedentis; quia illa maxima, quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, intelligitur quando effectus cauſæ mediæ ſubditur ordini cauſæ primæ, non autem quando procedit à cauſa media ſecundùm quod exit ordinem cauſæ primæ; tunc enim effectus non reducitur in cauſam primam, ſicut cùm Miniſter facit aliquid contra præceptum Domini, non reducitur in Dominum, nec attribuitur illi.*

Et quamuis paulò pòſt dicat, Omne ens quodcunque ſit deriuari à Deo quod eſt primum ens, & cauſa efficiens omnium; non tamen dicit actum peccati eſſe à Deo proximè, & immediatè; alioqui contradiceret iis quæ paulò antè dixerat verſ. 4 ſed ſolùm vult dicere id quod nos etiam fatemur vltrò, atque omninò contendimus,

dimus; ſcilicet actum illum in quo eſt malitia, & deformitas, attribui etiam Deo tanquam cauſæ primæ, & vniuerſaliſſimæ, tametſi non proximæ, & immediatæ, deformitatem autem ipſam nequaquam attribui Deo, nequidem tanquam cauſæ primæ efficienti, ſed duntaxat permittenti, eo quòd non teneatur impedire: quo etiam pacto docuit S. Thomas quæſt. 3. de malo art. 2. claudicationem ſpiritualem tribui Deo, inquantùm habet de entitate, ſed non inquantùm deuiat à regula, vel auertitur ab vltimo fine qui Deus eſt.

VI. P. Fr. Raynerius eiuſdem Sacri Prædicatorum Ordinis in Summa Theologica, verbo *Peccatum*, cap. 3. hac ratione probat Deum non eſſe cauſam effectiuam peccati; *quia*, inquit, *defectus qui eſt in aliquo effectu non debet attribui cauſa remota, ſed proxima talis effectus*: quod quidem poſteaquàm confirmauit exemplis claudicationis, & floritionis; *Nam defectus*, inquit, *claudicationis, non eſt à virtute motiua qua eſt cauſa remota; ſed à tibia qua eſt proxima; & defectus floritionis, vel fructificationis non eſt à cælo quod eſt cauſa remota, ſed à terra, vel radice qua ſunt cauſa propinqua*: Subiungit, *ſimiliter peccatum ex defectu cauſa proxima; ſcilicet voluntatis humana prouenit; non autem ex defectu cauſa remota, qualis eſt Deus in quo nullus reperiri poteſt defectus cùm ſit eſſentialiter bonus: licet enim Deus ſit cauſa liberi arbitrij, non tamen eſt cauſa peccati, cuius ratio eſt, quia defectus cauſa ſecunda, ſcilicet liberi arbitrij, procedit ex cauſa ſecunda, ſcilicet à libero arbitrio, ſecundùm quòd liberum arbitrium exit ordinem, id eſt, intentionem, ac mandatum cauſa prima, ſcilicet Dei, & ideo talis defectus non reducitur in cauſam primam qua eſt Deus, ſed in cauſam mediam, ſcilicet in liberum arbitrium: ſicut per exemplum patet: Si enim Miniſter facit aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum, ſed in cauſam proximam*; hæc ille, quibus in verbis reuocari fortè poſſet in dubium, An tibia dici debeat cauſa remota motus qui eſt in claudicatione; An verò ſit etiam proxima cauſa eius; veruntamen iſtud dubium intentioni noſtræ non præiudicat; tum quia *in exemplis non tam requiritur veritas, quàm inſtructio*; tum quia ſatis nobis eſſe debet, quòd iſte Auctor pro certo habeat, Deum non eſſe cauſam proximam, ſed ſolùm remotam actus praui; & quòd ex hoc ſequatur, deformitatem quæ talem actũ comitatur Deo ſanctiſſimo nullatenus eſſe tribuendam.

Nn 3 Prætereo

Digitized by Google

Prætereo Ruardum Taperum qui art.7.contra Lutherum inter principium & medium propoſitionis decimæ ad finem; videtur amplecti diſtinctionem Concurſuum Dei & Creaturæ; ibique citat Andræam à Caſtro nouo diſt. 22. primi ſententiarum & Gabrielem Biel diſtinct. 37. 2. ſententiarum & diſtinct. 1. q.2 & diſt. 45. primi ſententiarum: docentes diuerſas eſſe actiones Dei, & Creaturæ: ex quo ſatis euidenter ſuprà intulimus non omnem Creaturæ actionem fieri Deo eandem proximè & immediatè atque indiuiſim operante.

Miſſos quoque faciam in præſenti Altiſſiodorenſem, & Gregorium Ariminenſem in 2.diſt.37. quibus hæc noſtra ſententia probabilis viſa eſt; Itémque Præpoſitiuũ, & Theodorum Abucaram opuſc. 35. & 37. quia neque Auctorem hunc poſtremum habere potui; neque dubitare eum à P. Theophilo fuiſſe fideliter citatum diſt. 8. Theologiæ naturalis num.338. & Philoſophiæ moralis diſt. 4. q. 3. art. 5. num. 357. & quia ſufficere nobis debent Theologi ac Philoſophi quos magno numero cumulatos dedimus; & denique quia præter ea teſtimonia quæ nos in promptu habuimus, ab aliis fortè poſt, & plura, & grauiora proferentur, cùm meritò ſperari debeat, ſicuti experientia monſtrare cœpit, quòd hæc noſtra ſententia plures impoſterum ſectatores ſit habitura, quanquam ea ipſa teſtimonia quæ nos hîc protulimus ſuſpicamur forſan fuiſſe longiora.

CAPVT

Digitized by Google

# CAPVT VII.

## *In quo oſtenditur ſententiam negantem Concurſum Dei proximum ad ſingulos actus noſtros, bonos, ac malos, non modò non eſſe Pelagianam, Nembroteam, aut Manichæam; ſed nec alterius cuiuſcunque cenſuræ notâ reprehendi à Scholaſticis potuiſſe, niſi prorſus iniquè, ac per ſummam iniuriam.*

POſteaquàm illud ſatis confectum quod primùm in hac poſtrema parte præſentis opuſculi conficiendum erat, nimirùm, ſententiam quæ neceſſitatem inficiatur diuini Concurſus identificati, & ſimultanei ad quamlibet actionem noſtram, Sanctorum Patrum, Scholaſticorúmque veterum, ac iuniorum auctoritate minimè eſſe deſtitutam; ſuperuacaneum videri poteſt inquirere, An eadem ſententia cenſuræ alicuius notam metuere poſſit, ac debeat; niſi eſſent aliqui in cenſuris Theologicis ferendis adeò præcipites; vt ſi quiſpiam fortè contrà quàm ipſi ſentiant, fuerit opinatus, eum ſtatim graui Theologiæ cenſurâ vexandum eſſe arbitrentur: qua in re non modò ineptos ſe, ac ridiculos exhibent; ſed & Doctorum Scholaſticorum auctoritatem eneruant; ſanníſque, ac ludibriò hæreticorum exponunt, dum affectu potiùs quàm ratione, & maturo iudicio ducti, propoſitiones Catholicas interdum damnant, quæ paulò pòſt re profundiùs inſpectâ deprehenduntur eſſe veriſſimæ. I.

Dico igitur, nulla extare Scripturæ loca, nullas definitiones Pōtificum, aut Conciliorum, quibus cogamur ad captiuandum intellectum in obſequium Concurſus proximi, identificati, & indiſtincti; quin potiùs ſententia negans huiuſmodi Concurſum Dei proximum, tametſi hac tempeſtate minùs communis, longè eſt tamen veriſimilior, & dictis Patrum, Scripturæ, ac pietati conformior quàm affirmans: Ex quo ſequitur eam, neque nouitatis, neque temerita- II.



Digitized by Google

meritatis,ac multò minùs erroris,hæreſeos, aut alterius cuiuſcunque cenſuræ notâ infamari à Scholaſticis potuiſſe, niſi prorſus iniquè ac per ſummam iniuriam;atque adeò eos qui nullo idoneo argumento,ſed turbulentis tantùm clamoribus,& conuiciis ſententiam illam perſecuti ſunt,non ſatis conſideratè, neque cum temperamento Chriſtianæ modeſtiæ,& charitatis eſſe locutos; qui ſi nos etiamnum poſtquàm hæc legerint huiuſmodi maledictis onerare pergant(quod nonniſi cum ſcandalo, prauóque apud Catholicos exemplo fieri poterit)nos tamen in quiete, & ſilentio taciti, memores erimus verbi Domini Ieſu,quoniam ipſe dixit,*Væ homini illi per quem ſcandalum venit.*

Prima pars Aſſertionis quoad Scripturæ loca, probatur à nobis peculiari capite,& ipſi Aduerſarij plerúque id fatentur,quorū ſunt Hurtadus de Mendoça, & Rodericus de Arriaga diſp. 10. phyſicæ.

Et quamuis aliqui recentiores exiſtiment applicari poſſe eadem Scripturæ teſtimonia ad probandum Concurſum identificatum, & indiſtinctum ad quoſcunque actus noſtros, quibus Patres in Concilio Arauſicano 2. & aliis vtebantur aduersùm inimicos gratiæ Chriſti; tamen id eâdem facilitate quâ ab illis dicitur negandum eſt, vel dicendum, eos cùm ſententiam illam ſuam, quæ illis probabilis,ac vera videbatur,ſtabilire niterentur;adduxiſſe etiam in illius confirmationem teſtimonia omnia quæ de ſpeciali adiutorio gratiæ Dei erant intelligenda; ſcilicet ob ſimilitudinem, ac proportionem; & quòd alia nulla fauorabiliora Scripturæ loca reperire poſſent ad fulciendam opinionem, quam tamen conquiſitis vndique argumentis ſuadere omninò conſtituerant.

Probatur etiam quoad definitiones Conciliorum,& Pontificū, quia propoſitio quâ aſſeritur, vel negatur neceſſitas Concurſus identificati,immediati,& ſimultanei, philoſophica eſt, neque adhuc à Pontificibus,aut Conciliis in terminis omnino expreſſis, ac perſpicuis diſcuſſa, aut definita eſſe videtur, vnde fit vt ea liberæ adhuc philoſophorum, Theologorúmque diſputationi permiſſa ſit.Dixi,*in terminis omninò expreſſis,ac perſpicuis*, propter illam definitionem Concilij Trident.ſeſſ.6.can.6.ibi enim videri poſſet noſtra ſententia definita, & contraria condemnata quoad actus prauos, qua de re infrà.

Confir

Confirmatur, quia quæſtio iſta examinari ſolet in phyſica, vbi de cauſa efficiente, vel in metaphyſica, vbi de dependentia entis creati ab increato: quæſtiones autem philoſophicæ non ſolent ab Eccleſia definiri niſi fortè id facto opus fuerit ob ſpecialem aliquã rationem: & quamuis plerique etiam Theologi de eadem quæſtione mentionem habuerint; id ego opinor eſſe factum, vel ob maximam diſciplinarum connexionem; vel quia propoſitio iſta fundat, vt diximus prima parte, nonnullas quæſtiones quæ ſunt inter Theologos huius tẽpeſtatis celeberrimæ; propter quod etiam non diffitemur, quin poſſit eſſe materia idonea, ac ſufficiens, vt à Sancta Sede Apoſtolica definiatur quid in hac re credendum ſit, ſi Spiritui ſancto viſum fuerit, & illi cui dixit Chriſtus in perſona Petri, *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

Dices, Eccleſia non aliter canit, & aliter credit; ſed in Symbolo III.
Concilij Nicæni canitur, *quod Deus ſit factor omnium viſibilium, & inuiſibilium*: At ſi eſt factor omnium, igitur & actionum noſtrarum; non faceret autem illas, ſi eaſdem non produceret immediatè, & proximè ſimul nobiſcum operando: Ergo Concurſus Dei proximus, & immediatus Diuinâ fide eſt credendus.

Reſpondeo primò; Quemadmodum Deus eſt, diciturque Creator cœli, terræ, & omnium, tametſi fortè cœli non fuerint immediatè creati, ſed producti ex aquis, ſicut & alia quædam entia, quæ non per creationem, ſed per aliud productionis genus exiſtentiam à Deo acceperunt; dicuntur tamen effectus iſti fuiſſe creati, quia vel cauſæ eorum creatæ fuerunt, vel ſaltem aliquid eſt in effectis ipſis quod per actionem creatiuam exiſtentiam acceperit; vt materia prima, anima rationalis, aut aliquid huiuſmodi: Ita Deus non deſinit appellari effector omnium, tametſi non producat omnia immediatè, & proximè, iuxta eum ſenſum quem intendit ſententia contra quam diſputamus: Concilium autem Nicænum minimè dixit, Deum eſſe *factorem immediatum*, ſed ſimpliciter *factorem omnium.*

Reſpondeo ſecundò; vt dicatur effector omnium, ſatis eſt quòd ſit cauſa prima, vniuerſalis, ac primordialis omnium. Atqui vt talis ſit, ſufficit eum ad quorundam effectuum productionem mediatè duntaxat, & remotè concurrere, prout in ſolutionibus argumento-

rum circa finem huius partis oſtendemus.

Reſpondeo tertiò; Nicæna Synodus non potuit definire, neque Eccleſia credere, aut etiam canere propoſitionem, cuius contradictoria poſtea definita fuit à Synodo Tridentina; Atqui hęc Synodus definiuit aliquem actum noſtrum non fieri à Deo propriè, & per ſe, ſcilicet actum prauum, ergo illa non potuit ſtatuere omnem actum noſtrum fieri à Deo propriè, ac per ſe; aliquē enim actum non fieri, eſt non omnem actum fieri, vt meritò formidare debeant Aſſertores Concurſus immediati, proximi, & identificati ad omnes actus noſtros, bonos, ac malos, ne ipſis potius quàm nobis Concilia, & definitiones Eccleſiæ aduerſentur.

IV. Dices ſecundò, plerique exiſtimant ſententiam negantem immediatum Concurſum Dei ad omnes actus noſtros, fuiſſe olim damnatam à Patribus in Pelagio; & D. ipſe Hieronimus Dialog. 1. aduerſus Pelagianos, ſub nomine Critobuli, referens errorem Pelagij, ſic arguit, *Si in ſingulis rebus, quas gerimus Dei vtendum eſt adiutorio, ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare literis, tacere, loqui, ſedere, ſtare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cætera huiuſmodi, niſi Deus iuuerit non poterimus*; quaſi dicat Pelagius id eſſe ridiculum: Atticus verò nomine Hieronimi reſpondet, *iuxta meum ſenſum non poſſe* (ſcilicet ſine Concurſu generali) *perſpicuum eſt*. Idē quoque Hieron. ad Cteſiphontem prope medium Epiſt. *fraudulenter*, inquit, *prætendis vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in ſingulis operibus auxilium Dei requiras, ne ſcilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cùm Dei contemnas adminiculum, hominum quæris auxilia, Audite quæſo, audite ſacrilegum, ſi inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, ſtare, ſedere ambulare, diſcurrere, ſputum iacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit? Audi ingratè, imò ſacrilegè Apoſtolum prædicantem, ſiue manducatis, ſiue quid aliud agitis, omnia in nomine Domini agite*; & paucis interiectis, *ipſum liberum, vt diximus, arbitrium, Dei innititur auxilio, illiúſque per ſingula ope indiget, quod non vultis; ſed id vultis, vt qui ſemel habet liberum arbitrium, Deo adiutore non egeat*; Ecce quomodo Hieronimus blaſphemiam eſſe ait, ſi quis dicat, Deum collato ſemel libero arbitrio non eſſe vltra nobis neceſſarium ad operandum,

randum, nec debere vltra ſe ingerere, nec nos per ſingula opera auxilio eius niti.

Reſpondeo primò, ſententiam noſtram nullatenus accedere ad errores Pelagij, ſed ab iis omnino eſſe alieniſſimam, Communis enim veráque ſententia eſt, eum vel nunquam diſputaſſe cum Catholicis de huiuſmodi Concurſu identificato, vel ſi de illo diſputauit, ac negauit, non tamen fuiſſe eum de hac re à Patribus reprehenſum; ſed quòd actus ſupernaturales neceſſarios ad ſalutem negauerit, & auxilium gratiæ Dei per Chriſtum, ſiue adiutorium ſpeciale, internum, ſupernaturale, ac minimè debitum: paſſimque aduertunt Theologi; quòd ſi ſententiæ Patrum contra Pelagium prolatæ quibus diuini adiutorij neceſſitas commendatur, poſſent intelligi de influentia, & Concurſu generali identificato, nos nihil ex illis haberemus pro Catholica veritate, & neceſſitate adiutorij ſpecialis, ac proprij gratiæ per Chriſtum; quia omnes eludi poſſent interpretando eas de adiutorio Dei per Concurſum generalem, quod eſt haud dubiè contra mentem Conciliorum, & Patrum; qua de re videri poſſunt Suarez tomo 1. de gratia prolegomeno 5. cap. 5. Vaſquez 1 2. diſp. 109. cap. 7. Aluarez lib. 1. de Auxiliis diuinæ gratiæ diſp. 1. Smiſingus 1. parte tract. 3. diſp. 6. quæſt. 6. Tannerus tomo 2. Coninch de fide, ſpe & Charitate. Gracchis in Gemma ſententiarum Auguſtini, præfatione ad lectorem.

Reſpondeo ſecundò cum Gabriele Vaſquez 1. 2. diſp. 190 Hieronimum teſtimoniis in obiectione productis non agere de auxilio generali quod neceſſarium ſit cuilibet creaturæ vt operetur, cùm ad multa exempla quæ ipſe refert nullus requiratur Concurſus Dei diſtinctus à creatione ipſa continuata, Nam ſedere, & tacere, quæ ipſe adfert in exemplum, non ſunt actiones noſtræ quæ aliquo indigeant Concurſu Dei, Quòd ſi dicas loqui Hieronimum de voluntate tacendi, & loquendi, ſedendi, & deambulandi, quæ eſt actus poſitiuus, & eum quidem attuliſſe exempla non modò operationum quæ ex genere ſuo ſint ſupernaturales, atque ad virtutem pertineant, quale eſt ieiunium, ſed etiam aliarum minimarum, quæ ad ſolam naturæ commoditatem ſpectent, cuiuſmodi eſt curuare digitum, ſedere, ſtare, comedere, &c. pro quibus non videtur Hieronimus exiſtimaſſe neceſſarium eſſe auxilium gratiæ ſpecia-

 lis, ſed

lis,ſed duntaxat influentiam & Concurſum generalem,quem proinde aduerſus Pelagium contendit eſſe neceſſarium ad minima illa opera,tametſi ordinis naturalis: Reſpondet idem Vaſquez, Hieronimum de minimis illis operibus loqui non prout præſenti vitæ mortali deſeruiunt,ſed quatenus fiunt ſecundùm regulam, & normam virtutis,ad quod requiritur auxilium gratiæ Dei, probatque ex verbis in obiectione adductis, *Audi ingrate,imò ſacrilege Apoſtolum 1. ad Corinth.10.prædicantem,ſiue manducatis,ſiue bibitis,ſiue aliud quid agitis,omnia in nomine Domini agite*,Ea vero quæ in nomine Domini aguntur,ſecundùm virtutem aguntur:Rurſumque confirmat ex aliis eiuſdem Sancti verbis,qui poſteaquàm dixit,per ſingula minutiſſima opera indigere nos auxilio Dei,vt ad curuandum digitum, mouendam manum,&c.paulò poſt ſubiungit hæc verba, *ſi arbitrio ſuo regitur*,nempe vnuſquiſque, *vbi eſt auxilium Dei ſi Chriſto rectore non indiget? quomodo ſcribit Hieremias non eſt in homine via eius*? Chriſtus autem regit nos in operibus illis quibus gratiam promeremur, quam acquiſiuit nobis ſanguine ſuo,neque enim dicitur Chriſtus veniſſe vt opera noſtra naturalia faciamus abſolutè, & ſimpliciter, ſed vt ea cum fructu & merito vitæ æternæ faciamus, iuxta illud Euangelij, *qui manet in me,& ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Vide quæ de hoc Hieronimi teſtimonio diximus ſuprà cap.2.huius partis.

V. Obiicies tertiò,Capreolus in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. ad primum Scoti contra ſecundam,dicit ſententiam iſtam eſſe Manichæi, & S.Thomas in 2.diſt.37.dicit eandem eſſe propinquiſſimam duplici errori,quorum vnus eſt Manichæorum: neque deſunt alij qui appellant eam Nembrotheam, quia ſicuti ex Ioſepho referunt, Nembroth fortitudini ſuæ,& non Deo adiuuanti tribuebat actus ſuos.

Reſpondeo,Manichæos poſuiſſe plura principia,quorum vnum eſſet ſubſtantialiter malum; noſtra autem ſententia non admittit niſi vnum duntaxat primum agens, primúmque principium, ſcilicet Deum Optimum Maximum:Sanè ex hoc quòd voluntas noſtra operetur abſque influxu proximo, & immediato Dei, non ſequitur quòd operetur ſine auxilio prioris agentis,& ſine illius influentia: Nam,vt optimè attigit Scotus in 4.diſt.43. quæſt.3. litera

D,ſubor

D, ſubordinatio eſſentialis cauſæ ſecundæ ad primam, conſiſtit tantùm in eo, quòd cauſa ſecunda eſſentialiter præſupponit primam, nec poſſit ſine ea accipere eſſe, vel illud cõferre alteri, quam etiam interpretandæ ſubordinationis eſſentialis rationem ſecutus eſt Theophilus Raynaudus in Theologia naturali diſtinct.5 quæſt. 1. art. 4. num. 30. & ſeqq. vbi fatetur non eſſe firmam illationem neceſſariæ cooperationis immediatæ ex ſubordinatione eſſentiali. Et Ariſtoteles diſputans contra errorem qui poſteà fuit Manichæorum, cùm docuiſſet vnicum duntaxat eſſe primum agens; nihilominùs nunquam docuit neceſſarium eſſe influxum illius immediatum ad ſingulos actus humanæ voluntatis; neque vnquam exiſtimauit, negato huiuſmodi influxu neceſſe fore vt plura principia prima ponerentur; Cuius rei ratio eſt, quia tametſi Deus nõ producat immediatè actum voluntatis noſtræ, tamen actus noſter eſſentialiter præſupponit Deum exiſtentem, & ſaltem remotè ac mediatè concurrentem, & ſic Deus non poteſt non eſſe primum principium, ſaltem mediatè influens in actum noſtrum, ad eum ferè modum quo ignis dicitur me calefacere, tametſi ſolùm mediante calore me calefaciat; & tectum pẽdet à fundamento, quia pendet à muris immediatè, & ipſi à fundamento: & Theologi, vt iam iterùm ſuprà, dicunt quòd ſi Spiritus ſanctus procederet à ſolo Filio, & non à Patre, adhuc diſtingueretur realiter à Patre, quia licèt inter Spiritum ſanctum, & Patrem non foret oppoſitio originis immediata, foret tamẽ mediata, quatenus Filius qui eſſet principium Spiritus ſancti, eſſet à Patre tanquam à principio.

Porrò, qui ſententiam noſtram appellant Nembrotheam, nullum aliud à nobis reſponſum habituri ſunt; quia mera contumelia eſt, & tanta feritas ab infirmitate potiùs, quàm ab amore veritatis, aut ab charitate videtur eſſe profecta: Sanè Deuteronomij 8. Poſteaquàm Spiritus ſanctus docuit nos minimè gloriari poſſe, ac debere, quaſi aliquid boni præſtitum à nobis fuerit; his verbis, *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt:* illicò ibidem rationem ſubiungit quare Deo tribuendæ ſint operationes noſtræ quæ laudis aliquid mereantur, his verbis, *ſed recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit:* vbi vides Scripturam perſpicuè docuiſſe Concurſum Dei remotum ac me-

 diatum

diatum *reſpectu operationis noſtræ*;proximum autem atque immediatum *reſpectu virium, potentiæ , & facultatis ad operandum* ſufficere vt dicamur Deo adiuuanti,& non fortitudini noſtræ actuum noſtrorum laudem,& gloriam tribuiſſe. Et ſic patet nec Pelagianiſmum, nec Manichæiſmum,aut Nembrotiſmum , vel alium errorem vllum ſententiæ huic noſtræ eſſe metuendum.

VI. Secunda pars;nimirùm quòd pars negans, tametſi hac tempeſtate minus communis, tamen veriſimilior ſit quàm affirmans, probatur,ni fallor,clarè in hac quarta,& poſtrema parte præſentis opuſculi,in qua non difficulter oſtendimus, ſententiam quæ negat huiuſmodi Concurſum identificatum, & indiſtinctum ad omnes actus noſtros,nihilominus abundè ſaluare ſupremum Dei in creaturas dominium,necnon ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam,& facilè ſoluere argumenta partis aduerſæ; cùm tamen ipſa pro ſe rationes, & argumenta, necnon etiam Concilia aduersus oppoſitam producat, quorum idonea ſolutio hactenus non apparuit ; præterquàm quòd ex eadem oppoſita ſententia affirmante, ſi vera fuiſſet,ſequebatur vt alterutra factio, Prædeterminantium, aut Aſſertorum Scientiæ Mediæ eſſet amplectenda ; cùm tamen vtraque factio quinquaginta circiter annorum ſpatio benè oppugnarit, confutarítque ſententiam partis aduerſæ ; quo factum eſt, vt ambæ ſimul ſumptæ, dum mutuò ſeſe adinuicem deſtruentes vtriuſque vim eneruarunt, ſententiam noſtram demonſtrarint multò eſſe veriſimiliorem quàm ſit oppoſita affirmans, vtpote ex qua per euidentem conſequentiam multa deducuntur, quæ cùm ſint impoſſibilia,perſpicuè oſtendunt impoſſibile eſſe ipſum etiam antecedens.

VII. Tertia pars ; nimirum quòd eadem ſententia negans Concurſum identificatum dictis Patrum conformior ſit quàm affirmans; Probatur, quia ne vnus quidem fortaſſe reperietur qui ſub iiſdem aut omnino æquiualentibus terminis dixerit, Deum producere ipſiſſimam actionem noſtràm malam Concurſu proximo , immediato, & indiſtincto;cùm tamen multi expreſsè dixerint,actionem malam ad Deum minimè pertinere,vel tales actus dici eſſe à Deo quatenus producit in nobis, & conſeruat vires agendi , vel aliis quibuſdam modis Concurſum remotum , mediatum , & ab actu creaturæ

Digitized by Google

creaturæ diſtinctum ſignificantibus, quos ſuprà retulimus ex Sanctis Auguſtino, Anſelmo, Thoma, Bonauentura, & aliis.

Quòd ſi fortè præter opinionem noſtram contigerit aliquem Sanctorum Patrum reperiri, qui totidem, vel æquiualentibus verbis id aſſeruerit quod nos inficiamur, neque enim nos omnia legimus aut meminimus: Reſpondebimus cum Melchiore Cano lib. 7. cap. 3. vnius aut duorum Sanctorum auctoritatem, etiam in his quæ ad ſacras literas, & doctrinam fidei pertinerent, non niſi probabile argumentum ſubminiſtrare poſſe; Quia cùm eorum quiſque, his duntaxat exceptis qui libros canonicos ediderunt, humano ſpiritu locutus fuerit, & aliquando vel in eo errarit quod ad fidem ſpectare poſtea demonſtratum eſt; apertè conſtat ex huiuſmodi auctoritate firmiſſimum argumentum peti non poſſe, ſiquidem ipſe etiam Auguſtinus, vt erat modeſtiſſimus, epiſt. 7. ad Marcellam. *Vos qui me multùm diligitis, (inquiebat) ſi talem me aſſeritis aduersùs eos quorum malitiâ, vel imperitiâ, vel intelligentiâ reprehendor, vt me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis, facile in ea me ipſo iudice ſuperabimini.*

At verò in dogmatibus philoſophiæ perſcrutandis, cuiuſmodi eſſe diximus iſtud principium quod eſt omnium Aduerſariorum commune, multò adhuc euidentius eſt Sanctorum aliquot Patrũ teſtimonia exploratam fidem non facere; tametſi enim eorum plurimi in philoſophicis diſciplinis erudititiſſimi fuerint, Nonnulli tamen ex iis, vt ſe totos diuinæ ſapientiæ, & ſaluti animarum dederent, philoſophicas quæſtiones leuiſſimè ſolùm attingebant; vt mirandum non ſit, ſi poſteri errores fortè quoſdam in eorum ſcriptis obſeruare potuerint; id quod tamen ego non ideò dixerim, quòd exiſtimem Sanctorum Patrum auctoritatẽ hac mihi in parte eſſe metuendam, cùm longè plures eorum nobis quàm aduerſariis, euidentiúſque multò ſuffragentur, quemadmodum ſuperiora capita manifeſtum reliquerunt.

Quarta Pars, nimirum quòd hæc eadem ſententia negans, Scripturæ ſit magis conſentanea quàm affirmans, probatur, quia teſti- VIII.
monia Scripturæ, quibus oſtendimus Deum odiſſe iniquitatem, & mentiri non poſſe, nec ſeipſum negare, nihilque odiſſe eorum quæ fecit, & alia huiuſmodi, apertè clamant Deum non poſſe coefficere nobiſ

re nobiſcum actionem intrinſecè malam,nec conſequenter habere decretũ illius nobiſcũ producendæ,quod tamẽ habere deberet ab æterno,ſi verũ eſſet eũ in tẽpore concurrere influxu immediato, & indiſtincto ad omnẽ prorſus actũ noſtrum bonũ, ac malum.

Econtrà verò, teſtimonia quæ Aduerſarij contra nos proferũt, nihil minus ſignificant quàm Concurſum Dei proximum, & indiſtinctum ad ſingulos actus noſtros, ſed faciliùs multò intelliguntur de auxilio & Concurſu remoto, ac mediato; vel de voluntate immediata permittendi, quæ ſit conditio neceſſaria, vt creatura operetur; vel de auxilio ſupernaturali, & gratuito, quàm de influxu proximo,immediato,& indiſtincto,quemadmodum nos infrà peculiari capite oſtenſuri ſumus.

IX. Quinta denique pars,nimirum quòd ſententia negans pietati, ac deuotioni conformior ſit quàm affirmãs,Probatur primò,Quia illa ſententia videtur eſſe deuotior quæ nos meliùs afficit, & diſponit erga Deum: At ſanè iſta eſt huiuſmodi, quamuis enim aliqui viri pij, ac deuoti maximam percipere ſoleant animi ſuauitatem,dum iuxta oppoſitam quâ imbuti ſunt Aduerſariorum opinionem,perſuaſum habent ſe in omni prorſus actione ſua Deum habere adiutorem,& cooperatorem, adeo vt eadem ſit ipſiſſima actio Dei,& ipſorum,tamen acrimonia tam frequentis cooperationis ad actus prauos (quibus ſæpenumero contingit etiam ſanctos inquinari)& decreti cooperationis iſtius nobis à Deo conferendæ impedit ſuauitatẽ vnguenti illius,ac deuotionis quæ ex aduerſariorũ ſententia percipi poſſet;prout in ſimili nõnemo dixitdũ de Prędeterminatione phyſica aduersùsPatronos illiusloqueretur.

Quinimò piorum aures ferè horrent audire, quòd neque ipſe Dæmon, neque homo deſperatiſſimus poſſit odiſſe Deum, quin Deus eamdem ipſam odij diuini actionem in Dæmone, vel homine illo producat,& quin neceſſe fuerit Deum habuiſſe ab æterno poſitiuum actum volitionis qui ſic exprimitur;*volo,ac decerno producere in tali puncto temporis cum illo Dæmone vel homine, & in illo actum odij Dei,& nolo pro illo puncto ac momento temporis concurrere cum illo ad actum oppoſitum dilectionis,neque ad vllum alium ex iis quos ipſe elicere potuiſſet*. quæ ſanè propoſitio duriſſima eſt,ne dicam piorum aurium offenſiua,præſertim cùm & horrorem minuat peccatorum, quorum

quorum non modò formalem malitiam, ſed & actus ipſos materiales, imò & nomina horrere, ac deteſtari Sancti Patres, vitæq; ſpiritualis illuminatiſſimi Magiſtri docent: Minuitur autem ſanè plurimùm iſte peccati horror, ſi Chriſtiani exiſtiment, ne Deo quidem ipſi huiuſmodi actus adeò diſplicere, quin ipſe eos nobiſcum immediatè coëfficiat quotieſcunque ad eos perpetrandos accedere volumus, impoſitâ etiam ſibimetipſi lege iſtiuſmodi cooperationis neutiquam nobis denegandæ; At verò ſententia quá amplectimur; nullam ſimilem parit animorum offenſionem, ſed maiorem nobis iniicit peccati fugam, & horrorem, meliúſque nos afficit erga Deum: Ergo.

Probatur ſecundò, quia ſententia affirmans Concurſum identificatum ad omnes actus noſtros, ſcaturigo, & radix fuit controuerſiarum quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera; in qua quidem diſſenſione non modò ſententiarum, opinionúmque diuerſitas fuit, ſed tales excitatæ fuerunt tragœdiæ ac tumultus, vt non ſemper cum eo temperamento diſputatum fuerit quòd Chriſtiana Charitas poſtulabat: At verò ſententia negans quam nos amplectimur, vitat iurgia illa, & contentiones, ſiquidem reformatâ propoſitione illâ philoſophicâ, neceſſe eſt controuerſiam illam maximam terminari, quemadmodum peculiari capite manifeſtum facimus: Eſt igitur pietati Chriſtianæ, & charitati conformior.

Probatur tertiò, quia ſententia negans plurimùm fauet libertati noſtræ, ac Diuinæ Sanctitati, & procul omninò recedit ab hæreſi Caluini, & Lutheri, & Melanctonis; docentium Deum compellere nos ad peccata, & operari actus prauos noſtros propriè, ac per ſe; & alioqui tutiſſima eſt, neque in vllum alium errorem impingit; Ergo eſt amplectenda.

Aſſumptum quoad ſecundam partem ſuperiùs hoc eodem capite probatum eſt, quoad primam verò in confeſſo eſt apud omnes; & expreſsè P. Ruiz de Scientia Dei diſp. 56 num. 10. docet, hæreticos aliquando ad actualem Concurſum potiùs quàm ad aliud effectiuum principium creatum retuliſſe illam ſuam neceſſitatem quam exiſtimant imponi à Deo voluntati creatæ, *Sic enim* (inquit) *primò Vitclephus lib. 2. trialogi cap. 13. apud Vald. lib. 1. doctrinalis cap. 23. ſub*

*initium ait, Deus neceſſitat creaturas ſingulas ad quemlibet actum ſuum: Secundò, Lutherus contra liberum arbitrium ſic loquitur, Quomodo poteſt ſe ad gratiam præparare, cùm neque in poteſtate ſua ſit ſuas vias malas facere; Nã & mala opera in impius Deus operatur. Nota,* inquit Ruiz, *coniunctionẽ (&) quâ denotat non ſolùm bona opera, ſed etiam mala,* quod clariſſimè habet præcedens ac ſequens contextus eiuſdem Hæretici apud Roffenſ. art.36.fol.336.& ſeqq.

*Tertiò, Caluinus apud Stapletonium in Antidoto Euangeliorum in id Ioan.*1.*Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ait, Quòd ſi fides nos regenerat vt ſimus filij Dei, & eam calitùs inſpirat Deus, apertè conſtat non potentialiter tantùm à Chriſto nobis offerri adoptionis gratiam, ſed ipſo actu, vt loquuntur; Ergo Caluinus vt ſuam neceſſitatem probet, recurrit ad actualem Concurſum Dei, quo formaliter producitur actu gratia adoptionis:* hæc Ruiz ibi propriis verbis.

Gabriel quoque Pennotus in erudito illo opere, cui titulus Propugnaculum humanæ libertatis lib. 8. cap. 15. num. 1. hæc habet, *Eſſe verò hanc controuerſiam grauiſſimam, ſcilicet de diuina cooperatione cum cauſis ſecundis, neque poſſe vllo modo abſque praiudicio manifeſto, & graui huius cauſa quam cum hareticis agimus diſſimulari, ex hoc euidenter apparet, quòd Caluinus, & eius ſectatores ad humani arbitrij libertatem euertendam, non ſolùm quoad actus moraliter malos, ſed etiam quoad alias quaſcunque actiones, arbitrantur efficax argumentum ſumere ſe poſſe ex efficacitate, &, vt aiunt, ex energia diuina motionis, ſicut iſta Caluini verba ex* 2. *Inſtit. cap.* 4. § 2. *oſtendunt: Omitto hîc vniuerſalem Dei motionem, vnde creatura omnes, vt ſuſtinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt.* Rurſúmque idem Auctor ibidem cap.25. num.9. *Quod ſpectat ad Caluinum,* inquit ille, *nullâ aliâ ratione dixit Deum eſſe cauſam efficientem, aut moralem quòd homo peccet, niſi quia illum efficaciter mouet ad actum: cui inſeparabiliter adiuncta eſt malitia:* hæc ille. At ſententia noſtra conuellit penitùs præcipua fundamenta blaſphemiæ iſtius Caluinianæ, & Lutheranæ: Igitur fauet magis fidei, Religioni, ac pietati: Ergo, &c.

Iam verò, quòd eadem ſententia nullatenus accedat ad errores Manichæi, aut Pelagij, ſuperiùs hoc eodem capite manifeſtum reliquimus.

X. Dices, Recentiores Scholaſtici communiter inurunt notam erroris,

roris, aut temeritatis, aut aliam huiuſmodi cenſuram ſententiæ Durandi negantis Concurſum immediatum,& identificatum: Ergo non eſt pia, neque tuta. Reſpondeo id quod iam iterùm ſuperiùs dixi, arguendos eſſe Scholaſticos nonnullos, qui nimiâ facilitate viros Catholicos notis grauioribus ſolent inurere; cùm nihil ſit tam temerarium, vt Tullius ait, támque indignum Sapientis grauitate, & iudicio, quàm quod non ſatis exploratè perſpectum ſit, id ſine vlla dubitatione affirmare, & eos omnes qui nobis aduerſati fuerint temerè ac leuiter condemnare.

Sanè Doctores Scholaſtici Pontifices Romanos hac parte imitari debuerunt, qui tametſi importunis precibus ab vtraque factione ſollicitati, fatigatíque; noluerunt tamen expreſſum dogma fidei condere, aut aliquid in controuerſiis Prædeterminantium, & Aſſertorum Scientiæ Mediæ definire, vel in hanc, vel in illam partem; adeò non ſunt in definiendo præcipites; nimirum ad ſupremam fortè numinis prouidentiam,& ad perpetuò aſſiſtentem Eccleſiæ Spiritum veritatis ſpectabat, non permittere vt Sancta Sedes Apoſtolica in fauorem alterutrius ſententiæ iudicaret; donec diligentiſſimè exploratum eſſet; num vtraque illa peritiſſimorum Theologorum acies, quæ ex præſuppoſita neceſſitate Concurſus proximi & identificati aduersùs alteram dimicabat, ruinoſo fortè principio, ac non ſatis firmiter iacto fundamento niteretur.

Dices ſecundò, quamuis non ſit expreſſum dogma fidei iſtiuſmodi Concurſum eſſe neceſſarium, tamen eſt communis Doctorum ſententia,& conſentiunt omnes Academiæ Catholicorum: vnde nimis temerarium videtur pro vno ferè Durando aduersùs omnes cæteros ſtare, neque poterit audaciæ,& præſumptionis notam abſtergere qui ſententiam illam Durandi veluti ſepultam, & è Scholis Theologorum, Philoſophorúmque eliminatam exſuſcitare,& reuocare tentauerit, prætextu conciliandi libertatem humanam, & diuinam innocentiam, cum influentia & Concurſu generali Dei ad omnes actus noſtros bonos, ac malos; cùm non deſint alij modi id faciendi, quibus Auguſtinus, D. Thomas, Scotus, aliíque præſtantiſſimi Doctores contenti, nullum aliud medium huius concordiæ quæſierunt. XI.

Reſpondetur primò, ſententiam quam nos amplectimur, non

eſſe vnius Durandi, ſed prætereà plurimorum, probatiſſimorúmque Theologorum, ac Philoſophorum, quorum aliquos ſuperiùs per plura capita huius poſtremæ partis adduximus, propter quos verè dici debet, quòd Doctorum torrens in opinionem contrariam non conſpirarit, éſtque falſiſſimum id quod aliqui nobis obiiciunt, aduersùs Durandi ſententiam Academias omnes conſenſiſſe: Tametſi enim recentiores ſententiam oppoſitam amplexi numero fortè ſint ſuperiores, tamen non omnes nouo lumine, aut nouis rationibus accuratiùs expenſis, clariúſque intellectis, vt ita ſentirent adducti ſunt, ſed eorum plurimi abſque vllo diligentiore ſtudio coaceruatim eò confluxerunt, quò alios viderunt præeuntes, propterea non multam hac parte merentur fidem, & omnis eorum auctoritas quæcunque proferri poteſt in contrarium non eſt niſi priuata, quam ſe ſubiicere oportebat ſatis apertæ definitioni Concilij Triden. ſeſſ. 6. can. 6. & facilè ſperari poteſt quòd hæc noſtra ſententia, quemadmodum experientia monſtrare cœpit, plures impoſterum ſectatores ſit habitura, quanquam exiſtimamus cum Nauarro, non eſſe admodum laudandos eos qui diligentiores ſunt in computando Doctorum numero, quàm in librandis, ponderandíſque eorum rationibus & argumentis.

Reſpondetur ſecundò, ne minimum quidem leuitatis, audaciæ, temeritatíſque veſtigium apparere in eo quòd Durandi ſententiam à Scholis, vt aiunt, exulantem reducere, & ſuo ſplendori reſtituere aggrediamur, quandoquidem efficaciſſimis conuicti argumentis id facimus, atque euidente inſtructi experientiâ, quòd Aduerſariorum opinio indiſſolubilibus nodis implexa ſit, præſertim cùm hæc noſtra ſententia facilè ſoluat argumenta partis aduerſæ, ſimúlque pro ſe rationes plurimas, firmiſſimáſque producat. Viderint igitur potiùs qui ſententiam Durandi, quam etiam facilè aduertere potuiſſent fuiſſe prætereà Auguſtini, Anſelmi, D. Thomæ, & aliorum quos tanto numero adduximus, temeritatis, hæreſeos, aut explorati in fide erroris infamare conati ſunt, ne rem præſtiterint Theologorum grauitate indignam, & Catholicæ fidei, ac Religioni non admodum vtilem.

XII. Dices tertiò, ſententia negans Concurſum Dei proximum, & immediatum ad actus noſtros liberos, & ad prauos, occaſionem dabit

Digitized by Google

dabit hæreticis pertinaciùs inhærendi erroribus ſuis: Nam dupliciter ratiocinantur, Primùm hoc modo, *Actio creatæ voluntatis tota efficitur à Deo immediatè & proximè; ergo non eſt libera reſpectu creaturæ.* Secundò hac ratione, *Deus concurrit proximè, & immediatè ad materiale peccati, ergo eſt auctor, aut ſaltem complex peccati.* vtriuſq; autem argumentationis hæc ſententia concedit cõſequentiam; Antecedẽs autem admittitur ab omnibus Theologis, vno, aut altero excepto, quos cæteri erroris dãnauerũt: ergo cùm Theologi ſtẽt à partibus hæreticorum quoad Antecedens, Satius erat negare illorum conſequentias, ne ſi eas probemus, ipſi contra Theologos glorientur.

Reſpondetur: quinimò ſententia noſtra videtur eſſe neceſſaria iuuandis, reducendíſque hæreticis, quibus ſtante oppoſitâ non facilè ſatisfiet. Error eorum fuit, quòd ex antecedente falſo, ſed quod erat tamen probabile tunc temporis ob plurium Theologorum, Philoſophorúmque ſententiam; intulerint conſequens apertè falſum, & contra fidem; cui cùm pertinaciùs adhærere voluerint, ab hæreſi excuſari non poſſunt. Ipſi non errant contra fidem in antecedente, aut in trahenda; ac deducenda conſequentia; non ſunt, inquam, hęretici propter antecedens, aut propter illationem, & conſequentiam, ſed propter vtrumque illud conſequens, quod cùm ſit impoſſibile, & contra fidem, euidenter oſtendit falſum eſſe, ac impoſſibile ipſum etiam antecedens ex quo vtrumque huiuſmodi conſequens legitimè ſequebatur. Proſtat enim certiſſima Dialecticorum regula, *illud eſſe impoſſibile, ex quo ſequitur impoſſibile*: Speramus autem futurum, vt correcto, reformatóque illo antecedente, hęretici faciliùs intellectum ſuum ſint demiſſuri in obſequium fidei, atque ab illo peſſimo, & blaſphemo conſequente (quod ſummopere optandum eſt) receſſuri: tantùm abeſt vt noſtra ſententia erroribus hæreticorum faueat. Neque verò iniuriam vllam hac in re facimus Aduerſariis, abſit enim hoc à nobis, vt eos cum hæreticis inuoluamus, aut vt dicamus antecedens illud quod eſt eorum omnium commune, fidei Catholicæ perſpicuè repugnare, ſolùm enim contendimus illud eſſe falſum, & corrigendũ, & ex illo legitimè deduci duplex conſequens ab Eccleſia damnatum, & apertè reprobatum, ad eum ſanè modum quo inficiatores prædeterminationis phyſicæ abſque vllo conſcientię ſcrupulo de-

monſtrare conantur, ex eadem prædeterminatione phyſica ſequi deſtructionem libertatis humanæ, diuinæque innocentiæ, ac ſanctitatis, neque tamen propterea habere dicuntur pro hæreticis Aſſertores eiuſdem phyſicæ prædeterminationis, ſed ſolùm ex falſitate conſequentis quod ex eorum ſententia legitimè ſequeretur, demonſtrare conantur, quòd impoſſibile, ac falſum fuerit ipſum etiam antecedens: Rurſùmque Prædeterminantes eodem argumentandi genere viciſſim vti ſolent aduersùm Aſſertores Scientiæ Mediæ, quos tantùm abeſt vt de hæreſi damnent, vt potiùs eos habeant pro eruditiſſimis, & Catholiciſſimis.

Itaque non fauemus hæreticis magis quàm Auctores Concurſus immediati eiſdem hæreticis faueant; Ipſi enim fauent hæreticis in Antecedente, id eſt conueniunt cum ipſis in Antecedente, damnant autem conſequentiam, & conſequens ſimul; Nos conuenimus cum hæreticis in trahenda conſequentia, ſed damnamus eos quoad Antecedens, & quoad vtrumque conſequens, cum diſcrimine tamen, nam Antecedens quidem damnamus tantummodò vt falſum, non etiam velut hæreticum, conſequens autem, & vt falſum, & vt hæreticum: Confidimus autem nos hac in re conformiter ad mentem Concilij Trident. eſſe locutos, vide quæ cap. 13. in fine dicturi ſumus.

---

## CAPVT VIII.

### *In quo oſtenditur multitudinem recentiorum Aſſertorum Concurſus proximi, & identificati, qui aduerſùm nos producuntur, non eſſe nobis hac parte admodum formidandam.*

I. QVia Aduerſarij gloriantur ſe innumerabilem penè contra nos teſtium multitudinem, ac nubem poſſe adducere; breuiter monendus

monendus eſt æquus lector & Iudex, quòd quemadmodum varia ſunt in iudiciis teſtium genera, quibus nulla aut ferè nulla adhibenda eſt fides; eò quòd alij ſint inhabiles, alij varij; alij ambiguè, confuſéque deponentes, alij de auditu ſiue credulitate, nullam tamen rationabilem Scientiæ aut credulitatis ſuæ cauſam adferentes, aut aliquo alio huiuſmodi vitio ac defectu laborantes: ita in hac diſceptatione literaria non eſt ſatis referre quid quis dicat, & quæ pars aliam Auctorum præſertim recentiorum numero ſuperet; ſed ſedulò ponderandum eſt, quo iudicio, quâ ratione loquatur quis, & quam probabilem cauſam dicti ſui ac ſcientiæ adferat; ac propterea opportunum fuerit pauca de qualitate teſtimoniorum quæ contra nos producuntur annotare, non vt Auctorum dignitati detrahamus; ſed vt eorum teſtimonia, quæ ſemper alibi veneramur, hac duntaxat parte repellamus, oſtendamuſque eos non eſſe in hoc iudicio teſtes omni exceptione maiores; qua profectò in re nullam illis iniuriam irrogamus; Nam quò ipſi maiore pollent auctoritate, eò gratius illis eſſe debet vt falſæ eorum ſententiæ (ſi quas fortè habuerint) detegantur, ne vllum Eccleſiæ Dei nocumentum Doctrinâ & auctoritate ſuâ inferant, cui maximè prodeſſe voluerunt.

Dico igitur primò; Maxima pars Doctorum veterum qui pro neceſſitate Concurſus proximi & identificati contra noſtram ſententiam adducuntur, ſolùm docuit Deum eſſe cauſam primam cuiuſlibet actus noſtri, non explicando An ipſe eſſet cauſa proxima & immediata; An verò duntaxat remota ac mediata; aut ſi eorum aliqui vſi ſunt hac voce *immediata*, non expreſſerunt tamen de quo genere *immediationis* loquerentur; qui idcirco pro nobis potiùs quàm pro aduerſariis citari debent, quia eorum ratio, quæ eſt anima teſtimonij; potius indicat Concurſum Dei remotum & mediatum, quàm proximum & immediatum; quemadmodum dictum eſt ſuprà cap. 5. Sed quia obiici poteſt eorum dicta non eſſe omnino perſpicua & expreſſa, ſiue pro noſtra, ſiue pro Aduerſariorum ſententia; idcirco plerique eorum inter teſtes ambiguè & confusè deponentes computari poſſunt, qui ſanè in iudicio non ſatis probant, quia obſcurum, confuſum, aut ambiguum dictum ſecundùm ius habetur pro non dicto. II.

Dico ſecundò, aliqui eorum qui contra nos adducuntur, tamet- III.

ſi

ſi clarè, diſtinctè; & ſine verborum ambiguitate quæſtionem propoſuerint; An Deus eſſet cauſa proxima & immediata cuiuſlibet actus noſtri, fatentur tamen ſe ea de re dubitare, neque audere vel in hanc, vel in alteram partem definiendo iudicare: Sic Gregorius Ariminenſis *in 2. diſt. 34. & 35. quæſt. 1. art. 3.* An Deus ſit cauſa efficiens immediata actus mali: *de hoc dubio*, inquit, *ſunt ſolemnes opiniones contrariæ, quarum neutram temerè affirmando, &c.* & quamuis ibidem ſubdat ſe pro nunc concluſionem affirmatiuam tanquam probabiliorem tenere, quam etiam addit communius teneri à modernis Doctoribus, propter quod ipſe contra nos adduci ſolet, tamen ex hoc eius dicto ſaltem ſequitur eum hac in re fuiſſe dubium & perplexum; ac prætерea noſtram ſententiam per id tempus fuiſſe ſolemnem, & ſatis communem; quandoquidem ipſe dicit oppoſitam inter Modernos eſſe communiorem, quaſi dicat, eam ex minùs communi, qualis antea fuerat apud antiquos, nouiter apud Modernos euaſiſſe communiorem.

Et Capreolus *in 2. ſentent. diſt. 37. art. 3. circa medium*, cùm multa ex Gregorio Ariminenſi attuliſſet, de eodem Auctore locutus, ſubdit: *Apparet mihi quòd omnia dicta ſua ſtare poſſunt, præter vnum; ſcilicet quòd creaturæ poſſit communicari vt ſola agat aliquam actionem nullo alio concurrente*; ex quo apparet Gregorium exiſtimaſſe, non repugnare, vt Deus permittere poſſit creaturæ vt ipſa ſit adæquata & totalis cauſa ſuæ actionis abſque vllo influxu Dei proximo & immediato; quod quidem pro noſtra ſententia multum eſt per omnem modum; qui enim fatentur poſſibile eſſe vt Deus nobiſcum operantibus non concurrat proximè, immediatè, & identificè, procliue eſt vt fateantur eum de facto non ſic concurrere, præſertim ad actus prauos; & qui id conceſſerit de prauis; facilè adducetur vt idem etiam concedat in non prauis.

IV. Dico tertiò, illi Scholaſtici qui paulò ante, & circa tempora Concilij Trid. docuerunt Deum operari omnia opera noſtra proximè, immediatè, propriè, ac per ſe, videtur maximam occaſionē dediſſe hæreticis illius temporis inferendi Deū propriè & per ſe operari opera praua, & non tantū permiſſiuè, atq; adeo conſequenter Deū propriè & per ſe, & nō duntaxat permiſſiuè operatū fuiſſe proditionē Iudę, Dauidis adulteriū, & Manlij ſeueritatē quę erāt opera

praua

praua à Philippo Melanctone in exemplum adducta:& non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere:qua de re fuſiùs ſequenti capite; ſolùm enim hîc dico, hinc videri poſſe quòd illa ſententia Aſſertorum Concurſus proximi ad omnem actum,maximum Religioni Catholicæ attulerit detrimentum; ex quo ſequitur eorum aſſertionem in hac cauſa nullius apud nos fidei eſſe debere.

Dico quartò, Plurimi ſanè Moderni cùm Theologi, tum Philoſophi clarè, diſtinctè, & ſimpliciter etiam poſt Concilium Tridentinum docuerunt, hodiéque etiamnum docent, Deum concurrere ad omne opus noſtrum Concurſu proximo, & immediato; ſed ſaluâ meâ in eos dilectione, & obſeruantiâ, nullam etiam hac parte merentur fidem. V.

Probatur; quia ſi quæ iſti de hac materia tradiderunt, attentè conſiderentur, facilè apparebit in ſingulis aliquid ineſſe defectus, propter quod eorum auctoritas & teſtimonium plurimùm infirmetur.

Nam aliqui ſunt veluti teſtes tantùm de auditu & credulitate, qui contra Durandum teſtimonium dixerunt,prout ab aliis anteà dictum fuiſſe audierunt, nullam aliam nouam dicti ſui rationem adferentes.

Alij rationem aliquam dicti, & ſcientiæ ſuæ attulerunt, ſed omnino leuiſſimam, & quæ plus conferat ad minuendam, quàm ad augendam teſtimonij ſui fidem.

Alij tanquam teſtes varij vno loco identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ docuerunt; ſed non ſatis ſibi ſimiles alibi nonnulla dixerunt vnde iſtiuſmodi identitas,atque adeò immediatio, & proximitas Concurſuum facilè confutantur.

Alij in explicatione ſententiæ ſuæ de hac re quædam tradiderunt,quæ apertè dictis Conciliorum generalium contradicunt.

Vniuerſi autem in duas acies ſecti ita abs ſeinuicem diuiſi fuerunt in explicando modo coniunctionis Concurſuum, vt à quinquaginta plus minus annis aduersùm ſe acerrimè, quaſi agmine bipartito pugnauerint,nullo ferè alio maiore fructu, quàm quòd vtraque factio vtramque ſuperauit, & modum dicendi vtriuſque deſtruxit:vt non immeritò dicere liceat hanc tantam teſtium nubem,de qua Aduerſarij gloriantur,nobis hac parte non eſſe admo-

Qq dum

dum formidandam:& quidem vt de nonnullorum teſtimoniis citra cuiuſquam offenſionem aliquid in particulari adferamus.

Peſantius, Azorius, Trigoſius, Cotiolanus, Riccius, Murcia, Conimbricenſes,& alij recentiores Scholaſtici, ſententiam Durandi negantis Concurſum proximum,& identificatum, appellant ſententiam periculoſam, temerariam, erroneam, & Durandiſmum, aut quidquid ad ſententiam illam accedit damnant, & de ea loquuntur quaſi de aliquo errore intolerabili, quemadmodum ferè nos appellamus,damnamúſque Arianiſmum,Pelagianiſmum,Caluiniſmum: At profectò certum eſt, pleroſque ex illis Auctoribus non admodum diligentem operam in iſtius difficultatis examine poſuiſſe, ſed ferè eò turmatim ſequutos eſſe, quò alios viderant præeuntes;quod ſanè coniicere licet ex eo,quòd ipſi non nouis rationibus,auctoritatibus,aut Scripturæ locis,ſed iiſdem ferè omnes, & non aliis vſi ſunt ad refellendum quem vocant Durandiſmum; propter quod eorum multi non immeritò cenſeri poſſent veluti teſtes de credulitate,& de auditu: quòd autem iſti iidem, aliſque recentiores multi iudicium vſurpantes quod S. Sedi Apoſtolicæ reſeruandum erat, acri cenſurâ Durandum vexare non dubitauerint,parum nos mouere debet; ſiquidem facilè contingit eos quibus non eſt promiſſus Spiritus veritatis, quique priuilegio infallibilitatis minimè gaudent, in cenſuris ferendis hallucinari, & grauiùs interdum errare,quàm ij quos erroris damnant: Atque id ſanè videtur iſtis auctoribus accidiſſe, eò potiſſimùm quòd in hac Durandi cauſa definitionem Concilij Tridentini ſeſſ. 6. canone 6. non conſuluerint.

P. Suarius in opuſculis lib. 1. de Concurſu Dei cum voluntate cap. 4. in hac eadem materia docet omne opus creaturæ fieri à Deo verè,propriè, & per ſe; addítque illud fieri propriè, & per ſe ab aliquo, quod fit ab eo directè, & immediatè: Concilium verò Tridentinum loco immediatè citato, ſeſſ. 6. can. 6. definit Deum non operari opera noſtra praua propriè, ac per ſe, ſed tantùm permiſſiuè: & nos toto cap. 9. ſequente oſtenſuri ſumus iſtud P. Suarij dictum definitioni Concilij è regione eſſe contradictorium.

Deinde idem ipſe Pater admiſsâ neceſſitate Concurſus identificati,& proximi, concedere non audet in Deo Concurſum illum ſuum

ſuum exhibituro, decretum particulare, efficax, & abſolutum, exhibendi Concurſum illum proximum, & identificatum ad ſingulos actus noſtros; quia ex eiuſmodi decreto fatetur ſecuturam eſſe deſtructionem humanæ libertatis,& diuinæ ſanctitatis; cùm tamen ex neceſſitate Concurſus proximi, & identificati euidenter ſequatur neceſſitas decreti particularis, abſoluti, & efficacis; prout alibi fuſiùs.

P. Vaſquez admiſsâ illa neceſſitate Concurſus identifici,& immediati, conſequentiùs admittit decretum particulare, abſolutum,& efficax illius nobis exhibendi; ſed reuerà admiſſo illo ſaluare non poteſt creatam libertatem, nec diuinam innocentiam quoties contigerit Concurſum identificatum exhiberi ad actum prauum,quemadmodum oſtendimus proprio loco.

P.Valentia 1.parte diſp.3.q 1.de Deo Creatore. puncto 1. dicit certum eſſe ex fide quòd Deus ſit cauſa efficiens immediata omnium rerum;idque planè conuinci ex teſtimonio ſacrarum literarum,& Patrum;& Durandum valdè temerè contrarium docuiſſe

At ſanè plerique alij Aſſertores Concurſus identificati, & proximi fatentur propoſitionem illam non eſſe de fide, & nos facilè oſtendemus peculiari capite loca ſcripturæ ab Aduerſariis pro ſe afferri ſolita, nihil minus ſignificare quàm Concurſum Dei proximum,& immediatum ad omnem actum.

Ratio autem quam adfert P. Valentia contra Durandum adeo infirma eſt,vt Theophilus Raynaudus in Theologia naturali meritò dixerit euidens eſſe, argumentum illud Patris Valentiæ nihil valere:erat autem huiuſmodi argumentum.Deus immediatè vult, & intelligit omnia fieri quæcunque fiunt,& exiſtunt: Ergo neceſſe eſt ea fieri,& exiſtere Deo immediatè faciente,& producente;quia Deus non aliter agit quàm intellectu, & voluntate, eò quòd alias potentias non habeat. Cuius rationis manifeſtiſſimam infirmitatem oſtenſuri ſumus reſponſione ad argumenta aduerſariorum ſub finem huius quartæ partis: ſolùm enim hîc rogatum lectorem volumus,vt æquo iudicio ſtatuat;An ſit nobis magnopere metuenda hac in re auctoritas P.Valentiæ,ac præterea vt ex ipſius argumenti leuitate,de aliorum etiam teſtimoniis,quorum magna pars minoris multò quàm ille auctoritatis eſt,iudicium ferat.

Hurtadus de Mendoza cùm in anterioribus quinque editionibus curſus ſui philoſophici ſententiam quam impugnamus ſecutus fuiſſet;nimirum quâ aſſeritur indiſpenſabilis neceſſitas Concurſus proximi, immediati,& identificati ad ſingulos actus noſtros, bonos,ac malos,tamen in poſtrema editione anno 1624 Lugduni euſa,circa hác controuerſiam nonnulla ſuperaddidit diſp.10.phyſicæ, ex quibus apparet erudítiſſimum Patrem circa neceſſitatem diuini Concurſus immediati, & proximi eſſe perplexum : tametſi enim concluſione 6.dicat ſententiam quæ aſſerit de facto Deum noluiſſe concurrere,ſcilicet influxu proximo,& identificato cum creaturis,non eſſe tutam(exceptis quidem actibus prauis, ad quos probabile eſſe putat Deum non ſic concurrere)tamen concluſ.4. præcedente varias cumulat rationes quibus ſatis oſtendit probabilem ſibi eſſe ſententiam,quæ docet poſſe Deum cum creaturis ad earum effectus concurrere, & poſſe non concurrere ; pro arbitratu ſuo:*Nimirum*, inquit,*quia nullum teſtimonium Scripturæ oſtendit Deum neceſſariò concurrere ad actiones omnes, nec definitio vlla Conciliorum, aut Pontificum, nec conſpirarunt Doctores Eccleſiæ vniuerſi, nec ratio eſt manifeſta,imò potiùs ratio videtur oppoſitum ſuadere : quia* inquit, *Dei perfectio quidem eſt quod poſſit efficere res omnes, actualis autem effectio eſt Deo extrinſeca denominatio,quæ nulla perfectio eſt Deo: Item, omnes cauſæ etiam tunc penderent à Deo in cauſando, quia ita cauſarent ex arbitratu Dei,qui ſolâ ſuâ virtute ſineret eas ita cauſare, penderent item à voluntate Dei directè volente,aut permittente actiones creaturarum, ratione cuius dici poſſet omnium cauſa etiam immediata*; & confirmat ex eo quòd contra eam ſententiam nullum ſit efficax argumentum,quemadmodum ipſe oſtendit ſolutione communium rationum quibus antea vti aduersùs eam conſueuerat.

Quinimò idem Auctor ſubſect. 3. §. 42. dicit, ſententiam quæ docet Deum de facto non concurrere ad actum qui eſt peccatum influxu immediato phyſico non eſſe contra Scripturas, & à multis Patribus ac Scholaſticis ſuſtineri;à qua tamen ſententia non ſum ego, inquit, adhuc enim communiorem ſequor Scholaſticorum ſententiam, quibus verbis, ac præſertim illâ particulâ ( adhuc communiorem ſequor)apertè ſignificare videtur ſe aliquid expectare quod ſi pro votis ſuccederet, ipſe priorem illam ſententiam de

Digitized by Google

de omnimoda neceſſitate Concurſus diuini proximi ad quamlibet actionem creaturæ eſſet deſerturus, ſi verò non ſuccederet, in illa eſſet permanſurus; videtur autem expectare voluiſſe diligentius examen Doctorúmque iudicium ac cenſuras.

Didacus Ruiz, tametſi variis locis doceat identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ, vt in tomo de voluntate Dei, & in altero qui eſt de prouidentia, tamen erumpente ac ſe prodente veritate, alibi quædam habet quæ potiùs indicare & ſignificare videntur Concurſum Dei eſſe aliquid ſeparabile ab actu creaturæ ad quem huiuſmodi Concurſus tendebat.

Sanè iſte Auctor tomo de Scientia Dei diſt. 59. ſect. 1. concluſ. 1. quæ eſt contra Prædeterminantes num. 6. tametſi aliud intendens, egregium pro ſententiæ huius noſtræ auctoritate teſtimonium dedit, vbi ſic habet: *Phyſica prædeterminatio non continetur expreſſè in Scriptura ſacra, neque definitur à ſummis Pontificibus, ſacriſue Conciliis, neque traditur à Patribus Eccleſiæ; imò potiùs hæc omnia, ſi benè conſiderentur, efficaciter probant poſſibile eſſe actualiter diſſentire, etiam in ſenſu compoſito, cum Concurſu primæ cauſæ, atque motione diuina: Ergo recta ratio prudentiæ*, &c. Quibus ex verbis ſumo hæc poſtrema; *hæc omnia* nimirum *Scriptura ſacra, Summi Pontifices, Concilia, & Patres Eccleſiæ efficaciter probant poſſibile eſſe actualiter diſſentire, etiam in ſenſu compoſito, cum Concurſu primæ cauſæ atque motione diuina.* Vnde licet conficere argumentum: Si Concurſus primæ cauſæ, & motio diuina (ſcilicet tendens ad conſenſum, aut ſaltem coniungibilis cum conſenſu) tamen componi poteſt, id eſt, ſimul poni cum oppoſito actu diſſenſus, planè ſequitur Concurſum Dei tendentem ad conſenſum non identificari cum actione conſenſus, nec contrà Concurſum ad diſſenſum identificari diſſenſui; ſed potius Concurſum Dei generalem eſſe aliquid realiter diſtinctum ab illa actione quæ à creatura producitur, idem enim à ſeipſo diſiungi, & ſeparari non poteſt.

Itaque Didaco Ruiz teſte, ſententia quæ negat Deum debere neceſſariò Concurrere ad actus noſtros Concurſu identificato, & indiſtincto, habet pro ſe Scripturam ſacram, Summos Pontifices, Concilia, & Patres Eccleſiæ; Neque dici poteſt Ruizium intelligendum eſſe de Concurſu cauſæ primæ ad diſſenſum; ita vt ſenſus il-

lius ſit, Scripturam, Pontifices, Concilia, Patres, ſi benè conſiderentur, efficaciter probare poſſibile eſſe actualiter diſſentire, etiam in ſenſu compoſito, cum Concurſu cauſæ primæ, atque motione diuina tendente ad diſſenſum; quia iſte ſenſus eſſet ridiculus, neque deceret tantum Theologum contra Prædeterminantes eruditiſſimos diſputantem.

Neque dicas ſecundò, eundem Patrem Ruiz alibi ſæpè profiteri Dei Concurſum generalem identificari realiter cum actione creaturæ; quia non eſt mihi animus varia iſtius Auctoris dicta conciliare adinuicem, ſed oſtendere rectiſſimè illum vbi ſuprà pronuntiaſſe, verbis ſaltem æquiualentibus, Concurſum ſeu actionem Dei non eſſe eandem indiuiſibilem actionem creaturæ; idque Patres Eccleſiæ, & Concilia docuiſſe: facile enim contingit, vt qui Syncero animi propoſito veritatem inquirunt, tametſi aliquâ falsâ teneantur ſententiâ, plerumque tamen in aliis affinibus materiis aliqua vera dicant, ex quibus poſteà vel ipſimet à priore illa ſua ſententia quæ falſa erat pedem retrahant, vel ab aliis redarguti, conuincantur, vt verum ſit quod vulgò dicitur; veritatem erumpere vel ab inuitis.

Ampliùs, idem Auctor tomo de prouidentia tract. 2. de præfinitionibus diſp. 11. ſect. 2. num. 15. docet, *quòd ſi concedatur ad actum totus ille Concurſus qui requiritur vt actus ſit abſolutè poßibilis; quamuis nulla maior vehementia concedatur; nihilominus aliquando continget actum elici, dummodò ſit alioqui facilis; ſed ſi magna ſit illius actus difficultas, tunc ratione difficultatis, potius quàm ratione ſubtractionis Concurſus; ſequetur infallibilitas omißionis, Iuuabit tamen ad eam infallibilitatem effectiui Concurſus tenuitas, ac diminutio*: Hæc ille.

Rurſúmque paulò pòſt num. 19. Addit, Concurſum comparatum ad eundem actum producendum cum eadem intenſione, poſſe eſſe vehementiorem, fortiorem & eminenter intenſiorem, aut econtrariò tenuiorem, ac remiſſiorem; quæ omnia ſignificare videntur Concurſum Dei eſſe aliquid præuium, & antecedens operationem creaturæ, atque ab ea ſeparabile: Neque verò poteſt id explicari de Concurſu in actu primo, vt vocant; vel de voluntate concurrendi, cùm ipſa non poſſit eſſe modò tenuior, ac remiſſior: modò fortior ac vehementior.

Ægidius

Digitized by Google

Ægidius de Coninch lib. de Sacramentis quæſt. 77. art. 1. dub. 1. num. 3. docet Deum dum concurrit cum Sole ad illuminandum influere Concurſu indeterminato; ita vt ſpectato præciſè modo quo Deus influit, Concurſus illius non magis natus ſit, ſiue determinatus producere lumen quàm calorem; eundem verò quando ſolus producit lumen influere modo quodam determinato ad hunc effectum in particulari; ita vt ſpectato præciſè modo quo Deus hic & nunc influit, neceſſariò producatur hoc lumen: Vnde ſequitur, ex mente iſtius auctoris, Concurſum Dei cum Sole ad productionem luminis non eſſe ipſiſſimam luminis productionem, ſeu illuminationem; ſed aliquid præuium, antecedens, & ab ea ſeparabile; ſiquidem illuminatio à Sole profecta, non eſt indifferens atque indeterminata vt per eam producatur lumen aut calor; ſed eſt omnino determinata vt per eam lumen tantummodò producatur; cùm ſit ipſum fieri, & dependentia luminis; non poſſit autem eadem ipſiſſima actio ſimul eſſe determinata & indeterminata vt per eam lumen producatur: Igitur iſte auctor vel non ſtat à partibus Concurſus, identificati, proximi, immediati, & ſimultanei vel ſi eiuſmodi Concurſum admittit non eſt ſibi ipſi conſentaneus, noſque illum inter teſtes varios qui deponunt contraria computamus.

P. Arriaga nuperrimè diſp. 10. phyſicæ ſect. 1. ſubſect. 2. vtrum Deus immediatè concurrat non ſolùm ad conſeruationem ſubſtantiæ, ſed etiam ad omnes illius operationes, multa habet quæ plurimùm nobis fauent, tametſi ipſe etiam ſteterit à partibus Concurſus immediati.

Imprimis enim numero 9. fatetur loca Scripturæ quibus Auctores Concurſus proximi, & identificati ſe tuentur, non facere concluſionem de fide; ſed ſummùm inquit, longè probabiliorem: At ſanè facerent illam de fide, ſi deberent intelligi de influxu immediato in omnes actus noſtros.

Deinde verò numero 10. & ſeqq. vſque ad 21. profert ea argumenta quibus maximè iidem Aduerſarij noſtri innituntur; fateturque ea nihil aut parum concludere contra noſtram ſententiam. Et poſtea num. 21. *Quam ergo*, inquit, *rationem pro immediato Dei Concurſu reddemus*? & reſpondet. *Dico illum de facto concurrere immediatè;*

*diatè; quia ſuppoſitâ non repugnantiâ in tali Concurſu quam ſtatim monſtrabo, & cùm Scriptura illum videatur ſignificare, conſentiántque Patres Eccleſiæ, & tandem ferè omnes Scholaſtici Doctores videtur hæc efficaciſſima probatio pro quæſtionibus de facto*: monétq; aduertendū eſſe etiamſi quælibet ex adductis rationibus non ſit efficax, (ſcilicet quas paulò ante dixerat non vrgere nec concludere, & vel petere principium, vel niti tantùm verbis) omnes tamen ſimul ſumptas ſatis probabiliter oſtendere eum immediatum Concurſum; Ego verò dicendum potius aio; cum ſingulæ rationes illæ inutiles ſint, totam earum collectionem ad probandum intentum eſſe omnino inefficacem.

Idem ſubſect. 3. An poſſit Deus pro libito ceſſare à Cōcurſu immediato in actiones creaturę, ſubſtituēdo aliam cauſam in vicē ſui; propoſitis argumentis partis affirmatiuæ ita concludit; *Ego in hac quæſtione fateor me non inuenire repugnantiam; tamen quia per hoc minuitur quodammodò dependentia creaturarum à Deo, putarem id non poſſe fieri, & quia malè apud Theologos audit ſententia Durandi quàm iſte modus dicendi videtur olere.* Ex quibus ſi attentè conſiderentur euidenter liquet, iſtius tametſi eruditiſſimi Patris, hac parte, id eſt, pro Concurſu immediato, auctoritatem non niſi perexigui apud nos ponderis eſſe poſſe.

Nihil dicam modò de quibuſdam Theologis qui auditâ, & lectâ noſtrâ ſententiâ negante Concurſum Dei proximum & identificatum ad omnes actus noſtros eſſe neceſſarium; tantâ in eam ferocitate inſurrexerunt, vt potiùs hoſtili more, ac impetu perſequi illam voluiſſe videantur, quàm amicâ rationum collatione, aut argumentis aduerſus eam dimicare; huiuſmodi enim generis hominum teſtimonia in iudicio ad æquitatis trutinam inſtituto fidem non faciunt.

Dices; maximum argumentum veritatis eſt, aliquid omnibus videri, aut prope omnibus; iiſque ſapientibus & eruditis: & videtur ſanè iniuria fieri tantis hominibus vtriuſque partis, qui cùm in aſſerenda neceſſitate Concurſus proximi conueniant, ægrè laturi ſunt quòd vtrique habeantur, dicantùrque falſi, & decepti; præſertim cùm pleriſque eorum hæc noſtra ſententia in mentem venerit, quam non abieciſſent, ſi veritatis in ea veſtigium apparuiſſet; poterúntque

runtque de nobis dicere id quod ex Ireneo lib. 3. c. 1. quidam nobis improperat, *Gloriantur ſe emendatores eſſe.*

Reſpondeo; etiam ſententiam noſtram plurimis Patribus, ac Theologis, præſertim veteribus fuiſſe viſam: & me honorem vtrique Aduerſariorum parti debitum tribuere, dum aſſero vtriuſque aciei Doctores pro veritate pugnaſſe; nō quidem in omni eo quod ab eis affirmatum, ſed in eo quod ab eis negatum fuit, quatenus nimirùm vtraque pars fortiter obſtitit, ne contrariæ parti victoria cederet: quod autem diximus eos in putata illa Concurſus Dei proximitate, & identitate cum influxu creaturæ fuiſſe deceptos; id citra cuiuſquam offenſionem, & cum modeſtia dictum optamus: quemadmodum enim dixit Auguſtinus, *homines ſumus; aliter autem aliquid ſapere quàm ſe res habet, humana tentatio eſt; in nullo verò aliter ſentire quàm ſe res habet, Angelica perfectio eſt quam nondum habemus.*

Porrò, ſententiam ab Antiquis Theologis traditam inſtaurare, ac renouare velle; non eſt gloriari ſe emendatorem eſſe; ſed trita à maioribus veſtigia premere, quod in nobis, vt opinor, reprehendi non debet: cùm nihil prohibeat etiam minus oculatum in rem vnam attentiùs oculos figentem, aliquid ab aliis ſibi indicatum, & præmonſtratum intueri, quod multorum aciem, tametſi longè acutiorem, præterierat eò quòd ipſi in alia plurima obtutum, animúmque diſtraxerant. Atque vt eſt in veteri prouerbio, aliquando olitor eſt opportuna locutus; quin ipſum etiam ſubiugale animal ſemel Deo volente vera locutum eſt: Vt quid ergo moleſtè ferant, ſi nos humiliter, & ſine vehementiore aliorum inſectatione, ac ſine verbis contemptum præſeferentibus, aut graui cenſurâ, deceptionem eorum conamur oſtendere, ſententiam illam proponentes quam conſcientia noſtra iudicauit eſſe veriorem?

Quapropter expendendum deinceps erit, num fortè Aduerſariis; An verò potiùs nobis Patrum in Concilio Tridentino congregatorum teſtimonia ſuffragentur.

# CAPVT IX.

*In quo oſtenditur falſitas ſententiæ Aduerſariorum, ex eo quòd in Concilio Tridentino definitum fuerit, actum realem & phyſicum peccati, ſeu ſubſtratum malitiæ, vt vocant, de facto non produci à Deo nobiſcum operante per ſe, ac propriè.*

I. SEntentia quam impugnamus docet ac prætendit, quemadmodum iam ſuprà aliquoties diximus, omnem prorſus operationem creaturæ non modò honeſtam, aut indifferentem; ſed etiam turpem produci à Deo nobiſcum operante proximè, immediatè, & identificè, iiſdémque rationibus & nullis ferè aliis vti ſolet ad probandum eum ſic concurrere ad actus bonos, quibus vtitur ad probandum eum ſic concurrere ad actus malos; ex quo ſequitur quòd ſi perſpicuè oſtenſum fuerit ex Concilio Tridentino Deum non ſic concurrere ad actus malos, Aduerſariorum ſententia apparebit manifeſtè falſa; noſtra autem vera, & certa; quia ad oſtendendam falſitatem propoſitionis vniuerſalis; ſufficit oſtendiſſe quòd ea verificari non poſſit in aliquo particulari; vnde ſi oſtenſum fuerit Deum non cooperari proximè & identificè ad actum prauum; euidens quoque fuerit eum non ſic cooperari ad omnem actum; quandoquidem actus malus, aliquis actus eſt.

II. Itaque vt ad propoſitæ veritatis demonſtrationem accedamus; obſeruandum eſt: Cùm ex ſententia afferente Deum operari omnia opera noſtra, etiam praua proximè, immediatè, propriè, ac per ſe, quæ ante tempora Concilij Trid. erat probabilis (propter aliquorum non infimi nominis Theologorum auctoritatem) hæretici ſucceſſu temporis inferre cœpiſſent, Deum *non tantùm permiſſiuè, ſed etiam propriè, ac per ſe operari opera noſtra praua*; Ex quo etiam rurſùm inferebant, *non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, & proditionem Iudæ, non minùs eſſe proprium opus Dei, quàm vocationem Pauli;*

*li*;ex quibus ſanè propoſitionibus maxima viuendi licētia, & quidlibet audendi libido profecta eſt; Patres in Sacroſancto Concilio Tridentino congregatos Canonem edidiſſe, quo tùm antecedens ipſum,tum etiam conſequens hæreticum Anathemate percuſſerunt ſeſſ.6 can.6.his verbis, *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera,ita vt bona,Deum operari,non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema ſit*: in cuius decreti explicatione Pater Suarius lib. 2. de Concurſu Dei ad actus ordinis naturalis cap. 2. perſpicuè oſtendit Concilium Tridentinum non agere ibi de malitia formali operum noſtrorum; ſed de ipſis malis operibus,quæ propriè non dicuntur niſi actus ipſi reales qui à voluntate fiunt; quia ſcilicet Concilium damnare debuit,ac voluit propoſitionem in eo prauo ſenſu, in quo hæretici illam aſſerebant; aſſerebant autem Deum operari propriè,ac per ſe opera noſtra praua,non autem ipſam malitiam, ſeu formale, aut deformitatem peccati: Rurſúmque ſubiungit idem Auctor, Concilium verbis illis, *non permiſſiuè ſolùm, ſed propriè, ac per ſe*, voluiſſe excludere à Deo omnem cauſalitatem per ſe, ac propriam reſpectu actionis prauæ ſumptæ etiam pro materiali, vt aiunt, ſeu quatenus eſt ens reale,phyſicum,& poſitiuum.

Et Didacus Ruiz de voluntate Dei diſp 31. & 32. adductis plurimis auctoritatibus, & rationibus, probat Patres omnes, atque adeò etiam Concilium Tridentinum docuiſſe, non modò malitiam,ſed etiam materialem operationem peccati non fieri per ſe, ac propriè à Deo; ſed duntaxat permitti; notátque, non caſu,ſed magno Dei conſilio factum eſſe, vt cùm facilè poſſet Tridentinum dicere,*malitiam Deus non operatur per ſe*:dixerit tamen,*mala opera*, quo videlicet complexo priùs ſignificatur opus ipſum materiale,ac deinde illius malitia.

Quæ omnia tametſi videntur nobis perſpicua, & veriſſima; nihilominus tamen tantùm abeſt vt Catholici Theologi,poſt illam III.
Sacroſancti Concilij definitionem, exiſtimauerint ibi eſſe prohibitam propoſitionem vniuerſalem, quæ aſſerebat omnem actum noſtrum coëffici à Deo proximè,immediatè, propriè, ac per ſe; vt potiùs idem P. Suarius lib.1.de Concurſu Dei cap.4.propoſitâ ſen-

Rr 2 tentiâ

tentiâ Durandi negantis actionem peccaminoſam eſſe à Deo proximè, & immediatè; oppoſitam affirmantem num. 2. aſſeruerit in hunc modum. Vera tamen,& certa doctrina,in qua conueniunt reliqui omnes,etiam qui de auxilio Dei,vel de modo diuini Concurſus aliter & aliter ſentiunt, (id eſt,tam Prædeterminãtes quàm eorum Aduerſarij) eſt; omnem virtutem creatam, atque etiam voluntatem liberam, & ad actus liberos, præter conſeruationem ſui eſſe quam habet à Deo, indigere actuali eius auxilio, vel Concurſu,quo talis actus verè,propriè, ac per ſe fiat; quam ſententiam ait doceri non modò à Theologis,ſed etiam à philoſophis; addítque in decurſu opuſculi eam intelligi non modò de actibus bonis, aut indifferentibus; ſed etiam de prauis,ob paritatem rationis;conatúrque eam probare adductis variis ſcripturis, quas omnes peculiari capite fideliter propoſitas oſtendemus nihil minus ſignificare quàm Concurſum illum proximum, immediatum, per ſe,ac proprium ad ſingulos actus noſtros; hac præſertim ratione præter cæteras; nimirùm, quia ſi id probarent ſequeretur contradictorium definitionis Tridentinæ eſſe verum, quod tamen dici non poteſt ſaluâ fide.

Sanè, quemadmodum duæ iſtæ propoſitiones contradictoriè opponuntur: *Omnis homo eſt albus*,& *aliquis homo non eſt albus*. Ita hæ quoque videntur eſſe contradictoriæ, ſcilicet, *Omnis actus humanus fit à Deo verè, propriè, ac per ſe operante*, quam ſententia Aduerſariorũ aſſerit; & hæc altera;*aliqui actus humani*(nimirùm praui & mali)*non fiunt à Deo propriè ac per ſe, ſed ſolùm permiſſiuè* quam Concilium definiuit:Ex quo ſanè perſpicuè liquet,vel hâc vnâ ratione,tametſi nõ adeſſent aliæ,noſtram ſententiam eſſe veriſſimam,oppoſitam verò corrigendam, atque ad normam Concilij reformandam; mirúmque mihi meritò accidit, quòd Aduerſarij ſententiam ſuam explicantes,non aduerterint ſe eaſdem planè particulas *propriè, ac per ſe*,in propoſitione ſua affirmante, poſuiſſe; quas Concilium in oppoſita negante adhibuerat,aut ſi aduerterunt;nihilominùs ſcrupulum nullum habuerint, cùm tamen certum ſit eos qui dicunt Deum non operari opera noſtra praua immediatè, & proximè, conformiùs multò ad mentem ac verba Tridentini eſſe locutos, quàm eos qui dicunt eum operari omnia opera noſtra immediatè,

& pro

Digitized by Google

& proximè; quia operari immediatè, & proximè, eſt operari per ſe, ac propriè; operari verò illa remotè ac mediatè, eſt operari illa ſolùm permiſſiuè, impropriè, & per aliud, nimirum mediante libero arbitrio hominis; quæ tamen omnia eo animo dicta eſſe velim, vt ſit ſenſus meus ab omni exaggeratione, & ſententiæ contrariæ offenſione alienus.

Atenim inquies primò, P. Suarius eodem ſecundo lib. de Cōcurſu Dei, capite item 2. difficultatem iſtam præſentiens, ſibi ipſi eam obiecit, & explicauit his verbis, Dices; ſi definitio Concilij efficax eſt contra Prædeterminantes, etiam eſt excludendus Concurſus generalis ex vi eiuſdem definitionis, Nam per Concurſum generalem verè Deus *eſt cauſa per ſe* effectus in quem influit; ſi ergo Concilium loquitur de toto actu, etiam pro materiali, & negat Deum operari illum propriè, & per ſe, negat ſanè generalem Concurſum, præſertim cùm addat particulam excluſiuam, *permiſſiuè tantùm.* IV.

Reſpondet autem Suarius; hinc optimè percipi mentem Concilij: Cùm enim ait, *permiſſiuè tantùm*, ſignificat ſubinde permiſſionem naturâ ſuâ requirere oblationē Concurſus de ſe indifferentis, ſeu non determinati ad vnum, nec Prædeterminantis ad vnum eum cui datur, quia hæc iam non eſſet permiſſio, ſed omnimoda determinatio: Tandem ſignificat, ideo non poſſe dici Deum propriam, & per ſe cauſam mali operis; quia non Prædeterminat ad illud, vt hæretici dicunt; neque offert determinatum Concurſum ad illud ſolum: concedo ergo loqui Concilium de actu malo ſecundùm ſe, etiam vt actus eſt à tali creata voluntate, liberè, poſitiuéque factus; hunc verò negat (Concilium) poſſe refundi in Deum vt in primum auctorem, & cauſam propriam, id eſt, ex ſe determinantem abſolutè, & efficaciter ſuum influxum ad illum; & ideo non ſequitur excludi generalem Cōcurſum, qui de ſe indifferens eſt, vt capite ſequenti latiùs exponemus, vbi etiam oſtendemus hanc fuiſſe communem Scholaſticorum omnium ſententiam qui punctum hunc diſtinctè attigerunt: hæc Suarez ibi; ex quibus conſtat eum difficultatem iſtam præſenſiſſe.

Sed contrà, quia inde planè ſequitur Patrem Suarium in hac reſponſione euidenter confirmaſſe ſententiam noſtram quæ negat

identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ; quia ſi Concurſus generalis Dei, eſt ipſa actio creaturæ, & non aliqua entitas ab ea diſtincta; profectò quemadmodum actio, & influxus creaturæ, exempli causâ actus amoris, non eſt indifferens & indeterminatus vt ſit actus amoris, vel odij, aut vt ſit hic, vel ille numericus actus amoris; ſed eſt adeo addictus, & determinatus ad hoc vt ſit id quod eſt, nimirum hic actus amoris, vt ſit impoſſibile, etiam per diuinam potentiam, actum illum eſſe aliquid aliud prȩterquam id quod iam de facto eſt; ita Concurſus Dei generalis identificatus cum actu amoris, eſt adeo determinatus vt ſit Concurſus ad amandum hoc numerico actu amoris, & nullo alio; vt impoſſibile ſit, etiam per diuinam potentiam, eundem numero ac ſpecie Concurſum conferri aut offerri ad eliciendum actum odij Dei, aut identificari cum actu odij Dei, aut cum vllo alio, præter eum ſolùm cum quo dicitur eſſe idem.

Itaque, ſi Concilium Tridentinum excluſit Concurſum qui ſit determinatus ad vnum actum, ſuppoſuitque Concurſum generalem qui ſit indifferens, & indeterminatus ad plures actus; euidenter ſequitur Concilium excluſiſſe Concurſum generalem identificatum aut indiſtinctum ab actu creaturæ, quem nos etiam negamus: ſuppoſuiſſe verò Concurſum generalem qui ſit indifferens, & indeterminatus, & qui vnus idémque valere poſſit ad plures actus, à quibus omnibus, & eorum ſingulis realiter diſtinguatur; qualem nos profectò admittimus.

Confirmatur; Quia dum P. Suarius dicit, quòd ſi Deus offerret exhiberétque Concurſum qui eſſet determinatus ad vnum actum, quando iſte actus eſſet prauus, refunderetur in Deum; quia tunc Deus eſſet propriè, ac per ſe cauſa, & non ſolùm cauſa permiſſiua illius, quod eſt expreſsè contra mentem ac verba Concilij Tridentini; ſequitur ad hoc, vt Deus non ſit cauſa propriè, & per ſe actus praui, neceſſe eſſe vt Concurſus generalis non ſit ipſe actus prauus creaturæ, aut aliquid identificatum cum illo, ſed aliquid diſtinctum ab actu, & quo poſito, etiam in ſenſu compoſito, adhuc iſte actus poſſit elici, aut non elici.

Denique, Cùm eodem Patre Suario teſte lib. 1. de Concurſu cap. 4. num. 4. *aliquid agere immediatè, & proximè*, nihil aliud ſit *quàm directè*

*directè ac per ſe influere in illud*; ſequitur apertè, quòd quemadmodum definitum eſt in Concilio, Deum non operari propriè, & per ſe opera noſtra mala, etiam ſumpta pro materiali;ita etiam cenſeri poſſet definitum eſſe, eum non operari illa immediatè,& proximè; & conſequenter Deum non operari omnia opera noſtra immediatè, & proximè; quandoquidem opera noſtra praua maxima pars ſunt operum noſtrorum: Dixi *immediatè, & proximè*; vt appareat me non negare Deum eſſe cauſam omnium operum noſtrorum *immediatam*,iuxta eum immediationis modum, quo cauſa immediata dicitur cauſa prima,& quæ non eſt media inter effectum, & aliam ſuperiorem cauſam à qua virtutem agendi acceperit;tametſi ea non ſit effectui proxima,proximitate cauſalitatis, & efficientiæ, vt aiunt,ſed ſolùm proximitate immenſitatis, & præſentiæ:Viderit qui volet P. Suarium lib. 1. de Concurſu Dei, cap. 4. vbi mentem ſuam & aliorum ſibi hac in re conſentientium explicat & cap. 2. lib. 2. de Concurſu,in quo prædictam Concilij definitionem elucidat,tametſi enim eam attulerit contra Prædeterminantium ſententiam,tamen facillimè agnoſcitur eam non minus perſpicuè aduerſari ſententiæ ipſiuſmet Patris Suarij admittentis Concurſum proximum & indiſtinctum, quàm illi Prædeterminantium contra quos eo loci diſputabat.

Dices ſecundò, ibi damnatos eſſe duntaxat eos qui aſſererent mala opera fieri à nobis,Deo ſuadente,aut exhortante,non minùs quàm ipſe ſuadet, & exhortatur ad bona: Sed contrà; quia error hæreticorum illius temporis non erat quòd Deus ſuadeat aut exhortetur ad actum peccati; ſed quòd ipſe operetur in nobis propriè, ac per ſe opera mala;vnde inferebant non eſſe relictam homini libertatem vt vias ſuas malas ad libitum facere poſſit, quod tamen ipſi non intuliſſent ex ſola ſuaſione, aut exhortatione; is enim qui alterum hortatur, ac perſuadet, auditori ſuo libertatem non adimit,ſed ſolùm morali quadam eum ratione ad operandum inducit. V.

Dices tertiò, fortè damnatos non fuiſſe eos qui dicerent, Deum verè quidem propriè, ac per ſe operari mala opera noſtra, modò dicerent eum non tanto affectu, neque eodem propoſito operari mala quo operatur bona; & hanc limitationem deduci poſſe ex illis VI.

verbis

verbis Concilij(*ita vt bona*) Atqui ſententia Aduerſariorum fatetur Deum libentiſſimè operari opera noſtra bona,mala verò non niſi cum repugnantia & auerſione;Sed contrà,quia potius euidens eſt Concilij propoſitum non fuiſſe definire quanto affectu & propoſito Deus opera noſtra bona,aut mala produceret,ſed abſolutè omnẽ veram,propriam, ac per ſe cauſalitatem reſpectu operũ noſtrorum turpium à Deo Sanctiſſimo remouere; ſolámque eorum permiſſionem admittere; Cuius tamen contrarium ſequeretur ex eorum ſententia,qui docerent eum proximè,immediatè, verè, propriè,ac per ſe producere omnes actus noſtros,bonos ac malos, tametſi dicere vellent eum non æquali affectu,aut deſiderio operari malos,quo operatur bonos: Adde quòd nõ datur in Deo inæqualitas,aut maior,minórue intenſio quoad affectũ,quoad effectũ autẽ, iſta ſententia quã impugnamus dicit eodem modò Deum operari omnia opera noſtra,ſcilicèt per ſe,ac propriè,immediatè , & proximé , quod eſt eum operari *mala,ita vt bona*,id eſt,ſicut & bona.

VII. Dices quartò,Concilium non damnauit propoſitionem iſtam ſeorſim prolatam,quod Deus operetur opera noſtra praua propriè ac per ſe;ſed illam coniunctam cum aliis quæ ibi referuntur; ſcilicet quod proditio Iudæ ſit proprium opus Dei , non minus quàm vocatio Pauli;& quòd homo non poſſit vias ſuas malas ad libitum facere;& quòd Deus opera noſtra mala faciat,ſicut & bona; ſcilicet propriè,& per ſe;& non tantùm permiſſiuè: At ſententia quam impugnamus non dicit hæc omnia, quin potius cæteras propoſitiones deteſtatur; ſolámque illam admittit quâ aſſeritur Deum operari opera noſtra mala , ſicut & bona, propriè,& per ſe,& non tantùm permiſſiuè.

Reſpondeo , potiùs eſſe incredibile quòd Concilium Tridentinum non damnauerit ſingulas illas propoſitiones, etiam ſolitariè, ac diuiſim ſumptas,quemadmodum hæretici eaſdem aſſerebant non modò coniunctim,ſed etiam ſeorſim ſumptas ; Nam ſi obiectio valeret,ſequeretur in eo Canone non fuiſſe damnatos qui ſolùm dicerent non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, aut qui ſolum dicerent proditionẽ Iudæ non minus eſſe propriũ opus Dei,quàm vocationẽ Pauli,niſi etiam reliqua affirmarẽt quę in Canone illo negantur;Cùm tamen exploratum ſit eum haben

bēdum eſſe pro hæretico,qui vnam aut alterā illarum propoſitionum,tametſi cum aliis minimè coniunctam, affirmaret;quare potiùs aſſerendum videtur, quòd quemadmodum damnantur qui dicunt non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; aut qui dicunt prodirionem Iudæ proprium opus Dei eſſe; ita etiam damnantur qui dicunt opera noſtra mala Deum operari per ſe, ac propriè, & pluſquàm permiſſiuè.

Reſpondeo ſecundò,apparere mentem Concilij ex iſta coniunctione trium propoſitionum in hoc eodem Canone:nimirum vt referret,ac damnaret eas eo modo,& eodem ſenſu quo ab hæreticis ſumebantur: Ipſi autem ſupponebant,Deum operari opera noſtra omnia per ſe,ac propriè,& non tantùm permiſſiuè; ſiue eſſent bona, ſiue mala; quæ propoſitio ab nonnullis etiam Catholicis Theologis exiſtimabatur eſſe probabilis: Poſtmodùm verò iidem hæretici ex ea deducebant, prodirionem Iudæ eſſe opus Dei per ſe,ac propriè, ſicut & vocationem Pauli: ex quo denique inferebant, non relinqui hominibus poteſtatem ad vias ſuas malas faciendas; quandoquidem ipſe Deus opera eorum mala per ſe, ac propriè in ipſis operari dicebatur; quod vtrumque conſequens cùm eſſet impium, & blaſphemum; ſimul cum antecedente ex quo ſequebatur anathematizatum, & damnatum fuit: Porrò cùm ſatis eſſet ad intentionem Concilij damnare conſequens & antecedens:de ipſa conſequentia,& illatione nihil dixit,neque definire voluit, An legitimè ſequeretur deſtructio libertatis reſpectu operum malorum,eorúmque non imputatio, ex propoſitione quâ aſſerebatur Deum operari ea per ſe,ac propriè,& non tantùm permiſſiuè.

Dices quintò,ex illa particula quam Concilium adhibuit, *ita vt bona*;videtur ſequi quòd Deus opera noſtra bona operetur propriè, & per ſe,& non tantùm permiſſiuè; operari autem per ſe, & propriè,eſt operari proximè,& immediatè:Ergo ſententia noſtra quæ negat Deum operari opera noſtra bona Concurſu immediato & proximo,repugnat Concilio:Probatur aſſumptum,Quia hęc videtur fuiſſe mens Concilij; Qui dixerit Deum operari opera mala per ſe,ac propriè, & non tantùm permiſſiuè; ſicut reuerà ipſe operatur bona per ſe,ac propriè,& non tantū permiſſiuè,anathema ſit. VIII.



Digitized by Google

Reſpondeo primò, obiectionem iſtam non tam pugnare pro ſententia Aduerſariorum quàm eandem infringere, ac deſerere; quia ex ea ſequitur omnes rationes quibus oppoſita ſententia nitebatur, nihil concludere; quandoquidem Aduerſarij Concurſum Dei proximum, immediatum, & indiſtinctum adſtruxerunt non minùs ad actus malos, quàm ad bonos, ob neceſſariam in vtriſque ſubordinationem eſſentialem cauſæ ſecundæ ad primam, & æqualem ad vtroſque actus voluntatis noſtræ impotentiam, atque indeterminationem.

Reſpondeo ſecundò, tametſi non dicamus Deum operari opera noſtra bona proximè, immediatè, & identificè; facilè tamen explicamus quomodo ipſe ſit eorum cauſa pluſquàm permiſſiua; nimirùm quia ipſe ſuadet, hortatur, allicit ad opera bona facienda; præbétque vires accommodatas eâ intentione vt fiant, quod de actibus malis dici non poteſt: An verò dici etiam debeat, necne; Deum operari opera noſtra bona per ſe, ac propriè, non omninò perſpicuè liquet in hac definitione Concilij: Ego quidem perſuaſum habeo, quæſtionem eſſe ferè de nomine; cuius ſolutio ex varia terminorum interpretatione dependeat: Nam ſi *per ſe, ac propriè* idẽ ſignificet quòd *immediatè*, *proximè*, *& identificè*, exiſtimo Deum nõ operari actus noſtros liberos bonos immediatè, proximè, & identificè; nec conſequenter per ſe, ac propriè in eo ſenſu; quicquid ſit de productione actuum bonorum qui ſunt indeliberati, & neceſſarij; ſed quemadmodum illi inferebant ex cooperatione proxima, & immediata reſpectu operum malorum, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, quam conſequentiam Concilium non reprehendit; ſed ipſum antecedens, & conſequens ex eo deductum; ita dicendum mihi videtur, quòd ſi Deus immediatè, proximè, & identificè concurreret ad noſtros actus honeſtos, libertatem in eiſdem nullam relinqueret, prout oſtendemus cap. 13. huius partis.

At verò, ſi *per ſe, & propriè operari bonum opus*, idem ſignificet quòd directè intendere tale opus ab homine fieri, & propriè conferre auxilia opportuna, viréſque neceſſarias ad benè operandum, eâ intentione vt benè operemur; tùm naturaliter, tùm etiam ſupernatura

Digitized by Google

turaliter; ſanè in eo ſenſu fatemur, Deum eſſe cauſam veram per ſe, ac propriam operum bonorum: Verùm ad hoc ſufficit quòd Deus veluti cauſa prima,& vniuerſalis,opera noſtra bona mediatè ſolùm,ac remotè coëfficiat; viréſque iuxta operum conditionem opportunas conferat,iuxta tritam Auguſtini ſententiam cap.16.de gratia & lib arb. *Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.*

Dices ſextò,ibi forſan eſſe damnatos qui dixerint, Deum operari opera praua propriè, ac per ſe; hoc eſt, ita vt ipſe ſolus ea per ſemetipſum in nobis operetur, nobis actiuè ad ea non concurrentibus,ſed ſolùm paſſiuè, ac velut inanime quoddam illa ab opifice Deo recipientibus; quam tamen hæreſim ſententia Aduerſariorum non docet. IX.

Sed contrà; quia tametſi nonnullis hæreticis viſum fuerit nos ad opera gratiæ actiuè non concurrere, ſed velut inanime quoddam ea à Deo recipere;nunquam tamen venit in mentem Luthero, Caluino, aut alicui cæterorum qui Canonis iſtius anathemate percuſſi ſunt, exiſtimare quòd nos ad opera naturalia, præſertim autem ad opera mala non concurramus actiuè, aut quòd Iudas ad proditionem in eo canone memoratam actiuè non concurrerit;& quòd Deus ipſe ſolus eam in Iuda perpetrauerit; ſed ſolùm voluerunt;ideò proditionem Iudæ eſſe proprium opus Dei, ſicut & vocationem Pauli; & nõ relinqui in poteſtate libera hominis vt vias ſuas malas faciat; quia exiſtimabant Deum operari nobiſcum per ſe,ac propriè,& non tantùm permiſſiuè omnia opera noſtra,atque adeò etiam opera noſtra mala, quæ ſæpè operamur, & quæ maxima pars ſunt operum noſtrorum.

Dices ſeptimò;Deum, tametſi proximè operetur actum noſtrũ turpem, non eſſe tamen *cauſam per ſe* nec peccati, nec entitatis in peccato repertæ; quia cauſa *per ſe influens* eſt illa quæ vel concurrit determinata in actu 1.vel ſeipſam determinat; Cũ ergo Deus nec determinatus in actu 1 nec ſeipſum determinans concurrat,nõ eſt per ſe cauſa peccati,ſed ſolùm per accidens:ita P. Arriaga diſp.10. phyſicæ,quę eſt de cauſa prima efficiente ſect.1.ſubſect.5.n.50.& 54. X.

Sed contrà primò; quia non licet nobis torquere, & adducere Concilia in noſtram ſententiam adinueniendo voluntarias inter-

Ss 2 preta

pretationes vocum à Conciliis vſurpatarum, ſed eas debemus accipere in ſenſu communiter recepto: Atqui reſte Heruæo lib. 2. diſtinct. 25. quæſt. 1. Cauſa per ſe, iuxta communiter nunc, & iam olim receptam ſignificationem, eſt illa quæ ſemper, & de neceſſitate, & in omni euentu requiritur ad aliquem effectũ, quem etiam ipſa operatur; & quæ eiuſmodi eſt, non poteſt eſſe cauſa per accidens illius effectus; Imò oportet quòd habeat per ſe habitudinem ad illum effectum: Sed in Aduerſariorum ſententia ad actum volitionis prauæ, ſemper, & de neceſſitate, & in omni euentu requiritur Deus operans proximè, immediatè, & identificè illũ actum: Ergo ſi vera eſſet illa ſententia de Concurſu Dei proximo, impoſſibile eſſet vitare quòd Deus eſſet cauſa per ſe, & propria illius actus: Confirmatur, quia propter hoc Muſicus dicitur per accidens eſſe cauſa ædificij, quando contingit Muſicum ædificare; quia ad ædificandum non ſemper requiritur, nec de neceſſitate, nec in omni euentu vt Latomus, ſit etiam ſimul Muſicus.

Contrà ſecundò; quia Deus, iuxta Aduerſariorum ſententiam, priuſquàm nobiſcum operetur actum noſtrum, habuit decretum quo ſtatuit ſe concurſurum ad quemlibet actum noſtrum, ſiue bonum, ſiue malum, prout voluntas noſtra elegerit: Ergo, per te, concurrit determinatus in actu primo. Quia per hoc decretum determinauit ſeipſum ad concurrendum: Et confirmatur, vrgetúrque hæc inſtantia ad hominem contra Aduerſarios: quia dum illis obiicitur quod Suarez habet lib. 1. de Concurſu Dei, cap. 16. num. 6. eo momento quo eadem actio fit à Deo, & à voluntate creata, vtraque voluntas prius naturâ quàm influat in actum, eſt indifferens ad concurrendum, aut non concurrendum, & ad influendum in hunc actum, aut in alium; quando verò in ſecundo ſigno naturæ vtraque operatur, tunc vtraque eſt formaliter determinata quoad actionem: Cur ergo potiùs tribuitur determinatio voluntati humanæ, quàm Diuinæ? quomodo cognoſci poteſt, An Deus neceſſitate voluerit creaturam rapiendo illam ad conſenſum, An verò permiſerit creatæ voluntati vt determinaret Diuinam? poſſétne Angelus intuitiuè cognoſcens iſtam actionem ab vtraque cauſa indiuiſim procedentem certò cognoſcere, An Deus à creatura determinatus fuerit, An verò creatura à Deo: Reſpondent, quoad efficientiam,

ficientiam, determinationem poſſe tribui vtrique, & neutri ſine conſorte, cæterùm quodam ſpeciali modo determinationem tribui cauſæ ſecundæ, eiúſque libertati tanquam radici proximæ, quia Deus in illo inſtante, in quo concurrit vt cauſa prima, priùs naturâ intelligitur habere quandam determinationem à ſua volitione prouenientem, quâ expoſitus eſt ad influendum & in hunc, & in illum actum pro libito voluntatis creatæ, & ſolùm eſt indifferens vniuerſali quadam & abſolutâ indifferentiâ; determinatus autem quaſi ſub conditione ad cooperādum vel ad bonum actum, vel ad malum, prout creata voluntas elegerit, vnde actio procedit à Deo, vt à cauſa determinata; voluntas autem creata in illo priori naturæ eſt omnino indeterminata, & nullam habet determinationem ad influendum, nec ſimpliciter, neque ex ſuppoſitione alterius actus ſui, propter quod actio noſtra dicit quemdam ordinem ad noſtram voluntatem, quem non dicit ad Deum, ſcilicet, velut ad cauſam determinatricem: & iſti ordines virtualiter diſtinguntur, & Angelus naturaliter eos videret, ac diſcerneret, atque inde colligeret, An à Deo, An verò à noſtra voluntate determinatio proueniret.

Hinc ergo conficitur argumentum ad hominem contra propoſitam obiectionem; quia Aduerſarij, vt defendant nos eſſe liberos in actu noſtro non obſtante Concurſu Dei immediato, & identificato, dicunt Deum operari vt determinatum in actu primo per decretum concurrendi; vt verò defendant eum non eſſe cauſam per ſe actus praui, tametſi eum producat immediatè, & proximè, dicunt oppoſitum, ſcilicet, Deum non operari vt cauſam determinatam in actu primo, nec vt determinantem ſe ad talem actum. Neque obſtat quod ipſi dicunt, Deum eſſe tantummodò determinatum generaliter ad quemcunque actū creatura vellet, non autem ſpecialiter ad actum prauum: quia generaliter eſſe ita expoſitum, ac determinatum per decretū immutabile ad quemcunque actum, cum præſcientia, quòd creatura ſæpe volitura eſſet actum prauum, perinde eſt ac ſi ſpecialiter eſſet determinatus ad actus prauos, vnde æquiualenter, ac moraliter hoc eſt eſſe determinatum ad faciendos actus prauos, ſæpiùs quàm bonos; Neque obſtat ſecundò quod actum prauum operetur ad exigentiam creaturæ

Ss 3 à qua

Digitized by Google

à qua videtur potius determinari ; quia inde ſolùm ſequi poteſt eum non ex propria inclinatione operári actum prauum, ſed ferè veluti inuitum, non tamen inde ſaluatur, quòd Deus non ſe determinauerit ſaltem ad complacendum, & obtemperādum creaturæ, ad hoc vt vere propriè, ac per ſe operetur actum prauum, quemadmodum ſaluare oporteret ad veritatem definitionis Concilij; præterquàm quòd etiam, per te, determinat ſe vt operetur actum bonum ad exigentiam creaturæ; & tamen non definit operari actum bonum propriè, & per ſe.

Contrà tertiò, Quia ſæpe ipſi etiam homines operantur actus prauos, ad quos nullâ inclinatione propendent; compelluntur tamen ad eos precibus importunis alterius, minis, blanditiis, & cæteris huiuſmodi, quæ ſatis indicant eos non tam à ſeipſis, quàm ab aliis determinatos, & compulſos flagitia perpetraſſe, cùm ipſi quantùm eſt ex parte ſuæ voluntatis optaſſent potius minimè determinari ad tales actus, & tamen non deſinunt eſſe cauſæ per ſe, ac propriè huiuſmodi actuũ: Ergo quòd Deus ad exigẽtiam creaturę cum repugnantia & auerſione operetur actum prauum, optans potius operari contrarium opus bonum, non ſufficit vt ipſe liberetur à propria, & per ſe cauſalitate in opus prauum, ſi alioqui de facto à parte rei idipſum operetur proximè, immediatè, & identificè.

XI. Dices octauò cum Didaco Ruiz de voluntate Dei diſp. 32. ſect. 7. num. 7. Aliud eſſe Deum effectiuè concurrere ad materialem actionem peccati, quàm Deum eandem actionem operari *propriè, ac per ſe*; Nam hoc ſecundum requirit quòd Deus pro ſua libera voluntate faciat nos facere materialem actionem peccati, determinando, aut ſaltem impellendo nos ad illam, Concilium autem non damnauit illud prius, ſed duntaxat poſterius.

Sed contrà primò, Quia Suárez vbi ſuprà ingenuè fatetur idem eſſe operari aliquid directè, & immediatè, quòd operari illud propriè, & per ſe. Secundò, Quia c. 13. huius quartæ partis oſtendimus Deum determinaturum nos ad ſingulos actus noſtros, ſi ipſe eos proximè, & immediatè efficeret. Tertiò, Quia is qui peccati alicuius eſt ſocius, ac complex, non ſemper alterum impellit ad peccandum; ſed ſæpe ab illo compellitur; & tamen vterque dicitur operatus *per ſe, ac propriè* actum prauum.

Denique

Digitized by Google

Denique obiicies: quia ſi quę hactenus à nobis dicta ſunt veritatem haberent; ſequeretur Aduerſariorum ſententiam non eſſe tutam, ſed vt minimum errori proximam; quod tamen dicere non licet: Probatur ſequela; quia illa ſententia non modò non eſt tuta, ſed nequidem ſuſtineri poteſt citra periculum erroris in fide, cuius contradictoria definita fuit in Concilio Tridentino: Atqui definitum eſt in eo Concilio ſeſſ. 6. canone 6. Deum non operari propriè, ac per ſe actus noſtros prauos; ſententia autem contra quam hîc diſputatur, aſſerit Deum immediatè, verè, propriè, ac per ſe operari omnes ac ſingulos actus noſtros, quorum multi ſolent eſſe praui, & mali, prout apparet ex Suario in opuſculis lib. 2. de Concurſu Dei cap. 2. numero 22. Ergo, &c. XII.

Porrò, ſatis conſtat duas iſtas propoſitiones opponi contradictoriè; ſcilicet, *Omnis actus humanus, ac liber fit à Deo verè, propriè, ac per ſe* quam ſententia Aduerſariorum aſſerit, prout ex eodem Suario conſtat lib. 1. de Concurſu Dei cum voluntate cap. 4. num. 2. Et hæc altera, *Aliqui actus humani* (nimirum praui & mali) *non fiunt à Deo propriè ac per ſe, ſed ſolùm permiſſiuè*, quemadmodum Concilium definiuit loco ſuprà citato; *aliquem enim actum non fieri*, eſt *non omnem actum fieri*: Reſpondeo: iudicent quorum intereſt; nos enim ab omni exaggeratione, & cenſura abſtinere debemus.

Atque ex his patet, quàm immeritò quidam obiecerit contra reformationē quam molimur vulgati principij quo Concurſus immediatus ad omnes actus noſtros neceſſarius affirmatur. Primò; non tam eius reformationem, quàm deformationem, & peruerſionem eſſe dicendam, quâ principium illud ad ſolos actus neceſſarios reſtringitur. Secundò: regulas fidei, & quæ iis iunguntur, irreformabiles & immobiles eſſe, & erronum eſſe, atque habentium deformationem Religionis; virtutem autem eius abnegantium, moliri reformationem eorum quæ benè ſunt conſtituta; & quia cum fidei placitis ſunt nexa, ne tentari quidem debuerant.

Imprimis enim reſpondeo id quod iam iterum dixi cap. 2. primæ partis ferè initio: falsò nobis attribui illam ſententiæ noſtræ reſtrictionem ad actus liberos: cùm ſententia noſtra negans Concurſum proximum, & identificatum omnino extendatur tam ad actus liberos, quàm ad neceſſarios, ad quos vniuersè aſſerimus ſufficere

Concur

Concurſum Dei remotum, ac mediatum.

Tum deinde Reſpondeo: Regulam fidei immobilem & irreformabilem eſſe, *Deum non operari opera noſtra praua propriè, & per ſe, ſed tantùm permiſſiuè*: ita enim definiuit Eccleſia vniuerſalis in Concilio Tridentino congregata ſeſſ.6.can.6. quam ſanè regulam applicari ſimpliciter oportet ad vtramque ſententiam; ſcilicet Aduerſariorum, & noſtram; vt ſyncerè iudicemus vtra ex illis propiùs ad eam accedat, firmiùſque illi coniuncta ſit: Itaque noſtra ſententia affirmat *Deum non operari omnia opera noſtra propriè, ac per ſe*, quod quidem optimè cohæret cum Regula fidei ſuprà aſſignata; & neceſſariò ex ea ſequitur, qui enim dicit Deum non operari praua, dicit non operari omnia, Aduerſariorum verò ſententia affirmat *Deum operari omnia opera noſtra verè, propriè, ac per ſe*, prout retulimus ex P. Suario in opuſc. lib.1. cap. 4. qui ſententiam illam ſuam intelligit tam de actibus malis, quàm de bonis, & tam de neceſſariis, quàm de liberis vt patere poteſt intuenti totum illud caput. At hoc ſanè videtur eſſe contradictorium Regulæ illi aſſignatæ & ab ea alieniſſimum, tantum abeſt vt ſit cum ea coniunctum: qui enim dicit Deum operari omnia, dicit eum operari praua, quæ ſunt de numero omnium: ergo propoſitio Aduerſariorum non eſt irreformabilis, ſiue tanquam Regula fidei, ſiue tanquam aliquid cum ea iunctum, ſed potius eſt reformanda, atque ad normam definitionis Concilij reducenda, tanquam aliquid maximè à regula deflectens, ac veluti diſtortum: Quòd ſi fortè Reformationis vocabulum diſplicet; per me licet vt illius loco dicamus, principium illud plus æquo inter Modernos vulgatum, non reformandum; ſed reiiciendum eſſe, ac refutandum, vel corrigendum; aut vt aliud quodcumque vocabulum idem ſignificans vſurpemus.

Porrò ad id quod ex Sancto Cypriano libro de vnit. Eccleſ. num. 54. in nos intorquet, erroneum eſſe, & habentium deformationem Religionis, virtutem autem eius abnegantium moliri reformationem &c. Nihil reſpondeo: memini enim me in patiendi potius, ac ſuſtinendi, quàm in rixandi ſtatione per Dei miſericordiam eſſe collocatũ: ſpero autem futurum vt Deus Benedictus per piiſſimam gratiam ſuam quam humiliter deprecor à Doctrina, & moribus noſtris ſemper auertat, quicquid nomen, ac decus veræ Religionis

Digitized by Google

Religionis tantiſper imminuere; aut deformare poſſe videatur.

Veriſimiliùs in ſpeciem obiicere poſſet aliquis: non debere nos vnam veritatem manifeſtam reiicere; tametſi ea alteri cuidam veritati videatur eſſe contraria; propterea ſolùm quòd aſſequi nõ valemus rationem compoſſibilitatis inter vtramque. Ergo propoſitio illa, quâ aſſeritur neceſſitas Concurſus proximi, per ſe, ac proprij ad omnia opera noſtra bona, ac mala, tam libera, quàm neceſſaria; tametſi non videatur definitioni Concilij Tridentini vſquequaque conſentanea, non eſt tamen ideò reiicienda: ſed exiſtimandum potiùs latere aliquid occulti myſterij: exemplo Caietani, qui cùm non poſſet intelligere qualiter libertas arbitrij cum firmitate prouidentiæ Dei conſiſteret; vtramque admiſit veritatem, confeſſus ſe vtriuſque conciliationem non intelligere; ſed in confeſſione propriæ ignorantiæ velle quieſcere; qua in re præeuntem habemus etiam D. Auguſtinum alicubi dicentem; *nunquid ideò negandum quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt, nunquid, inquam, propterea dicturi ſumus quòd ita eſſe perſpicimus ita non eſſe; quoniam cur ita ſit non poſſumus inuenire?*

Reſpondeo: meritiſſimè videri mihi commendandam humilitatem Caietani, intellectum illum perſpicaciſſimum, quo præditus erat, captiuantis in obſequium fidei; quia ibi agebatur de conciliandis adinuicem duobus articulis qui ambo in terminis omninò expreſſis erant ab Eccleſia definiti; & ratione etiam naturali conſtabant. Veruntamen non eſt huiuſmodi ſubmiſſio intellectus hocce in loco ſimiliter poſtulanda; quaſi hîc lateat aliquid occulti myſterij: quia cùm certum ſit Deum non operari opera noſtra praua per ſe, ac propriè, ſed tantùm permiſſiuè; meritò exigitur ratio, quâ oſtendatur ſimul etiam cum hoc verum eſſe poſſe; quòd Deus operetur omnia opera noſtra, tametſi praua, propriè, ac per ſe, quod quidem neque eſt articulus fidei; neque reperitur alicubi ab Eccleſia definitum; neque in verbo Dei reuelatum; neque ratione naturali conſtat: proptereáque cùm nulla iſtius concordiæ ratio ſufficiens afferri poſſit; Cúmque ambæ iſtæ propoſitiones è regione opponantur, & ſint contradictoriæ; meritò altera firmiter eſt retinenda; altera verò repudianda, & procul omninò ablegan da eſſe videtur.

Cæterùm, Auguſtinus nullo modo nobis eſt contrarius; quia dum negamus Deum concurrere ad ſingula opera noſtra Concurſu proximo & immediato; non inficiamur aliquid quod ſit apertum, & quod ita eſſe perſpiciamus; ſed propoſitionem reiicimus falſam, quæ nullâ idoneâ ratione probari poteſt; & cuius contradictoria firmioribus multò conſtat argumentis, & expreſsè in Concilio generali videtur eſſe definita.

---

## CAPVT X.

*In quo oſtenditur falſitas ſententiæ aſſerentis neceſſitatem Concurſus diuini proximi, & indiſtincti ad ſingulos actus noſtros; ex eo quòd Deum producere immediatè, & proximè actus prauos, repugnet puriſſimæ illius Sanctitati.*

I. DIximus ſuprà ſententiam quæ aſſerit neceſſitatem Concurſus diuini proximi,& immediati ad ſingulos actus noſtros,& quæ propereà radix,& ſcaturigo fuit controuerſiæ iſtius maximæ quam diuino freti auxilio examinandam in præſenti tractatu ſuſcepimus,iiſdem prorſus argumentis, & rationibus vti ad probandum Deum ita concurrere ad actus bonos, & malos; vnde ſequitur,vt ſi perſpicuè oſtenſum à nobis fuerit, Deum non modò non debere,ſed nequidem omnino poſſe concurrere proximè & immediatè ad actus prauos, demonſtratum quoque fuerit propoſitionem illam Aduerſariorum vniuerſalem eſſe falſiſſimam., atque adeo corrigendam,& reformandam:Cùm enim actus praui,& illiciti maxima pars ſit actuum humanorum, ſi committi poſſunt à nobis Deo non influente per Concurſum proximum, & immediatum,& indiſtinctum;planè confectum erit huiuſmodi Concurſum Dei non eſſe indiſpenſabiliter neceſſarium ad ſingulos actus noſtros.

Itaque

Itaque communis plurimorum Theologorum, ac Philoſophorum, tum ſæcularium, tum etiam regularium cuiuſcunque Ordinis; neque modò Catholicorum, ſed & Hæreticorum hâc ætate ſententia affirmat, implicare contradictionem vt fieri poſſit à Deo creatura, quæ vel minimam actionem ſiue bonam, ſiue malam poſſit elicere abſque proximo, immediato, & identificato influxu Dei.

Nos verò contrà aſſerimus, atque in præſenti capite demonſtrare conamur plurimos actus noſtros eſſe huiuſmodi, vt implicet contradictionem Deum eoſdem nobiſcum producere proximè, & immediatè; qua in re neceſſe nobis erit Catholicorum, Hæreticorúmque ſententias ſimul referre, atque impugnare; non quidem eo animo vt Catholicos cum Hæreticis inuoluamus, aut vt Catholicorum ſententiam Hæreticam appellemus; ſed quia vtriſq; doctrina communis eſt quoad Concurſum Dei proximum, & immediatum, tametſi diſpar intentio, & conſequens quod inde ab hæreticis deducitur longè ſit diuerſum; quanquam fateor in præſenti materia non parùm oſtendi falſitatem doctrinæ Aſſertorum Concurſus proximi, & identificati, ſiue illi ſint Prædeterminantes, ſiue Aſſertores Scientiæ Mediç, vel ex eo quòd hæretici tam aperte exiſtiment aliquot errores ſuos ex illo Antecedente demonſtrari; vt inde occaſionem ſumpſerint dicendi *proditionem Iudæ eſſe proprium opus Dei, non minùs quàm vocationem Pauli*, quæ fuit Melanctonis aſſertio in cap. 8. epiſtolæ ad Romanos, damnata in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 6. de quo ſuprà capite præcedenti. II.

Dico igitur; vt creata voluntas operetur, non requiri neceſſariò Concurſum Dei proximum, & immediatum, qui ſit ipſiſſima, eadémque realiter operatio à Deo ſimul, & à creatura procedens; quin potiùs ineſt Deo impoſſibilitas ab intrinſeca illius rectitudine, & eſſentiali ſanctitate non modò prædeterminandi phyſicè voluntatem creatam ad actionem intrinſecè malam, ſed etiam concurrendi ad eandem Concurſu proximo, identificato, & ſimultaneo.

Probatur primò, quia teſtimonia Scripturæ quibus oſtenditur Deum odiſſe iniquitatem, & mentiri non poſſe, nec ſeipſum negare, & alia huiuſmodi apertè clamant cum non poſſe coefficere



Digitized by Google

re nobiſcum actionem vllam intrinſecè malam, atque ex obiecto turpem;nec conſequenter habere decretum,volitionémque illius nobiſcum producendæ;quemadmodum habere deberet ab æterno, ſi verum eſſet eum concurrere in tempore influxu immediato, & indiſtincto ad omnem prorſus actum noſtrum, bonum, ac malum: Neque enim poteſt Deus aliquid in tempore facere, ſiue ſolus,ſiue creaturâ cooperante, quin illud idem, eodémque modo perficere ab æterno decreuerit.

Probatur ſecundò, quia oppoſita ſententia videtur ſaltem implicitè, & in æquiualente condemnata in Concilio Toletano, in quo damnati ſunt qui dicerent Deum poſſe mentiri, ſiue per ſe,ſiue per alium,id eſt,cum alio:ſiquidem odiſſe Deum per alium,ſiue vnà cum alio,multò turpius eſt quàm mentiri per alium:Expreſsè autem videri poteſt in Concilio Tridentino magis vniuersè condemnata quoad actus prauos ſeſſ.6.can.6 vbi damnantur;Qui dixerint mala opera ita vt bona Deum operari non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe: Neque ſatisfacere videntur qui reſpondent ibi damnatos eſſe qui dicunt Deum operari propriè, ac per ſe malitiam,& formale peccati; non autem eos qui dicunt Deum operari propriè,ac per ſe materialem actum peccati;Itémque damnatos qui dicunt mala opera fieri à nobis, Deo ſuadente, aut exhortante ad ea,non minùs quàm ad bona; aut eos qui dicerent Deum verè quidem propriè,ac per ſe operari mala opera noſtra;ſed non eodem affectu,& ſtudio quo operatur bona; aut denique eos qui dicerent Deum operari per ſe ſolùm opera noſtra mala,nobis actiuè ad ea non concurrentibus; ſed duntaxat paſſiuè ea recipientibus;ſiquidem ad iſtas omnes, & ad alias huiuſmodi euaſiones reſponſum eſt à nobis ſuprà capite præcedente.

III. Probatur tertiò Concluſio ratione;quia implicat Deum aliquid agere contra rectam rationem;quódque ſit repugnans, & contrarium infinitæ Dei ſanctitati, & amori quo ſeipſum proſequitur; at liberè,& voluntariè concurrere immediato, & identificato influxu phyſico ad actionem liberam intrinſecè malam, eſt agere contra rectam rationem, & diſplicet infinitæ Sanctitati Dei, éſtque contrarium amori eius:Ergo repugnat Deum id agere.

Probatur minor; quia nulla ſufficiens adfertur ratio; cur homo liberè

liberè efficiens actionem intrinſecè turpem, aduersùs rectam rationem, contra diuinum amorem, & ſanctitatem agat: Deus autem concurrens etiam proximè, & identificè effectiuè ad eandem ipſam actionem illicitam, ſecundùm omnem gradum entitatis, non modò genericum, ſed etiam ſpecificum, & ſingularem, excuſetur ab iniquitate, & non agat contra rectam rationem.

IV. Neque enim excuſari poteſt primò, ex eo quòd non ſit cauſa libera, nec moralis actus praui: ſed naturalis & neceſſaria, quemadmodum aliqui dicere auſi ſunt: Contra enim hoc eſt; quia quamuis Deus non ſit cauſa moralis actus praui in hoc ſenſu, ſcilicet, quia ipſe non præcipit, nec conſulit, nec inuitat ad actum prauum tamen eſt cauſa moralis in alio ſenſu; ſcilicet, quia ipſe eſt cauſa libera, quæ nihil facit ad extra neceſſariò, ſed merè liberè ſtatuit ex æternitate legem illam (ſi vlla talis eſt) concurrendi proximè, & identificè cum cauſis ſecundis, & liberè concurrit in tempore; vnde nequit computari inter cauſas naturales, & neceſſarias, prout diſtinguntur contra liberas, & morales, quin potiùs laudem & gratiarum actionem mereri dicitur quotieſcúmque concurrit nobiſcum, quia præſtat nobis vires ad operandum, cùm negare eas poſſet, quemadmodum etiam de facto cùm illi placet, Concurſum ſuum negat, & ſubtrahit.

V. Neque excuſatur ſecundò, quòd ipſe bonum finem propoſitum habeat, homo autem prauum; quia bonus finis non ſufficit, vt liceat ea facere quæ ſunt intrinſecè inhoneſta, *nec ſunt facienda mala, vt eueniant bona* teſte Paulo: ſic enim quamuis fingeremus aliquẽ velle vti operâ Dæmonis pro recuperanda ſanitate ad oſtendendam ſapientiam, & potentiam Creatoris, qui producere potuit, ac voluit tantæ ſapientiæ, & potentiæ creaturas, is non obſtante bono fine illo nihilominus peccaret, eſſétq; cauſa malitiæ moralis: niſi fortè per accidens ob ignorantiam inuincibilem, aut aliam ſimilem cauſam excuſaretur: At Deus neque ignorantiâ inuincibili, neque vllâ ſimili causâ excuſari poteſt.

Sic etiam docent Theologi; quòd ſi aliquando liceret mentiri ob aliquem bonum finem, nutaret fides noſtra, & dubij ſemper eſſemus, nũ fortè Deus in Scripturis ſacris, & in ipſa myſteriorum reuelatione mentitus eſſet ob altiſſimos, & iuſtiſſimos quoſdam fi-

 nes

nes nobis incognitos,etiam tunc cùm maximè dixit ſe mentiri non poſſe.

Ergo dantur aliqui actus adeò turpes ex obiecto, vt per nullam extrinſecam circunſtantiam aut motiuum,ac finem honeſtari poſſint:ergo ſi Deus aliquam huiuſmodi actionem immediatè produceret, non poſſet ab iniquitate excuſari, prætextu finis honeſti quem intenderet.

VI. Neque tertiò excuſari poteſt eâ ratione,quòd peccare ſit contra legem obligantem agere;Deus autem nullam poſſit habere legem quâ teneatur ; cùm tamen homo multas eiuſmodi leges habeat: contra enim hoc eſt;quia excuſatio iſta ſolùm procedere poſſet de lege poſitiua quæ prohibet actus ex natura rei indifferentes;at non de lege naturali quæ prohibet actus intrinſecè & ex ſe malos ; tametſi enim verum ſit Deo nullam eſſe poſitam legem ab alio,ſicut homini impoſita eſt à Deo;tamen falſum eſt Deum non habere legem naturalem,ſibi dictantem quid agendum,aut omittendum ſit; ſiquidem ipſa bonitas,& natura Dei, eſt ipſi lex naturalis contra quam agere non poteſt,impoſſibilitate quæ ineſt illi ab intrinſeco quantùm ad actiones intrinſecè malas;& ipſe obligatur ſuâ eſſentiali rectitudine,& ſanctitate ad non operandum contra præceptum legis æternæ & naturalis;qualis eſt de non peierando,de non mentiendo;de non violando promiſſiones,& pacta;de non agendo contra conſcientiam;de non odiendo aut contemnendo Deo.

Itaque ſupereſt inueſtiganda ratio; cur non ſit aliqua immutabilis & æternæ rectitudinis lex quâ ipſe Deus ligetur de non cooperando alteri proximè,& identificè ad actiones intrinſecè turpes atque illicitas; & quærenda excuſatio,quare non pugnet cum lege naturali Deum concurrere ad actum peccati;& tamen cum illa pugnet vnum hominem cum altero homine,aut cum Deo cooperari ad actum ita prohibitum.

VII. Sed neque etiam valet ad propoſitum ratiò quâ vtitur eruditiſſimus Pater Mæratius tract.de peccatis diſp.11.ſect.11. & 12. & quæ ferè eſt eadem cum præcedente,ſcilicet non peccare Deum tametſi concurrat proximè ad actum prauum;quia ipſe non obligatur ad entitatem realem actionis malæ non concurrere : Si quis enim, inquit,actionem realem cui malitia moralis annexa eſt exercere poſſet ex

ſet ex honeſto aliquo motiuo, ex quo fieret vt licitè poſſet iſta actio ab eo elici; ſtante illo motiuo is non obligaretur ad eam actionem non exercendam, nec mala moraliter eſſe poſſet: Atqui Deus concurrit proximè ad actionem noſtram malam ex honeſtiſſimo motiuo quod eum liberat ab omni obligatione non concurrendi ad eam; Concurrit enim vt tueatur munus Creatoris erga creaturas ſuas maximè prouidi, ad quem pertinet ſuis creaturis ea omnia concedere quæ ipſæ iure veluti ſuo poſtulant ratione naturæ quâ conſtant: omnes autem hæ poſtulant inter cætera Concurſum ipſius ad omnes actiones ſuas, cùm nullam actionem abſque hoc eius Concurſu exercere poſſint; poſito ergo quòd creaturas aliquas producere vellet; Conſequens erat, vt ex ſua prouidentia deberet illis cùm agere vellent Concurſum ſuum ordinariè non denegare, ſed communiter tribuere; quòd ſi hoc debet, profectò non poteſt habere debitum denegandi Concurſum ſuum cauſis liberis ad actiones malas; quia iſtud debitum, & illud ſibi inuicem repugnant.

Reſpondetur enim huiuſmodi rationem eſſe veram in noſtra ſententia admittente Concurſum duntaxat remotum; ſecundùm quam concurrere ad actum prauum, eſt tantùm permittere illum, quod quidem fieri poteſt, & reipsâ fit ex honeſtiſſimo motiuo tuendi partes prouidi Creatoris: At verò in ſententia Aduerſariorum multiplicem patitur redargutionem.

Primò, quia ipſe idem Auctor tractatu eodem diſp. 11. ſect. 1. num. 6. fatetur *nullum motiuum honeſtum, nullum bonum finem impedire poſſe quominus efficax peccati volitio ſit peccatum formaliter, tum quia bonum ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus, tum quia aliàs non peccaret, qui alium ad peccandum incitaret vt in eo Deus iuſtitiam ſuam manifeſtaret, quod certiſſimè falſum eſt, tum quia, inquit, non poſſunt niſi cum peccato appeti, & fieri mala vt inde eueniant bona, teſte Apoſtolo ad Romanos 3. Ergo nec poteſt Deus ſine peccato ob quodcunque motiuum velle efficaciter peccatum:* Hæc ille; Cùm igitur ibi dicat nullum dari poſſe motiuum honeſtum propter quod Deus licitè, & honeſtè poſſit velle, & facere aliquod malum; Ecce hîc docet oppoſitum, ſcilicet Deum reipsâ propriè, ac per ſe, immediatè, & proximè facere opus malum ex honeſtiſſimo fine, ac motiuo, quaſi verò

verò actus eſſet turpior in appetitu, & voluntate, quàm in exercitio.

Secundò, iſta ratio petit principium; Cùm enim quæſtio ſit; An Deus poſſit honeſtè, & licitè concurrere immediatè ad omnes actus noſtros, tametſi prauos; Reſpondetur affirmatiuè, & adfertur pro ratione ipſa concluſio; nimirum, inquit, quia honeſtiſſimum eſt vt Deus ordinariè concurrat immediatè ad omnes actus ſuarum creaturarũ, & ratio rationis adiũgitur, quia alioqui creatura nihil poſſet operari, eſt autem honeſtiſſimum vt Deus illam permittat operari, nos autem potiſſimùm tractatu iſto inquirimus: An verum ſit creaturam nihil poſſe operari Deo non concurrente proximè, & identificè: ergo ſupponitur id quod probandum erat, & quod nos maximè contendimus eſſe falſum.

Tertiò, Quia fatetur Auctor quòd ſi quis actionem realem cui annexa eſt malitia poſſet exercere ex motiuo honeſto, is non obligaretur ad eam non exercendam; ſed poſſet eam licitè exercere; quod quidem argumentum verum eſt, ſed in Auctorem ſuum eleganter conuerti poteſt; ſi enim econtrariò daretur aliqua actio quæ eſſet intrinſecè turpis, ea nullo fine motiuo, aut prætextu tametſi ſpecioſiſſimo honeſtari poſſet; ac proinde omnes naturæ intellectuales cum libertate operantes ad eam omittendam obligarentur; Atqui dantur actus intrinſecè inhoneſti, ac turpes, vt ſuppono hîc, & fatentur Aduerſarij: Ergo Deus qui eſt naturæ intellectualiſſimæ, ac liberrimæ obligatur ad omnem huiuſmodi actum omittendum: ergo non poteſt habere ius ad committendum, ſeu operandum illum proximè, immediatè, & identificè.

VIII. Neque iuſtificatur quartò, reſponſione illâ quâ dicitur peccatum formaliter conſiſtere in priuatione ſeu defectu; ac proinde non peccare eum qui non eſt cauſa huiuſmodi priuationis, & defectus, propter quod Sancti, dum de cauſa peccati ſermo illis eſt, dicere ſolent non eſſe quærendam cauſam illius efficientem, ſed deficientem: hominem autem poſſe deficere, non Deum.

Contra enim hoc eſt primò, Quia multi non improbabiliter exiſtimant malitiam peccati, ſeu peccatum formaliter eſſe ipſum actum poſitiuum prohibitum, qui ſuâmet entitate ſit inordinatus, & prauus: Quomodo igitur Deus non tam erit cauſa iſtius actus inordinati

inordinati quàm homo? Secundò deinde, tametſi concederetur peccatum formaliter in defectu, & priuatione conſiſtere; adferenda eſſet ratio cur Deus non ſit æquè ac homo cauſa defectus,& priuationis illius quæ in actione prohibita reperitur, aut ad eam conſequitur,ſi tam influat in actionem, quàm ipſe homo peccans; Atqui homo peccans non aliter eſt cauſa iſtius malitiæ moralis,ac priuationis, ſeu defectus, quàm quia liberè efficit fundamentum poſitiuum malitiæ, ſiue actum materialem priuationi ſubſtratum; Nam cùm priuatio nequeat actionem poſitiuam terminare per ſe, ac directè,cauſatur tantùm,ſiue à Deo, ſiue ab homine ad productionem alicuius poſitiui tanquam fundamenti ſui; neque enim aliter priuatio effici poteſt,ſicut tenebrę non aliter induci poſſunt, etiam à Deo,quàm ablatione corporis lucidi,aut appoſitione opaci,neque priuatio vitæ aliter quàm remotione diſpoſitionum quibus ablatis mors ſequitur. Ergo ſi Deus idipſum præſtat circa malitiam moralem quod homo; & homo ob ſolam actus illiciti productionem peccat,& à lege deficit;quomodo Deus eundem actũ liberè efficiens non eſt complex peccati, & non cauſat illam priuationem rectitudinis,& non deficit à lege? non dico poſitiuâ ſuperioris, quem certum eſt eum habere nõ poſſe, ſed naturali & æternâ,quâ ipſe etiam conſtringitur; ſicut ſi mentiretur, diceretur peccare, & deficere, non contra legem præceptiuam, ſed contra rectitudinem ſuam naturalem quæ eſt ipſi loco legis.

Cæterùm,id quod Sancti dicunt, non eſſe quærendam peccati cauſam efficientem, ſed deficientem, non ita accipiendum eſt, quaſi actus prauus nullam habeat cauſam efficientem;habet enim cauſam voluntatem noſtram: imò & ipſa deformitas,ſeu priuatio rectitudinis ſuo etiam modo cauſam habet, ſicut & tenebræ, & alij defectus: Sed ſignificat nos multò magis ſollicitos eſſe debere de cognoſcendo,& per humilem pœnitentiam expiando defectu noſtro, quàm de inueſtigandis cauſis efficienter influentibus in noſtros actus,quod verum eſt: Vel alio modo intelligitur, Deum eſſe quidem cauſam primam,& vniuerſalem,ac primordialem cuiuſlibet actionis noſtræ, tametſi prauæ; ſed non deficientem, ſeu peccantem, quia non eſt cauſa proxima, & immediata actus praui; ſed ſolùm remota,quod verum eſt.



Digitized by Google

IX. Neque excuſatur quintò, ex eo quòd non concurrat ſolus; ſed ſimul cum creatura, & ad exigentiam creaturæ; cùm tamen ipſe optaret,& mallet oppoſitum facere: Contrà enim hoc eſt,quia ſicut non excuſatur homo peccans ex eo quòd non concurrat ſolus, ſed ſimul cum Deo; ita neque excuſatur Deus eadem ratione.

Et quemadmodum ſi quis non poſſet ſcelus aliquod exequi niſi altero adiuuante; & iſte primùm quidem conaretur alium minis, aut precibus,aut promiſſis à prauo conſilio deterrere & ad contrarium opus bonum inducere; videns tamen ſe nihil proficere,nollet illi promiſſam cooperationem ſuam ad ſcelus perpetrandum negare; nemo dubitaret cooperatorem iſtum complicem fuiſſe ac ſocium criminis ab altero admiſſi,tametſi per hunc non ſtetiſſet quominùs alter dimiſsâ actione prauâ bonam eligeret;& ſicut Pilatus reluctans,ac penè inuitus Chriſtum Iudæis tradidit;neque tamen propterea innocens fuit à ſanguine Domini Ieſu, aut ſicut Herodes Ioannem decollauit inuitus ſimiliter ac triſtis ad exigentiam ſaltatricis; neque tamen in hoc iuſtificatus, aut à culpa immunis fuit: Ita etiam Deus non excuſatur à formalitate peccati, eâ ratione quòd concurrat proximè ad actum prauum ad exigentiam creaturæ.

Confirmatur; quia Theologi communiter docent Deum mentiri non poſſe nec per ſe,nec per alium,ſeu quod idem eſt cũ alio, quid enim refert ſiue quis ſolus, ſiue cum alio, & per alium mentiatur, vt ſit mendacij reus? Sanè ſi non licet Deo impellere aliquem ad mentiendum, aut præcipere propriè vt mentiatur,multò minùs licebit illi cooperari alteri ad mentiendum, maximè producendo in ipſo immediatè volitionem mentiendi in iis circunſtantiis cum quibus impoſſibile ſit mentiri quin eoipſo peccetur.

X. Neque excuſari poteſt ſextò,ſi dicas Deum non peccare, quia cooperando homini peccanti ipſe vtitur iure ſuo: Sic enim aliqui ratiocinantur: Vt in caſu quo duo concurrunt ad aliquem actum malum, prudenter iudicetur quis eorum excuſandus ſit, aut culpandus; Regula vniuerſalis eſt,vt is ſit excuſandus qui ita concurrit, vt per ipſum non ſtet quin concurrat ad oppoſitum actum bonum;ſed ideò concurrit ad actum malum,quia concurrit cum alio

cuius

cuius Concurſum non poteſt vitare,& cuius Concurſu poſito,ipſe non poteſt nec debet concurrere ad actum bonum oppoſitum: Accuſandus verò ſit is, per quem ſtat vt alius non concurrat ad actum bonum; imò qui eſt præuia, & efficax cauſa, vt alius non poſſit ſimul cum ipſo non concurrere ad actum malum,& non poſſit concurrere ad actum bonum: Atqui Deus cooperando homini peccanti vtitur iure ſuo, & exequitur munus ſuum, cauſæ ſcilicet primæ & vniuerſalis,cuius partes ſunt cauſis ſecundis liberis iuxta exigentiam illarum aſſiſtere, illiſque cooperari,non modò ad vnũ aliquem actum,ſed ad quamcunque actionem voluerint; alioquin enim non eſſent liberæ:vnde non poteſt eis Concurſum ſuum negare: Porrò,vitare cooperationem ad actum peccati ad quem vitio ſuo cauſa ſecunda ſe determinat, Deo eſt impoſſibile non ſolùm moraliter,ſed etiam aliquo modo phyſicè:Moraliter quidem, quia id facere non poteſt abſque maximo inconueniente, quandoquidem ſecùs agendo perturbaret totum ordinem naturæ, & cauſas liberas de medio tolleret; quibus ſi omnem Concurſum negaret,ipſæ remanerent prorſus inertes & otioſæ; ſi verò offerret Concurſum ad actiones duntaxat honeſtas,ipſe eas ſaltem ex parte neceſſitaret,& exercitio libertatis ſpoliaret; neque offerret illis Concurſum ad operandum conuenienter naturæ ſuæ, id eſt, cum libertate, & indifferenter ad oppoſita:Phyſicè quoque eſt impoſſibile vt Deus vitet cooperationem illam ad actum prauum, quia ſuppoſitâ lege à ſe ordinatâ, quâ voluit ab æterno cum omnibus cauſis ſecundis iuxta illarum exigentiam regulariter, id eſt,paucis quibuſdam exceptis caſibus,concurrere; Impoſſibile eſt illi ratione ſuæ immutabilitatis decretum illud reſcindere, & executioni non mandare: Igitur in iſta cooperatione Deus eſt omninò innocens;homo verò totius peccati reus.

Reſpondetur; Deum excuſari non poſſe ſi concurrat immediatè ad actum intrinſecè malum;quia nulla natura intellectualis, ſiue creata, aut creabilis, ſiue increata poteſt habere ius, ac multò minùs debitum operandi actum intrinſecè malum,ſiue illum operetur ſola,atque ex affectu,& complacentia erga illum actum,ſiue occaſione ſumptâ ex peccato,& nequitiâ alterius;alioqui ille actus falsò diceretur intrinſecè malus;quia ex aliquo fine & motiuo ho-

neſtari poſſet; atqui actus de quo inquirimus eiuſmodi eſt, vt ex principiis eius intrinſecis malitia oriatur, ſitque illi adeò inſeparabiliter, & indiſpenſabiliter annexa, vt ſi ab aliquo ſui compote, & ſufficienter aduertente malitiam exerceatur, per nullam alicuius extrinſeci appoſitionem, aut ablationem auferri poſſit.

Porrò; quòd nulli naturæ intellectuali ius eſſe poſſit ad huiuſmodi actus faciendos, ſuaderi poteſt hac ratione, Quia ſi Deus cõtuliſſet ſupremo Angelo tantam virtutem, vt ab eo proximè, & identificè concurrenre cæteri Angeli dependerent quoad ſuas omnes operationes, adeò vt nullam prorsùs habere poſſenr ad quã iſte proximè, & immediatè non concurreret, tametſi Deus nullo præcepto poſitiuo eum prohibuiſſet ne concurreret ad actus intrinſecè prauos, cuiuſmodi eſt odium Dei; tamen ipſe lege naturali cenſeretur obligatus ad non exercendam vllam ralem operationem ob quodcunque motiuum, nequidem occaſione ſumptâ ex nequitia, & mala voluntate alterius Angeli vel hominis, quin potiùs relinquere eos deberet in æternũ otioſos & inertes, quàm cum illis concurrere ad tales actus, & ſi cum illis ita concurreret; aut ſi ſe illis indifferenter exponeret ad huiuſmodi Concurſum exhibendum, tam ad actus malos, quàm ad bonos; ipſe iniquè ageret, & talis voluntas eius turpiſſima eſſet, neque vllo quantumvis ſpecioſo prætextu honeſtari poſſet: Ergo ſignum eſt illam obligationem ex ipſa præcisè natura intellectuali, aut ex lumine rectæ rationis ortam eſſe, non verò ex natura entis creati, aut ex aliqua lege poſitiua Dei.

Ergo dici non poteſt Deum exequi munus ſuum, & vti iure ſuo ſi cooperetur homini ita peccanti, eò quòd ipſe ſit cauſa prima & prouiſor vniuerſalis; vel ſi hæc ratio ad licitè operandum actum prauum, vt exempli causâ, ad mentiendum ſufficit; ſequitur reperiri poſſe tandem aliquam cauſam, & aliquod extrinſecum, quod auferre poſſit malitiam, & turpitudinem ab actu deliberato mentiendi; quod ſi ſemel admiſerimus, dubitare licebit num fortè Deus ob altiſſimos fines nobis incognitos mentitus fuerit, quando Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines, Prophetæ, Euangeliſtæ, Scriptores Canonici, & nutabit fides noſtra: Ergo dicendum eſt, vel nullum dari actum qui ſit intrinſecè malus; atque adeò

adeo mendacium non eſſe eiuſmodi, quod eſt contra fidem, vel ſaltem contra communem, & veram Theologorum ſententiam, etiam eorum contra quos diſputamus; vel dicendum eſt Deum non concurrere immediato, & identificato influxu phyſico ad actum quo ſcienter, & deliberatè profertur falſum cum intentione fallendi, quod noſtra concluſio intendit.

Neque valet excuſatio dicentium Deum non potuiſſe vitare huiuſmodi cooperationem; hoc enim pluſquàm falſum eſt; quia ſicut Deus propoſitum habuit, etiam ex aduerſariorum ſententia, non concurrendi vnquam cum humanitate Chriſti Domini ad actus vllos prauos, ne illa humanitas aliquando peccaret, & quia Deus ſtatuerat nunquam permittere vt peccaret: Ita facile illi erat nolle concurrere cum vllis hominibus ad actus ſimiliter prauos; qui tamen etiam tunc potuiſſent varios actus honeſtos libertimè operari, quemadmodum Chriſtus in multis actionibus ſuis libertimus fuit; tametſi Deus decretum habuerit nunquam permittendi vt peccaret: Secundò, potuit permittere vt homines operarentur ſoli abſque Concurſu immediato Dei; quemadmodum multipliciter oſtendimus hac præſertim poſtremâ parte: & nonnulli ex aduerſariis incipiunt fateri non repugnare, vt Deus permittat creaturam operari ſolam, vt videre eſt apud Mæratium diſp. 10. phyſic. ergo potuit vitare cooperationem. XI.

Neque verum eſſe poteſt quod ipſi obiiciunt, ipſum ſibi ab æterno legem impoſuiſſe immediatè concurrendi ad quoſlibet actus noſtros, ſiue bonos, ſiue malos, potiùs enim erat dimittenda productio, & gubernatio totius mundi, quàm ſancienda illa lex Concurſus & prouidentiæ quæ ſeruari non poterat abſque iniquitate, & legis naturalis violatione, ac propterea veriùs puto nullã extare potuiſſe huiuſmodi legem, quâ Deus ſibiipſi ab æterno neceſſitatem iniecerit immediatè concurrendi cum creatura in tempore ad actus qui ſunt ex natura rei turpes; & non ſolùm extrinſeco mandato nobis prohibiti, ſed & per legem naturalem tam Deo ipſi quàm nobis ſunt illiciti; quique proinde honeſtari non poſſunt ob vllam tametſi grauiſſimam cauſam, neque in nobis, neque in Deo.

Quinimò potiùs ex oppoſita ſententia ſequeretur hominem

 excuſan

excuſandum videri;quia ipſe vitare non potuit Concurſum illum & actionem diuinam indiſtinctam omnino ab actu qui imputatur homini ad peccatum:Probatur; Quia vel Deus ex ſeipſo & antecedenter ſe reſoluit ad producendum, exempli causâ, actum odij Dei in tali homine, & cum illo ſimul atque indiuiſim concurrente tali puncto ac momento temporis; vel occaſione ſumptâ ex parte hominis ipſius eundem actum operaturi:Si primum,homo non potuit vitare actum illum; Nam Concurſus Dei ſi hoc modo decretus, & exhibitus eſſet abriperet ſecum hominem, & neceſſitaret illum ad operandum, quemadmodum fatentur expreſsè Suarez, Theophilus & alij pleríque Aſſertores Scientiæ Mediæ: Si ſecundum;Oporteret oſtendere quidnam voluntas creata poterat facere, quod ſi feciſſet, Deus ſtatuiſſet non producere cum illa, & in illa iſtum actum odij;ſed actum quendam oppoſitum bonum: At ſuppoſitâ illâ ſententiâ contra quam diſputamus de indiſpenſabili, neceſſitate Concurſus identificati ad quamlibet actionem creaturæ, voluntas nihil poteſt habere,aut producere,quo poſito, atque per Scientiam Mediam cognito,Deus obiectiuè excitari poſſit ad concurrendum hoc potius quàm illo Concurſu,vt fuſius probatum reliqui ſecundâ parte huius opuſculi:Igitur homo non potuit vitare quin operaretur, Deo volente producere immediatè cum illo actum prauum,quæ ratio quia ſpectat ad libertatem reſeruanda eſt in alium peculiarem locum,ſcilicet in cap. 13. huius quartæ partis.

XII. Neque excuſatur ſeptimò,dicendo Deum ſequi dictamen æternæ ſapientiæ, iudicantis melius eſſe cauſam primam, & principium vniuerſale ſubordinans ſibi cauſas ſecundas concurrere cum creaturis, etiam ad actus peccaminoſos, quàm non concurrere.

Reſpondetur enim, potiùs in Deo eſſe dictamen, & iudicium contrarium;ſcilicet,abſtinendum potiùs eſſe à Creatione mundi, vel ſaltem permittendas creaturis ſuas ipſarum operationes, ita vt totaliter & adæquatè eas producant, quemadmodum eas producere poſſe contendimus,quàm cooperandum ad actus adeo inhoneſtos,& legi naturali repugnantes;maximè cùm peccatum, etiam minimum,tantam malitiæ contineat grauitatem, vt nullis operibus bonis quamtumuis multis & magnis compenſari poſſit, & ſi

mortale

mortale ſit, Deus illud ipſum, atque illius auctorem tanto proſequatur odio, vt grauiſſimis illud ſuppliciis iiſque æternis puniat.

Et verò ſanè idipſum confirmari poteſt inſtantiâ; quia ſi cauſa prima ex eo quòd eſt principium vniuerſale ſubordinans ſibi cauſam ſecundam, debet ſecundùm dictamen rectæ rationis præbere Concurſum ad omnem actum qui eſt in poteſtate cauſæ ſecundæ, ſequitur, proportione ſeruatâ, voluntatem creatam debere ac poſſe ſecundùm dictamen rectæ rationis Concurſum ſuum præbere potentiis executiuis ſibi ſubordinatis, ad omnem actum qui eſt in poteſtate earum, adeoque ad exteriorem actum peccati; nempe intellectui ad infidelitatem, aut aliam cogitationem illicitam; ſenſui ad ſenſationem vetitam; appetitui ſenſitiuo ad omnem concupiſcentiæ motum, & potentiæ motiuæ ad homicidium, quod eſt omnino falſum: Neque iuuat dicere cauſam primam non teneri impedire prauam actionem cauſæ ſecundæ ſubordinatæ, quemadmodum creata voluntas impedire tenetur actionem illicitam potentiæ inferioris ſibi ſubordinatæ, eo quòd ipſa non ſit principium vniuerſale ſicut Deus, & quia voluntas creata lege expreſsâ prohibetur ne Concurſum ſuum, aut conſenſum liberum præbeat potentiis inferioribus ad actus quos ipſa lex, & conſcientia vetat.

Reſpondetur enim, voluntatem creatam reſpectu potentiarum inferiorum eſſe principium vniuerſale, ſicut Deus reſpectu cauſarum ſecundarum, proportione tamen ſeruatâ; ac præterea, ſicut voluntas creata lege poſitiuâ, aut naturali prohibetur ne potentiis inferioribus conſentiat ad actus prauos; Ita dicimus Deum ſua ipſius eſſentiali rectitudine, ac ſanctitate, nec non lege etiam naturali ſtrictiùs obligante quàm ſola lex præceptiua, prohiberi ne immediatè producat in vllo homine, vel Angelo actum qui ſit ex obiecto, & principiis ſuis intrinſecis inhoneſtus; & cum recta ratione pugnās, vel adferenda eſt ratio cur voluntas creata ad id lege poſitiuâ obligetur; Deus autem lege naturali ad idem minimè obligetur, qualis nulla ratio adhuc producta eſt.

Neque valet octaua excuſatio quæ eſt Theophili; quia, inquit, XIII.
etſi Deus cauſet materialiter & ſpecificatiuè actum malum; non tamen formaliter, & reduplicatiuè, prout exigeretur ad denominandum Deum cauſam actus mali, ſiue peccati; Nam Deus eodem modo

modo concurrit ad actũ cùm eſt malus,& cùm eſt bonus,aut malitiæ expers defectu aduertentiæ, & libertatis, quod euidentiſſimum, inquit,indicium eſt,cùm actus malus eſt, non hoc habere ex Concurſu Dei,& ex modo quo Deus ſe habet ad actum; ſed vitium habere ex ſola voluntate creata; quandoquidem poſito eodem Concurſu Dei, actio eſt non mala; poſito autem eodem Concurſu creaturæ ſic vel ſic ſe habentis ad actum,contingit ſemper eam fœdari.

Reſpondetur enim primò,manifeſtam videri petitionem principij; Cùm enim quæſtio ſit, An Deus producens & cauſans immediatè *materiale peccati*, cauſet etiam *formale eiuſdem:* Reſponſio iſta dicit Deum non cauſare formale peccati, & adfert pro ratione, quia, inquit, non cauſat formaliter & reduplicatiuè actum malum, id eſt, non cauſat formale ſiue formalitatem peccati vt tale eſt; nimirum ipſam malitiam quæ actum illum conſtituit in ſpecie peccati; quod eſt probare idem per idem: Ad id autem quod dicitur, poſito eodem Concurſu Dei actionem modò eſſe malam,modò non malam:ſecus autem eſſe de Concurſu hominis, propter quod Deus excuſatur:homo non item.

Reſpondetur ſecundò, contrarium potiùs inde fuiſſe colligendum:Nam etiam ſæpe contingit vt eadem actio hominis externa modò ſit mala,& peccaminoſa, modo honeſta, aut ſaltem inculpabilis defectu libertatis: Ergo idem Concurſus hominis, qui idem eſt cum actione,poteſt eſſe malus,& non malus, non ſimul acſemel, ſed diuerſis temporibus: Ergo ſi Deus excuſaretur à peccato ex eo quòd concurrit eodem modo ad actum,cùm eſt malus, & cùm eſt non malus; eadem ratione excuſaretur homo à peccato,quia eius actio poterat eſſe ſine peccato, ſi libertate caruiſſet: Inſuper aliquando Concurſus hominis & actus eius non eſt malus defectu aduertentiæ,& libertatis,prout fatentur aduerſarij: At Concurſus Dei ſemper præſtatur cum aduertentia turpitudinis exiſtentis in actu;& cum perfectiſſima libertate, ergo potius excuſaretur homo quàm Deus.

Deníque,non videtur ſancta illa lex, & voluntas cooperandi æqualiter ad actus bonos & malos: Nam illa lex æquitatem non continet,quæ eos euẽtus cõprehendit:in quibus ſi ſolos illos conſtitueret

Digitized by Google

ſtitueret, iniuſta & iniqua eſſet, maximè quando ex aliis quos ſimul comprehendit non poteſt compenſari illa iniquitas, & inæqualitas; at ſi Deus ſtatuiſſet ſe cócurſurum duntaxat ad actus malos, illa Dei voluntas non eſſet iuſta, nec ſancta. Ergo nec iſta iuſta eſſe poſſet quâ ſtatueret ſe concurſurum ad bonos & malos actus indifferenter; ergo non ſic concurrit ad malos.

Confirmatur, quia propter hoc multi abhorrent ab illa ſententia aliquorum, qui docent ideo damnatos eſſe obſtinatos in malo; quia Deus ſtatuit nunquam concurrere cum illis ad actus bonos, etiamſi præuiderētur facturi aliquem actum bonum ſub conditione, ſi Deus cooperari vellet; indignum namque illis videtur dicere quòd Deus qui tantopere abhorret ab omni peccato, contentus ſit concurrere ad omnem actum turpem cum aliqua creatura rationali; minimè autem velit concurrere cum illa ad vllum actum qui ſit honeſtus.

Neque valet ſi dicas nonò, hominem peccare, & eſſe cauſam malitiæ moralis non item Deum; quia licet vterque concurrat immediatè ad entitatem actus peccati; tamen voluntas creata, non autem Deus, eſt formale principium determinatiuum communis actionis vtriuſque cauſæ ad actum peccaminoſum; quatenus ſcilicet cauſa ſecunda determinando ſe ad talem actum eſt ratio cur etiam cauſa prima id prænoſcens ſeipſam determinet ad eundem, ad quem mallet ſe non determinare, ſi per ipſam ſtaret. XIV.

Reſpondetur enim, multa hîc dici quæ ſunt falſa; Primò enim impoſſibile eſt explicare quidnam ſit illud, ad quod Deus attendens videat, & cognoſcat conferendum eſſe Concurſum homini ad vnum actum potiùs quàm ad alium, vt ex illa præuiſione, & ſcientia determinetur, vt apertè oſtendimus in ſecunda parte præſentis opuſculi, vbi confutantur varij modi reſpondendi Aſſertorum Scientiæ Mediæ antecedentis, dirigentíſque decretum concurrendi.

Secundò, potiùs ſequitur ex opinione Aduerſariorum, Deum determinare actionem hominis, tam quoad indiuiduum, quàm quoad ſpeciem: Probatur quoad indiuiduum, quia ipſi ferè communiter docent, cauſam ſecundam ex ſe indifferentem eſſe ad plures actus indiuidualiter diuerſos intra eandem ſpeciem amo-

Xx tis,

ris,exempli causâ,vel odij;& conſequenter indigere aliquâ Prædeterminatione Dei; alioquin, inquiunt, non apparet cur producat potiùs hunc amoris actum quàm alium numero duntaxat diuerſum,eiuſdémque ſpeciei, ex tam multis qui in illius & ſubiecti potentia continentur:Per hoc autem quamuis tollatur indifferentia voluntatis ad hunc, vel illum amoris actum, non tamen putant prædeterminari voluntatem ad amandum abſolutè, ſed ſolùm quaſi conditionaliter, id eſt, ad amandum tali numero actu amoris,ſi amare voluerit; & ad habendum talem numero actum odij, ſi odiſſe voluerit;quo non obſtante,manere exiſtimant plenam indifferentiam ad amorem & odium; Indifferentiam,inquam,quoad ſpecificationem amoris, & odij, & quoad exercitium amandi, & non amandi,tametſi adſit quaſi Prædeterminatio ad indiuiduationem & ſingularitatem,hoc eſt,vt fiat hic numero amor,vel hoc numero odium; & hoc quidem Prædeterminationis genus admittunt communiter Aſſertores Scientiæ Mediæ,dum res,ac diſputatio illis eſt aduersùs Prędeterminatorum ſententiam; appellant autem illum delectum numericæ actionis à Deo factum, *Prædeterminationem*; quia dicunt cauſam primam determinare, quiſ actus numericus eliciendus ſit à ſe, & à creatura ſimul,priuſquàm videat creaturam determinantem ſe ad aliquem actum ſingularem;imò dum videret illam impotentem omninò ad ſe ita determinandum, tametſi hoc ipſum determinet poſteaquàm præuidit illam determinaturam ſe ad ſpeciem aliquam actus.

Hinc ergo ex illorum ſententia ſequitur; Deum eſſe formale principium determinatiuum quoad indiuiduationem communis actionis vtriuſque cauſæ;quanquam iſtud quod dicunt,Deum non determinare indiuiduationem actus,nec decernere vt ſit hic,& nō alius ex pluribus eiuſdem ſpeciei quos humana voluntas exercere poſſet,niſi poſteaquàm per Scientiam Mediam cognorit voluntatem noſtram determinaturam ſe ad exercendum actum talis ſpeciei,tantæque intenſionis, ſi per impoſſibile operaretur ſola, & falſum eſt;& ſi verum eſſet,tamen inde Deus excuſari non poſſet, eo enim ipſo quod vellet ac produceret indiuiduum actus praui, vellet etiam omnia prædicata illius ſuperiora, ſicut qui ex fide & reuelatione nouit neceſſe eſſe vt veniant ſcandala; tamen ſi vitio

ſuo

ſuo facit vt ſcandala veniant, is nihilominus à Chriſto Domino condemnatur;& is qui alterum videt eſſe paratum ad committendum aliquod facinus modò aliquis adiungat ſe illi in ſocium, non propterea deſinit eſſe peccati reus ſi ſe illi ad peccandum adiungat, eritque principium formale ſufficienter determinatiuum actionis prauæ,aut committens eam vt ea illi imputetur. Tametſi enim iſte talis non dicatur auctor peccati alterius quem non ſollicitauit ad peccandum,at certè dicitur complex; Ita igitur Deus determinans creaturam ad indiuiduum odij illiciti, verbi causâ, tametſi fortè non eſſet auctor peccati hominis,at certè eſſet complex,& ſocius.

Deinde verò oſtenditur Deum ex Aduerſariorum ſententia eſſe principium formale determinatiuum actionis quoad ſpeciem; quia ipſi communiter,& meritò docēt, quamlibet actionem adeò eſſe addictam vni certo agenti adæquato, & totali, vt variato illo in quantumuis minima parte efficienter influente ad actionem, ipſam quoque actionem variari; & ſaltem numero diuerſam eſſe oporteat;Hinc ergo conficitur argumētum; Actio quę per nullam potentiam fieri poteſt à me ſolo, diſtinguitur pluſquàm numero ab illa quæ fieri poteſt à me ſolo; at illa actio quam Deus mecum efficeret talis eſt, vt per nullam potentiam fieri poſſit à me ſolo. Igitur actio quam Deus mecum efficeret diſtinguitur pluſquàm numero ab ea quam ego ſolus efficerem.Probatur maior,quia duę actiones amoris quæ fierent à me ſolo circa idem obiectum formale,& cum æquali intenſione, diſtinguerentur numero inter ſeſe; ergo duæ quarum vna fieret à me ſolo, alia verò per nullam potentiam fieri poſſet à me ſolo,diſtinguentur pluſquàm numero, quia diſtinguntur inter ſe pluſquàm duæ priores abinuicem diſtinguebantur,quæ autem diſtinguntur pluſquàm numero,certum eſt ea diſtingui ſpecie,ſaltem logicâ, de qua diximus in metaphyſica, quid ſit,& quomodo à ſpecie phyſica differat; Ergo quando Deus adiunget ſe mihi operabundo ad cooperandum mecum immediatè, eliciet actionem non numero duntaxat,ſed ſpecie logicâ diſtinctam ab ea quam ego elicerem, ſi per poſſibile, aut impoſſibile operarer ſolus: & ſic determinat actionem meam quoad ſpeciem,quia facit vt actio mea ſit alterius ſpeciei quàm eſſet, ſi ego

 ſolus

ſolus eſſem cauſa adæquata,& totalis actus.

XV. Et confirmatur idem, ex eo quòd quando Deus mecum vult concurrere Concurſu naturali,actio mea euadit naturalis;quando verò concurrit ſupernaturali Concurſu, actio euadit ſupernaturalis; abſque eo quòd voluntas mea diſcrimen vllum experiatur,aut deprehendat in ſuo vtroque conatu,& Concurſu; Atqui actio naturalis ſpécie diſtinguitur,aut etiam genere ab actione ſupernaturali: Igitur indicium eſt Deum cooperantem nobiſcum proximè, & identificè fore principium formale determinatiuum actionis, tam quoad ſpeciem, quàm quoad indiuiduum, ac proinde non poſſe inde ſumi legitimam ipſius excuſationem ſi concurrat immediatè ad actum intrinſecè prauum.

XVI. Neque ſimiliter decimò excuſari poteſt, eò quòd ipſius cooperatio ſit generalis,indifferens, & indeterminata; hominis autem determinata,& particularis; quatenus Concurſus Dei in actu primo, vt aiunt, id eſt, Deus vt paratus ad concurrendum quantùm eſt ex ſe, & ex munere cauſæ primæ, paratus eſt cooperari ad quamlibet creaturæ actionem, ſiue illi vitio creaturæ adiungatur malitia, ſiue non adiungatur, vt fieri poſſet ſi actio in amentia contingeret,vel in ſomno, aut ignorantia inuincibili, vel lege ceſſante; Deus tamen (inquiunt) Scientiâ Mediâ præuidens voluntatem creatam, ſeſe his vel illis circunſtantiis poſitis determinaturam ad actionem cui contingit malitiam eſſe annexam, ipſe etiam determinatè vult ad eam concurrere,paratus nihilominus concurrere ad oppoſitam bonam, ſi ad illam creata voluntas determinare ſe vellet; ex quo fit vt Concurſus à Deo exhibitus in actu ſecundo,ſiue actio prout à Deo exoritur,indifferens ſit ad bonitatem, aut malitiam moralem illi ex modo operandi creaturæ obuenturam.

Iſte enim ſenſus eſt eruditiſſimorum Aſſertorum Scientiæ Mediæ,dum dicunt Concurſum Dei eſſe indifferentem; non ille alter ſecundùm quem falsò illis impoſitum nonnulli fruſtrà eos impugnant; quaſi doceant actionem creaturæ non eſſe à Deo ſecundùm rationem ſpecificam, ſed tantùm ſecundùm rationem genericam entis,aut actionis; Ipſi enim fatentur paſſim nihil exiſtere poſſe in rerum natura quod ſit indeterminatum, & indifferẽs

ad hanc

Digitized by Google

**ad hanc aut illam ſpeciem; quin potius expreſsè clamant actionem & Concurſum Dei, ſicut & omnem alium eius effectum** eſſe indiuiduum determinatum alicuius ſpeciei.

Reſpondetur enim primò, in noſtra quidem ſententia verum eſſe quòd Deus non modò offerat, ſed etiam conferat Concurſum indifferentem, & qui flecti poſſit ad varios actus quia exhibitio iſta Concurſus, eſt collatio virtutis, propenſioniſque ad agendum, quæ valere poteſt ad multos actus numero ac ſpecie diſtinctos, vt ſatis conſtat: At verò iuxta ſententiam Auctorum Concurſus proximi, & identificati; falſum eſt quòd Deus offerat creatæ voluntati varios Concurſus, vt ipſa quemcumque ex illis voluerit eligat & obtineat; ipſe autem poſtmodum intuitus electionem determinationémque voluntatis humanæ decernat præſtare in tempore, & in actu ſecundo, hunc aut illum, prout illam poſtulate obſeruauerit, præſcientíam enim illam Mediam antecedentem, dirigentémque decretum abſolutum, ac determinatum concurrendi hoc aut illo peculiari Concurſu eſſe impoſſibilem, ſuppoſitis principiis Auctorum Concurſus identificati per varia capita ſecundæ partis huius opuſculi, vt mihi quidem videtur, ſufficienter demonſtratum reliquimus: & ipſi Aduerſarij nunc ſatis communiter fatentur huiuſmodi decretum abſolutum ac determinatum concurrendi hoc aut illo peculiari Concurſu, ſi daretur in Deo prout neceſſe eſſet dari ſi Deus immediatè concurreret, humanam deſtruere libertatem, & Deum facere peccati auctorem, vel complicem.

Itaque ſi Deus concurreret identificato Concurſu, cooperatio ipſius eſſet adeodeterminata ad vnũ actũ; ſcilicet ad eum cui identificaretur, vt impoſſibile eſſet cooperationem illius ad odium valere vnquam ad eliciendum alium actum numero, aut ſpecie diuerſum: igitur excuſatio iſta quòd diuinus Concurſus indifferens & indeterminatus ſit, nihilo pluris fieri debet quàm præcedentes; cùm in Aduerſariorum ſententia nullus detur huiuſmodi Cõcurſus indifferens, ſed ſolùm in noſtra: Vnde dicendum eſt Deum non concurrere immediatè identificato Concurſu ad actus noſtros liberos intrinſecè malos, ne dicatur ipſe complex, & ſocius peccati, ſaluo tamen Eccleſiæ Sanctæ Romanæ iudicio, quæ circa huiuſmodi Concurſum nihil definiuit, neque expreſſum dogma fidei condi-

Xx 3 dit,

Digitized by Google

dit, ſed cum liberæ adhuc diſputationi Theologorum permiſit.

---

# CAPVT XI.

*In quo confirmatur noſtra ſententia argumento petito ex impeccabilitate Chriſti Domini, & ex eo quòd Deus non poſſit eſſe nobis Cauſa peccandi.*

I. NOn poſſe Deum concurrere proximè, & immediatè ad actus prauos hominum ſuaderi poteſt, vt mihi quidem videtur, efficaci ratione *ad hominē* contra eos qui putant humanitatem Chriſti Domini ipsâ præcisè hypoſtaticâ vnione factam fuiſſe impeccabilem: Implicat, inquiunt, contradictionem, vt Verbum permittat in natura hypoſtaticè ſibi vnita actum materialem peccati, tametſi inuoluntarium; ſcilicet quia hoc eſſet indecens, & repugnans diuinæ ſanctitati, & huiuſmodi actus prauus refunderetur in Verbum, quod lege naturali, ac eſſentiali ſuâ bonitate, & ſanctitate adſtringitur ad huiuſmodi prauos actus impediendos, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, tribuunturque ſuppoſitis à quibus emanant; vnde inferunt, ob nullum omnino finem Verbum potuiſſe habere ius permittendi talem actum in natura ſibi perſonaliter vnita, neque ad dandum nobis exemplum patientiæ, & victoriæ; neque ob quamcumque aliam cauſam.

Quinimò addunt; quòd tametſi Deus per Scientiam Mediam præuiderit futurū eſſe vt natura illa humana Chriſti Domini, caſu quo non impediretur, ſed ſibi, & ſubſiſtentiæ ſuæ creatæ, quam alioqui habitura fuiſſet, relinqueretur; aliquando pro ſua libertate peccatura eſſet, tamen non debuit, nec potuit Deus permittere, nec conſentire vt ipſa vel ſemel peccaret; nequidem ſumptâ occaſione ex illo actu prauo conditionatè futuro ac præuiſo; ſed tenetur habere;

habere;& de facto habet decretum abſolutum nunquam concurrendi cum huiuſmodi natura hypoſtaticè ſibi coniuncta ad actum prauum.

Hinc ergo ſumitur efficax argumentum; quia multò magis repugnat diuinæ ſanctitati, vt idem Verbum, atque adeo tota ſanctiſſima Trinitas producat ipſa proximè,& immediatè actum prauum ſimul cum aliqua natura creata; quia cauſa efficiens proxima,& immediata plus magiſque influit in actum quem effectiuè producit; quàm ſubſiſtentia, aut perſonalitas influat in actum qui producitur à natura per huiuſmodi perſonalitatem ſuſtentata ac terminata: Communis enim ſententia eſt quàm benè confirmat P. Suarez in metaphyſica & alibi, ſubſiſtentiam noſtram non eſſe principium actiuum noſtrarum operationum: Ex quo etiam ſequitur diuinam Verbi ſubſiſtentiam quatenus virtute aut ratione ratiocinatâ diſtinguitur ab eſſentia, non eſſe principium operatiuum actionum Chriſti, quia facit ſolùm in illa id quod feciſſet ſubſiſtentia creata: vnde inferre licet actiones quas cauſa efficiens aliqua immediatè producit, magis ad illam pertinere, & plus illi attribui, quàm actiones à natura ſubſtantiali productæ pertineant ad ſubſiſtentiam eius; Ergo ſi actio producta à natura humana Chriſti Domini tribuitur Verbo ipſam humanitatem ſuſtentanti ac terminanti; multo magis eidem Verbo actio illa tribueretur, ſi eam proximè & immediatè produceret: Ergo ſi propter hanc rationem Verbum non potuit habere ius, aut debitum permittendi vllum actum prauum, etiam materialiter ſumptum, tametſi indeliberatum in natura ſibi perſonaliter vnita, nequidem occaſione ſumpta ex tali actu futuro in illa conditionatè; ne talis actus ad ipſum pertineret, ſibíque tribueretur, quod quidem fuiſſet indecens, ac Deo indignum; longè rationabiliùs dicemus eandem Sanctiſſimam Trinitatem non poſſe habere ius, aut debitum ſibimetipſi impoſuiſſe coëfficiendi talem actum ob quemcumque finem, nequidem occaſione ſumptâ ex actu conditionatè futuro & producendo à creatura, ſed potiùs teneri habere, & de facto habet decretum abſolutum nunquam efficiendi proximè & immediatè talem actum: vel afferenda eſt ratio diſcriminis; quæ profectò vel nulla eſt, vel ſi eſt aliqua; nobis fauet non aduerſariis. II.

Et

III. Et quidem ea quæ hactenus à nobis allata ſunt argumenta, ſatis probaſſe videntur Deum (ſi ita loqui licet) peccaturum; & aliquid irrationabile præſtiturum, ſi concurreret nobiſcum proximè, & identificè ad actus prauos: vnde quia eſt impoſſibile Deum peccare aut aliquid contra rectam rationem agere, intulimus eum non poſſe ita concurrere ad tales actus: Veruntamen, quia non eſt omnino idem *peccare*, & *eſſe cauſam ſiue Auctorem vt alter peccet*; ſicut non eſt idem, *mereri*, & *eſſe cauſam meriti alterius*; Deus enim non meretur; eſt tamen cauſa meriti noſtri; Probandum quoque nobis incumbit, Deum futurum cauſam, & auctorem peccati noſtri, ſi ita concurreret ad actus noſtros illicitos, cùm tamen ſaluâ fide dici non poſſit Deum eſſe nobis cauſam peccati, prout in confeſſo eſt apud omnes Theologos.

Porrò, non eſſe omnino idem Deum peccare, & eſſe nobis cauſam peccandi, facilè apparet ex eo quòd poſſit aliquis ex errore, aut inconſideratione inculpabili inducere alterum ad peccandum, in quo ille non peccabit qui erit alteri cauſa peccandi; & ex eo quòd vix vlli reperti fuerint hæretici, (exceptis neſcio quibus Luciferianis, Marcioniſtis, & paucis aliis) qui hanc tantam blaſphemiam pronuntiare potuerint, vt aſſererent Deum ipſum peccare poſſe, & de facto aliquando peccaſſe; Cùm tamen plurimi Caluiniſtæ reperti fuerint, & fortè etiamnum reperiantur qui exiſtiment Deum operari opera noſtra praua non modò permiſſiuè; ſed etiam propriè, ac per ſe, efficaciter volendo, decernendo, mouendo & impellendo nos ad peccata, quanquam id fieri à Deo addant ob bonum finem, ſcilicet ad manifeſtationem iuſtitiæ ſuæ; propter quod etiam dixerunt, non peccare Deum; eſſe tamen nobis cauſam peccandi.

Cùm igitur fides Catholica doceat, Deum non modò peccare non poſſe, ſed nequidem peccati noſtri auctorem & cauſam eſſe poſſe; probandum ſupereſt, eum ſi concurreret nobiſcum immediatè ad actus prauos futurum auctorem, & cauſam peccati noſtri; vt inde concludamus huiuſmodi Concurſum Catholicæ veritati minimè eſſe conſentaneum.

IV. Itaque iſta eſſe debet prima probatio; Theologi communiter docent, Impoſſibile eſſe vt Deus producat ſolus in voluntate cuiuſpiam

iuſpiam habitum vitioſum inclinantem ad actum prauum: etiamſi nullus vnquam actus illicitus ab illo habitu eſſet emanaturus; Deo impediente, vel homine ipſo pro ſua libertate reſiſtente; & tametſi huiuſmodi habitus non inclinet niſi in opus prauum ſumptum duntaxat pro materiali; cuius rei ſignum eſſe poteſt, quia non minùs, ſed fortè magis inclinat hominem qui non vteretur ratione quàm eum qui vteretur; is autem qui non eſſet ſui compos non poſſet producere actum prauum formaliter, ſed tantùm materialiter, ob defectum moralitatis quo talis actus, vtpote indeliberatus, laborat: Porrò, non poſſe Deum ſe ſolo infundere habitum vitioſum probatur, quia aliàs ipſe Deus mediatè illo habitu qui eſſet habitualis quædam impulſio; & inclinatio in actum malum, meritò diceretur impellere & vrgere nos ad peccandum, quod tametſi non ſuperet virtutem agendi infinitam Dei, tamen alienum eſt à Diuina Sanctitate: Atqui producere immediatè actum odij Dei in voluntate hominis liberè illum elicientis multò magis alienum eſt à Diuina bonitate & Sanctitate; & magis repugnat amori quo Deus ſeipſum proſequitur, quia hoc eſſet multò efficaciùs impellere hominem ad ruinam, & cooperari ruinæ eius, aut cauſam peccati eſſe, præſertim cùm paulò infrà oſtenſuri ſimus, poſito huiuſmodi Concurſu Dei proximo, & identificato, nullam relictum iri in homine libertatem ad reſiſtendum.

Dices; eodem argumento probari poſſet Deum nequidem cum cauſa ſecunda poſſe producere in nobis habitum inclinantem ad actum malum: hoc autem derogare videtur infinitæ virtuti & potentiæ Dei, præſertim cùm non obſtante illo habitu adhuc ſit in poteſtate hominis facere, aut non facere actum ad quem talis habitus inclinatet; Maior probatur, quia etiam ſic Deus diceretur cauſa peccati, & impellere ad peccandum, quod tamen de Deo dici non debet; ſiue dicatur id facere ſolus, ſiue cum cauſa ſecunda. V.

Reſpondeo; longè certiùs eſt Deum non poſſe producere immediatè, & proximè actum prauum; ſiue eum dicatur producere ſolus, ſiue cum cauſa ſecunda, quàm non poſſe producere habitum inclinantem ad actum prauum, quia illud eſt eſſe cauſam magis immediatam peccati quàm iſtud; tamen probabiliſſimum quo-

que mihi videtur,quòd nequidem cum cauſa ſecunda Deus poſſit producere immediatè,& proximè in aliquo homine habitum cuius nullum aliud munus ſit quàm vt premat, inclinétque voluntatem ad actum prauum,ne Deum aliquo modo dicamus velle peccatum noſtrum,& eſſe cauſam illius:Dixi *habitum cuius nullum aliud munus ſit quàm vt inclinet nos ad peccandum*, ne quis inde concludat Deum non potuiſſe in nobis producere appetitum ſenſitiuum, eò quòd ſæpè inclinet ac pertrahat voluntatem ad peccandum. Contra enim hoc eſt,quia appetitus ſenſitiuus ſpectat ad integritatem naturæ humanæ,habétque id muneris vt proſequatur bonum ſenſibile,etiam honeſtum; propter quod nequidem in Chriſto Domino,& ſanctiſſima illius Matre deeſſe debuit,prout in tractatu de Incarnatione explicari ſolet.

VI. Ampliùs ſecundò confirmatur noſtra Aſſertio; Probatiores Theologi communiter multùm reprehendũt aliquos Nominales, quòd exiſtimauerint Deum ſe ſolo producere in voluntate damnatorum actus odij Dei,blaſphemiæ,deſperationis &c.ipsâ voluntate eorum non concurrente ad id actiuè,ſed duntaxat paſſiuè;dicúntque ſententiam illam eſſe Deo indignam, & piarum aurium offenſiuam:At multò grauiùs eſt proximè,& immediatè producere actum odij in voluntate hominis iudicio & libertate pollentis, ac minimè adhuc damnati, ſed peccantis ac demerentis, etiamſi dicas quòd Deus actus huiuſmodi producat determinatus à creatura volente eos producere,ac ſimul cum Deo eos producente:Ergo dicendum eſt,Deum non ita concurrere ad actus prauos,ne dicatur eſſe cauſa actuum adeò turpium, præſertim cùm verius ſit eum nequidem ad actus bonos liberos, etiamſi ſint ſupernaturales,ita concurrere;quemadmodum patebit infrà.

VII. Inſuper tertiò, non licet homini ratione vtenti, ob quemcunque finem ac motiuum conſilium dare aut inuitare aliquem rationis impotem, vt cum muliere non ſua, etiam rationis impote,fornicetur; tametſi fornicatione illâ non ſint peccaturi defectu iudicij & libertatis; ſcilicet quia fornicatio illa eſt actus ex obiecto illicitus,quem non licet facere,aut procurare;aut illius cauſam eſſe, neque in ſe,neque in alio;etiamſi ille alter non ſit peccaturus:Ergo ſimiliter aduerſatur rationi vt Deus immediatè producat in homine,

homine, præſertim ratione vtente, actum odij, aut alium ſimilem ex obiecto illicitum; cùm hoc aliud nihil ſit quàm peccati illius cauſam eſſe: neque refert quòd Deus non dicitur illo actu odij odiſſe Deum, eò quòd tametſi illum producat, reſpectu tamē ipſius Dei non ſit actus vitalis, aut immanens, ſed tranſiens, quem Deus quaſi mortuo, vt aiunt, modo producit, hoc eſt, non vitaliter nec immanenter, prout oporteret eum produci vt poſſet imputari Deo tanquam auctori malitiæ eius & peccati: Contra enim hoc eſt, quia quemadmodum non excuſaretur homo ille propoſitus in argumento, ex eo quòd ipſe non fornicetur, ſed ſolùm in alio faciat aliquid vnde ſequitur vt ille alter fornicetur, propter quod meritò ipſe dicitur eſſe cauſa, & auctor fornicationis ab alio perpetratæ; ita neque propter allatam rationem excuſari poterit Deus quominùs dicatur auctor, & cauſa peccati; ſi producat immediatè in homine quopiam actum prauum.

Præterea quartò, Sententia Aduerſariorum populo ſyncerè propoſita, & explicata poſſet parere ſcandalum & licentiam vitæ; eſtque apta nata minuere peccati horrorem, & fugam, & conatum ad vitanda peccata; Quis enim facilè credat peccata tantoperè diſplicere Deo; ſi perſuaſum habeat eum proximè & immediatè cum hominibus nefariis coëfficere ipſos eoſdem actus turpiſſimos, quorum vel ipſa ferè nomina horremus? Quis debitam illam diligentiam adhibeat ad cauenda peccata? Quis non putet Deum nobis eſſe cauſam peccati, aut ſaltem ſocium; ſi credat Deum legem ac decretum prorſus indefectibile ſibimetipſi ab æterno impoſuiſſe coëfficiendi nobiſcum tali die, hora, momento quoſlibet actus prauos? Neque ſanè ſatisfieri poſſet Chriſtianis per illas diſtinctiones (in præſenti quidem inutiles) operum turpium *formaliter*, aut *materialiter* duntaxat acceptorum, quibus tueri ſe conantur Aduerſarij, imò periculum eſſe poſſet ne omnes ſcandalum inde paterentur, niſi Aſſertores Concurſus proximi & identificati, qui toto ferè orbe Chriſtiano fœliciter valdè Gymnaſiis præſunt, ſtudioſorum mentes, atque ingenia primùm in philoſophia, deinde verò in Theologia ſuis adeò imbuerēt, adſtringerẽntq; principiis, vt diſcipulis rē iſtam non ſatis profundè penetrantibus, Magiſtrorum ſuorum ſententia ſola eſſe probabilis, & veritatem continere VIII.

videatur;quæ profectò ſententia, tametſi falſa, cùm patronos habeat plurimos, eóſque ſupremæ eruditionis, diligentiæ, necnon etiam pietatis viros;Noſtra Aſſertio,quæ eſt illi è regione contraria,poſtulat æquiſſimum iudicem; qui non ex præiudicio, neque ex affectu partium, ſed ex veritate, & conſcientia, ponderatis vtrimque rationum momentis cauſæ meritum agnoſcere velit ac valeat.

---

## CAPVT XII.

### *In quo ſoluuntur argumenta quibus probari poſſe videbatur non repugnare Diuinæ Sanctitati, vt Deus concurrat proximè, & identificè ad actus prauos.*

I. ADuersùs ea quæ duobus præcedentibus capitibus à nobis allata ſunt;Dices primò;Ideò dicitur actus eſſentialiter malus, quia implicat eum produci à voluntate moraliter defectibili & iudicio aduertente malitiam eius,ac difformitatem cum recta ratione, quin ſit malus; at voluntas diuina formaliter eſt ipſa rectitudo, neque poteſt concipi vt moraliter defectibilis; ſed ſola voluntas creata;ergo actus non poteſt eſſentialiter eſſe malus per ordinem ad diuinam voluntatem,ſed per ordinem ad creatam duntaxat voluntatem.

Reſpondeo;manifeſtam committi principij petitionem, quandoquidem adfertur pro ratione id quod eſt poſitum in quæſtione; Inquirimus enim An ſi Deus eliceret actum ex obiecto ſuo difformem rectæ rationi,deficeret moraliter, & adfertur ratio negationis; quia, inquis, non poteſt moraliter deficere; quod eſt probare idem per idem.

Fatemur quidem & nos, diuinam voluntatem eſſe formaliter ipſam rectitudinem, & ſanctitatem; neque poſſe velle quicquam quod non ſit rectiſſimum,ſanctiſſimum, & conforme rationi: Cæterùm

Digitized by Google

terùm tamen inde non ſequitur eum non peccaturum, ſi faceret actum à recta ratione deflectentem, ſed ſolùm ſequitur eum non poſſe eiuſmodi actum velle aut producere: Vnde profectò Sancti Patres ac Theologi, dum docent Deum mentiri non poſſe, nec per ſe nec per alium; nunquam dixerunt eum tametſi mentiretur non peccaturum, aut mendacium per ordinem ad Deum non eſſe illicitum, ſed præſupponentes eum mentiri non poſſe quin eò ipſo negaret ſeipſum, & quidpiam faceret à recta ratione alieniſſimum, concluſerunt eum mentiri omnino minimè poſſe: Et quidem ſanè non licet dicere de confirmatis in gratia, quod ipſi non poſſint mortaliter peccare, eò quòd odium Dei, verbi causâ, vel aliud huiuſmodi crimen, non ſit defectus, aut peccatum per ordinem ad eorum voluntatem quæ ampliùs non poteſt deficere, ſed ſolùm per ordinem ad voluntates aliorum hominum qui adhuc deficere, & peccare poſſunt: Quin potiùs dicendum eſt quòd quia odium Dei eſt peccatum mortale per ordinem ad quamcunque voluntatem liberè illud committentem, ideo confirmati in gratia non poſſunt hujuſmodi actum liberè committere, quin eo ipſo peccent mortaliter; & quia peccare non poſſunt mortaliter, bene ſequitur eos conſentire nō poſſe in actum liberum odij Dei. Ita igitur in propoſito dicendum eſt, quòd quia actus intrinſecè turpis repugnat rectæ rationi, per ordinem ad quamcumque voluntatem liberè illum producentem, Ideo voluntas Diuina, quæ non poteſt à recta ratione deficere, non poteſt producere immediatè talem actum.

Dices ſecundò, In actu peccati tria diſtingui debent, primò ipſa culpa ſeu peccatum; ſecundò, fundamentum peccati, ſcilicet libertas, tertiò, ipſe actus phyſicus, qui vt ſic bonus eſt; ſicut & omnis alia entitas, Deus autem attingit immediatè actum peccati ſub tertia tantùm ratione, minimè verò ſub aliis duabus. II.

Reſpondeo, quotieſcumque committitur iſte actus phyſicus prohibitus cum fundamento peccati & culpæ, id eſt, cum libertate; ibi tertium etiam, ſcilicet culpa & peccatum imputari committenti; Igitur ſi Deus immediatè produceret actū phyſicum peccati, cùm libertas illi deeſſe non poſſit, quæ eſt fundamentum culpæ & peccati, ipſa etiam culpa & peccatū neceſſariò eidem tribuerētur.



Digitized by Google

Dices tertiò; quando plures cauſæ concurrunt ad eumdem effectum; variæ formalitates effectus reſpondent variis ac diuerſis cauſis; quemadmodum in actu fidei, quòd ſit actus cognitionis, tribuitur intellectui; quòd ſit ſupernaturalis, tribuitur habitui, vel auxilio diuino actuali, quòd ſit aſſenſus circa myſteriũ Trinitatis & nõ circa aliud, tribuitur ſpeciei, ꝙ ſit meritorius, tribuitur charitati à qua imperatur &c. Ergo ſimiliter in actu illicito quẽ duę cauſę producũt, diuina ſcilicet & humana volũtas; formalitas peccati ſeu culpæ facilè poteſt attribui homini abſq; eo quòd tribuatur Deo.

Reſpõdeo, Fateor aliquas formalitates, ac denominationes tribui poſſe actui quatenus ab homine produceretur, quæ non conuenirent eidem quatenus produceretur à Deo, vt exempli cauſâ, quòd eſſet Immanẽs, vitali s meritorius reſpectu vnius, & nõ reſpectu alterius; ſed aliquando formalitates quæ reperiuntur in aliquo effectu à duabus cauſis producto sũt huiuſmodi, vt æqualiter vtriq; tribuantur, vt ſi duo homines aduertentes malitiã, ac prohibitionẽ alicuius actus externi, liberè tamen eundem illum actum cõmittãt, formalitas malitiæ & culpæ tribuitur vtrique; & ſinguli præter actum internum volitionis elicitiuè liberum, etiam externum confiteri debent: & ſic nos etiam dicimus, quòd ſi Deus, & homo concurrerent ſimul ad eũdem actum illicitum faciendum, formalitas malitiæ tribueretur vtriq;: vel adferenda eſt ratio cur vni tribueretur, & non alteri; ſicut benè adfertur ratio cur actus ſit vitalis reſpectu hominis, & non reſpectu Dei.

IV. Dices quartò; Idem actus reſpectu eiuſdem hominis poteſt eſſe primùm indifferens, ac deinde malus; vt ſi aliquis die prohibitâ carnibus veſcatur non aduertendo prohibitionem, tum verò deinde recordatus præcepti, nihilominus proſequatur, & adhuc comedat, comeſtio carnium initio eſt non mala; poſtmodum autem fit illicita; ergo multò magis idem actus reſpectu Dei erit non malus, ſed ſolùm reſpectu hominis.

Reſpondetur primò argumentum retorquendo; vt comeſtio carnium iam inde ab initio eſſet illicita; nihil deerat niſi libertas moralis, quę aduertentiam prohibitionis poſtulabat: At non poteſt Deus non aduertere prohibitionem; nec poteſt illi deeſſe libertas tum phyſica tum moralis.

Reſpon

Reſpondetur ſecundò, In comeſtione illa carnium primùm indifferente ob defectum aduertentiæ ad prohibitionem, deinde malâ ob liberam præcepti violationem, plures actus interueniunt; ſcilicet ipſa comeſtio externa, quæ defectu libertatis, & aduertentiæ eſt indifferens; & fatemur Deum poſſe ad illam concurrere immediatè ſi vellet; quia non eſt mala nec libera. Secundò, voluntas deliberata comedendi non obſtante prohibitione, & contra conſcientiam; qui eſt actus intrinſecè & eſſentialiter malus; nunquam enim ob vllum finem licet contra conſcientiam agere, & huiuſmodi actum non poteſt Deus immediatè producere: Quam circa rem obſeruandum occurrit, nos quotieſcumque peccamus aliquid committere quod ſit intrinſecè prauum, ſcilicet, quia in omni peccato noſtro agimus contra dictamen conſcientiæ, alioqui non peccaremus: ſæpe autem præter id quod eſt malum intrinſecè committitur alius actus, qui non eſt malus niſi quia prohibitus.

Dices quintò, Idem actus poteſt eſſe bonus, & malus in ordine ad plures cauſas; ita enim licet petere & cooperari ad iuramentum eius qui iuraturus eſt per falſos Deos; licet petere & accipere pecuniam ab eo qui daturus eſt eam ad vſuram: Parochianus abſolutionem licitè petit à Parocho exiſtente in peccato mortali; & concurrit ad ſacrilegium illius abſque peccato: quia vtitur iure ſuo: licuit etiam Chriſto Domino mortem à Iudæis pati, in qua ex vna parte committebatur enorme Deicidium; ex alia verò maximæ charitatis opus exercebatur: Ergo licet aliquando concurrere abſque peccato ad actum ex natura ſua mortalem; ita tamen vt alter ex concurrentibus nullatenus peccet, ſed potius iure ſuo vtatur, & rem licitam faciat. Ergo ſimiliter Deus eandem nobiſcum efficiens actionem minimè peccat; ſed vtitur iure ſuo, debitúmque implet officium primæ & vniuerſalis cauſæ. V.

Reſpondeo, ſi actus petitus poteſt fieri ſine peccato ab eo à quo petitur; licet eum actum petere, & qui petit non dat alteri occaſionem efficacem peccandi, ſed ipſe à quo petitur ex mala ſua voluntate loco actus boni qui petitur, ponit actum malum diſplicentem ei qui petit, vnde ad exempla.

Ad primum, qui in pace, treuga, aut induciis paciſcendis iuramen

Digitized by Google

mentum exigit à Principe infideli; pactorum fidelitatem exigit, non diuinam iniuriam: mallet enim talis vt alter per verum Deum iuraret quod peccatum non eſſet: ſi tamen induceret eum ad iurandum per falſos Deos, peccaret; quia concurreret ad actum qui non poteſt omnino fieri abſque iniuria Creatoris.

Ad ſecundum; qui mutuam ab vſurario pecuniam petit; is mutuum petit, quod eſt licitum dare, & petere, fierique poteſt non modò ſine peccato, ſed etiam cum merito; mallétque petens mutuum gratis accipere quàm cùm fœnore; Itaque petitio eſt licita; quia eſt petitio rei quæ licitè fieri poteſt; ſed datio pecuniæ ad vſuram eſt illicita; ſúntque duæ diſtinctæ actiones, quarum vna turpis; alia, honeſta: hic non inducit alterum ad peccatum; ſed petit ab eo id quod licitè & bene dare poteſt, ſcilicet pecuniam mutuam; ſed cùm id facere vſurarius nolit modo licito, alter qui pecuniis indiget, patitur iniquam conditionem: iniuriam autem pati non eſt peccatum, ſed facere, vt tradit Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 11. Itaque vniuerſi ferè Doctores in eam conuenere ſententiam, quòd liceat vti peccato alterius eo modo quem attulimus.

Ad tertium; Parochianus iure ac licitè abſolutionem petit, quam ſine peccato Parochus conferre poteſt, ac debet, ſi velit conteri & ſe diſponere; quòd ſi eam in peccato mortali conferat; ipſe rem illicitam faciet; erúntque duæ diſtinctæ actiones; petitio licita, & collatio illicita; At quæſtio noſtra eſt de eadem indiuiſibili actione, An ſcilicet reſpectu hominis ſit illicita, reſpectu verò Dei, honeſta; ex quo patet huiuſmodi exempla non eſſe ad propoſitum.

Ad quartum; voluntas occidendi Chriſtum in Iudæis immane fuit ſacrilegium; voluntas autem mortem acceptandi & patiendi, nimia in Chriſto charitas fuit, at ſunt duæ diſtinctiſſimæ actiones, vna Iudæorum, altera Chriſti Domini, quapropter iſtud exemplum non facit ad propoſitum.

VI. Dices ſextò, ſequeretur eſſe aliquod bonum creatum, quod tamen Deus non poſſet efficere; ſcilicet actum odij, qui profectò actus cùm ſit ens quoddam verum, atque in ſuo genere perfectum, conſequenter eſt quoddam bonum, quia ens & bonum conuertuntur: At conſequens eſt abſurdum; præſertim cum aſſertio Theologorum communis doceat, Deum poſſe cum cauſis ſecun-

dis

dis, aut etiam ſe ſolo, & ſine illis quicquid non inuoluit Concurſum cauſæ materialis,aut formalis;& omnem influxum effectiuum ab illo poſſe manare;alioqui cùm ſit omnipotens, non poſſet tamen quicquid eſt poſſibile, & quod etiam ab alio agente efficitur,quod perinde eſt, ac ſi quis diceret eum eſſe æternum, & immenſum,& tamen non poſſe coëxiſtere omni durationi creatæ, & omni ſpatio reali,quod eſt abſurdum.

Reſpondeo primò;fateor actum odij Dei,& quemcunque alium actum realem eſſe quoddam bonum tranſcendentaliter, quia nimirũ habet omnia requiſita vt ſit verus, integer, & perfectus actus vitalis odij;ſed quia idem ipſe actus eſt turpis & inhoneſtus,ac repugnans rectæ rationi, quæ eſt regula quam omnis natura intellectualis ſequi debet in quolibet actu ſuo; idcircò non inconuenit quòd Deus immediatè facere non poſſit aliquod ens, ac bonum tranſcendentale,repugnante nimirum iſtius entis, boníque tranſcendentalis turpitudine; & perfectâ Dei innocentiâ, & puritate. Sanè mendacium eſt vera,integra, & perfecta quædam ſimulatio; & tamen conſtat ex fide Deum mentiri minimè poſſe, neque per ſe ſolum,neque per alium, impediente nimirum mendacij turpitudine,& infinitâ Dei veracitate, ac rectitudine: Ad id autẽ quod dicitur, *ens & bonum conuerti*: Fateor ens conuerti cum bono tranſcendentali, ſed non conuertitur cum bono honeſto; oportet autem vt omne ens, opúſque à Deo immediatè factibile ſit honeſtum,& rectæ rationi conſentaneum, cuiuſmodi ſanè eſſe non poteſt actus intrinſecè prauus, nec conſequenter Concurſus ab ipſo actu prauo indiſtinctus.

Reſpondeo ſecundò, Quemadmodum eſſet imperfectio Deo, ſi fungi poſſet munere cauſæ formalis,aut materialis,quia vtraque illa cauſa eſt pars compoſiti, ad cuius perfectionem ordinatur, quod Deo conuenire non poteſt: ita eſſet imperfectio repugnans perfectioni diuinæ innocentiæ,& Sanctitatis, ſi habere poſſet aliquam cauſalitatem veram, propriam, ac per ſe,immediatam, & proximam reſpectu actuum qui ſunt intrinſecè praui;atque ex obiecto turpes,vti conſtat ex Tridentino ſeſſ.6. cap.6.

Reſpondeo tertiò; Non eſt communis aſſertio Theologorum, quòd Deus poſſit omnem prorſus actionem elicibilem à creatura,



Digitized by Google

ſe ſolo producere;quin potiùs fatentur communiter, Deum non poſſe efficere ſolum, & ſine conſortio potentiæ vitalis actum vitalem; ob rationes quæ ex propria vitalitatis natura, & conditione petuntur:Ergo mirum videri non debet, ſi quemadmodum vitalitas impedit ne actus vitalis à creatura producibilis,à Deo ſolo produci poſſit non obſtante ipſius omnipotentiâ; ita etiam turpitudo, & inhoneſtas,ſeu malitia actus impediat, quominus is à Deo puriſſimo, & ſanctiſſimo, tametſi omnipotentiſſimo produci poſſit immediatè,proximè,per ſe,ac propriè. Itaque poteſt ſolus id quod poteſt cum creatura,niſi aliqua peculiaris ratio impoſſibilitatis obſtet;quo pacto iidem Theologi, ac Philoſophi docent, actionem adæquatam creaturæ produci non poſſe à Deo ſolo,id eſt,ſine cōſortio creaturæ: quia variato agente in aliqua ſui parte ad actionem efficienter influente, neceſſe eſt variari actionem, eámque euadere numero,atque entitate diuerſam.

Reſpondeo quartò;aliquid eſſe poſſibile per ordinē ad potentiā creatā,defectibilē,& non impeditā, quod tamē nō eſt poſſibile per ordinē ad potentiā diuinam,adeò vt ab ipſa produci poſſit immediatè,& proximè;quemadmodū etiam in Aduerſariorū ſententia, actus vitalis & omnis actus prauus eſt poſſibilis per ordinē ad potentiam creatā Deo concurrente; qui non eſt poſſibilis per ordinē ad potentiam diuinam ſolam, & ſine conſortio creaturæ viuentis: Sicut ergo illud non inconuenit ſecundùm illos; ita neque ſecundùm nos inconuenit,vt creatura defectibilis & non impedita poſſit aliquid producere immediatè & proximè Deo non concurrente proximè,& immediatè,quod tamen Deus non poſſit eodem modo producere,ſiue cum creatura,ſiue ſolus:Hoc autem non eſt defectus potentiæ,ſed abundantia potiùs, atque infinitas rectitudinis,innocentiæ,& puritatis Dei.

Reſpondeo quintò;Contradictio eſt,ſi dicas Deum æternum & immenſum eſſe; & tamen non coëxiſtere omni durationi & ſpatio reali,quia eſſe immenſum, eſt coëxiſtere omni ſpatio reali, & fortè etiam imaginario; & ſimiliter æternum eſſe idem eſt, ac coexiſtere ſaltem ſucceſſiuè omni durationi imaginariæ, aut reali: fieri autem non poteſt vt idem reſpectu eiuſdem coëxiſtat, & ſimul non coëxiſtat: At nulla contradictio eſt quòd Deus dicatur

omnipote

omnipotens,tametſi reperiri poſſit aliquid quod non ſit producibile ab ipſo ob ſpecialem aliquam impoſſibilitatis rationem, quẽadmodum latiùs dicitur in prima parte:Porrò,ratio impoſſibilitatis eſt;quia cùm Deus ſit infinitè iuſtus & rectus,agit ſemper iuxta regulam rectæ rationis: At ſi ageret immediatè,ac proximè actum intrinſecè prauum,& repugnantem rationi; ageret non iuxta, ſed potiùs contra regulam rectæ rationis, quod eſt contradictorium; non ſpectat autem ad diuinam omnipotentiam, vt quidlibet quolibet modo poſſit efficere, etiamſi ex tali productionis modo ſequatur contradictio,& inconueniens,nam quando ex aliquo productionis modo ſequitur inconueniens, & contradictio, illa productio cenſeri debet impoſſibilis.

Denique reſpondeo; debere nos tantam in Deo puritatem & ſanctitatem agnoſcere, vt nulla maior puritas poſſit intelligi, nedùm reperiri, præſertim cùm ipſa ſit norma, & regula omnis puritatis, quam nos imitari debemus quoad eius fieri poteſt, iuxta illud, *eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt* : & rurſum, *Sancti eritis quia ego ſanctus ſum*; Et nos ridere ſolemus Ethnicos ac Gentiles,qui Deos ſibi fingebant adulteros,& ſacrilegos,vt & ipſi qui colebant,ſimiles Diis ſuis liberiùs fierent:Non eſt autem Deus noſter vt Dij eorum, ſed fons potiùs & amator puritatis : Atqui ſanctitas & innocentia ad quam nos debemus contendere huiuſmodi eſſe debet,vt non modò malitia, & deformitas, ſeu formale actuum prauorum nobis diſpliceat; ſed vt ipſi etiam actus reales, imò & ipſa etiam nomina quibus appellari ſolent nobis diſpliceant, iuxta illud Apoſtoli, *fornicatio autem nec nominetur in vobis*: Igitur Aduerſarij noſtri cauere debent ne dum diuinam omnipotentiam, ac dominium magnificare ſatagunt, infinitæ illius puritati, & innocentiæ nimis præiudicent: Neque verò metuendum eſt,ne huiuſmodi actus prauus quem Deus immediatè non produxerit ab ipſius dominio,& prouidentia ſubtrahatur; quia vt non ſit extra prouidentiam Dei, ac dominium; ſatis eſt quòd Deus eum poſſit impedire, aut permittere, punire, aut remittere; & ex eo bonũ elicere atq; in optimum finem ordinare,prout ipſi placuerit.

Dices ſeptimò; Si ratione Diuinæ Sanctitatis impoſſibile eſt ipſum producere proximè, & immediatè actus prauos; ſequitur ne VII.

ipſi quidem Deo licitum eſſe permittere vt ab hominibus committantur; Nam qui poteſt impedire, ac cohibere peccantem, & non facit: non minùs dicitur eſſe particeps peccati alieni quàm ſi eſſet complex; maximè ſi ſit peccantis ſuperior, vt Prælatus ſubditi, maritus vxoris, dominus famuli &c. Atqui certum eſt Deum licitè, & honeſtè permittere vt Angeli, & homines aliquando peccent: Ergo etiam licitè, & honeſtè cooperari poteſt iiſdem dum peccata committunt.

Reſpondeo; longè euidentiùs eſt illicitum eſſe, ac repugnare ſanctitati cooperari peccato alterius, quàm illud permittere: Nam cooperari peccato alieno propriè, ac per ſe rem prauam faciendo, ſemper eſt illicitum, quocunque fine id facias, iuxta illud Apoſtoli, *Non ſunt facienda mala vt eueniant bona:* At permittere peccatum alterius non modò non eſt ſemper illicitum, ſed eſt aliquando vtile, ac neceſſarium: Sic enim Magiſtratus minora quædam peccata licitè permittit eo fine vt vitentur maiora; & Superior interdum peccatum ſubditi non permittit modò; ſed & illius etiam committendi occaſionem præbere poteſt, non eo quidem fine vt peccet, ſed vt in peccato illo deprehenſus efficaciùs emendetur, & corrigatur: Ergo mirum eſſe nõ debet quod nos aſſerimus, Deum non poſſe immediatè, proximè, propriè, ac per ſe comproducere, & coëfficere actus prauos; poſſe autem permittere, vt ab hominibus & Angelis committantur, tametſi eos impedire potuiſſet manente incolumi eorum libertate: Atque iſtius quidem permiſſionis nonnullas ſanè rationes adferunt Sancti Patres, cuiuſmodi eſt, vt euidentiùs innoteſcat terram cordis noſtri ſpeciali adiutorio gratiæ Dei deſtitutam non aliud ferè quàm ſpinas & tribulos peccatorum germinare: & quia Deus ex malis & peccatis noſtris maiora quædam bona nouit eruere; ſiue homines per ineffabile Incarnationis myſterium ſaluando, ac redimendo; ſiue faciendo vt reſurgant humiliores, & cautiores; ſiue ob alias huiuſmodi rationes, propter quas dixit Auguſtinus alicubi, *Meliùs iudicauit (Deus) de malis bona eruere, quàm mala nulla eſſe permittere.* Cæterùm, non tribuitur peccatum noſtrum Deo permittenti, quemadmodum tribueretur immediatè, atque identificè, vt ſic loquar, coëfficienti; quia vti docet Pomponacius libro 3. de fato, præſcientiâ, & præ-

deſtina

deſtinatione, permiſſio non eſt ſufficiens cauſa effectiua peccati: quemadmodum eſſet voluntas coëfficiendi nobiſcum actum prauum; tametſi enim, inquit, permiſero te percutere me, non erit tamen percuſſio niſi tu moueas & percutias; ſic niſi voluntas peccare velit, non erit peccatum, tametſi Deus permittat te peccare; quia hoc eſt ipſius voluntatis tuæ: & quanquam ex ipſa permiſſione peccati ſequatur peccatum neceſſitate quadam quæ dicitur infallibilitatis; hoc tamen non eſt ex eo quòd permiſſio iſta influat poſitiuè in voluntatem, & in actum eius: ſed eſt ſolùm neceſſitas certæ cuiuſdam illationis & conſequentiæ; quemadmodum poſitâ præſcientiâ, & reuelatione peccati ſequitur commiſſio peccati, tametſi præſcientia, & reuelatio in opus poſitiuè non influant; ſecus autem eſt de voluntate efficaci coëfficiendi nobiſcum actum prauum, quæ influit poſitiuè in actum, & ponit eum realiter, & de facto in eſſe.

Dices octauò; ſententia negans Concurſum Dei proximum, & immediatum ad actus prauos, maximè nititur eâ præſuppoſitione quòd dentur aliqui actus adeo intrinſecè atque eſſentialiter praui, vt ne Deus quidem ipſe diſpenſare poſſit, & concedere, vt licitè, & honeſtè ab vllo agente libero exerceri poſſint: Atqui fundamentum iſtud incertum eſt; neque deſunt Theologi qui contrarium exiſtiment: Ergo ſi Deus in huiuſmodi actibus hominem poteſt diſpenſare; multò magis ſeipſum diſpenſare poterit; & ſic facilè intelligetur in cooperatione, & Concurſu talis cuiuſdam operationis hominem peccare, non Deum: ſcilicet quia homo contra legem à Deo poſitam faciet, non item Deus. VIII.

Reſpondeo; adeo certum eſt dari aliquos actus intrinſecè prauos, cuiuſmodi eſt agere contra propriam conſcientiam, odiſſe Deum, & huiuſmodi, vt communis & certa Theologorum ſententia doceat, quòd ſi contingeret vt aliquis inuincibiliter ignorans Deum eſſe, aliquid ageret contra conſcientiam ſuam, exempli causâ, ſi furaretur aduersùs practicum rectæ rationis iudicium dictans illi & ſuadens non eſſe furandum; nihilominus tamen iſte peccaret, & talis actus eſſet turpis, atque illicitus, quemadmodum diximus & probauimus ſupra primâ parte huius tractatus c. 8. numerò 5.

IX. Dices nonò, In claudicatione ſunt duo quæ diſtingui poſſunt; motus localis, & obliquitas; & ſunt duæ cauſæ illius productiuæ, virtus greſſiua, & curuitas tibiæ;& quidem communis opinio eſt quam ſequitur S. Thomas in 2.diſtinct. 37. quæſt. 2. artic. 2. quicquid ibi eſt de greſſu totum eſſe à virtute; ſed defectum vel obliquitatem greſſus non eſſe à virtute greſſiua, ſed duntaxat à tibia curua,aut curta: Ergo ſimiliter cùm in actu peccaminoſo diſtinguantur actus realis phyſicus,& priuatio rectitudinis, ſiue deformitas;facilè intelligimus quicquid ibi eſt reale, phyſicum, & poſitiuum,totum eſſe à Deo proximè,& immediatè, ſed priuationem rectitudinis, ac deformitatem nullo modo eſſe à Deo niſi permiſſiuè;ſed ſolùm ab homine:ex quo etiam ſequitur Concurſum illum Dei identificatum cum actu peccaminoſo nullâ affici turpitudine,ſed potius eſſe aliquid honeſtum, & laudabile.

Reſpondeo; motus ille phyſicus qui reperitur in claudicatione tribuitur potentiæ greſſiuæ, ſeu motiuæ, tanquam verus, ac proprius effectus illius in cuius productionem verè,propriè, ac per ſe influit: tametſi enim non ſtet per virtutem greſſiuam quin fiat alter quidam motus melior, qualem produceret ſi haberet tibiam meliorem, ac longiorem ſibi cooperantem; tamen reuerà potentia greſſiua produxit claudicationem iſtam indiuiduam, & ſingularem, quæ non poteſt dici motus rectus,vel ambulatio recta per ordinem ad virtutem greſſiuam: ſed eſt omnino phyſicè praua ambulatio per ordinem ad quamcumque cauſam à qua producitur, etiam per ordinem ad potentiam greſſiuam: Neque enim dici poteſt quòd ea produxerit motum rectum; ſed omnino verum eſt eam produxiſſe motum non rectum; quandoquidem produxit eundem planè quem tibia curua produxit, & non alium; ſolumque in excuſationem potentiæ greſſiuę dici poteſt,potentiam illam habuiſſe quidem aut fuiſſe virtutem ſufficientem,imò & propenſiùs inclinaſſe ex natura ſua ad producendum motum rectum, niſi aliud ambulationis comprincipium, ſcilicet tibia, defectu illo laboraſſet: verùm hoc non ſufficit vt ambulatio iſta dicatur eſſe recta per ordinem ad virtutem greſſiuam; curua autem duntaxat per ordinem ad tibiam.

Quòd ſi claudicatio,ſeu motus progreſſiuus obliquus eſſet actus intrinſecè

Digitized by Google

intrinſecè prauus, atque illicitus, & potentia greſſiua agens liberum;nunquam illi eſſet licitum,& honeſtum claudicare,aut ambulationem obliquam producere, nequidem cum tibia curua & curta: Neque ſanè excuſari poſſet eâ ratione quòd cum tibia curua non poterat alium meliorem greſſum producere; & quòd per potentiam greſſiuam non ſteterit quominus produceret motum rectum,ſed per tibiam, quia tametſi cum illa non potuerit producere greſſum rectum, debuit tamen potius greſſum nullum producere, ſed in æternum iners, atque immobilis permanere, quàm greſſum illum producere qui erat intrinſecè turpis; proptereàque produci non poterat abſque iniquitate, & rectitudinis debitæ priuatione.

Pari modo,ſi Cõcurſus Dei ad actum prauum eſt ipſe actus prauus à parte rei, profectò iſte Concurſus erit aliquid prauum per ordinem ad quamcumque cauſam verè,ac propriè illud cum libertate producentem;id eſt, à quacumque cauſa liberè agente producatur; neque enim poteſt eſſe ſimul bonus,& malus, quando ab vtraque cauſa producitur cum iiſdem circunſtantiis libertatis, & aduertentiæ ad turpitudinem actus:tametſi enim quis dicat Deum libentius daturum fuiſſe aliumConcurſum ad actum bonum quàm hunc identificatum cum actu malo;tamen dici non poteſt actum iſtum quem veluti inuitus produxit reuerà eſſe bonum, ac rectum per ordinem ad Deum, ſed ſolùm dici poteſt veluti in excuſationem Dei, quòd Deus hunc actum prauum non produxiſſet ſi operatus fuiſſet ſolus, aut cum homine non prauo: ſed hoc non ſufficit ad ſaluandam puriſſimam Dei ſanctitatem,neceſſe eſt enim ſaluare quòd ipſe nequidem cum homine ſceleſtiſſimo operetur propriè ac per ſe opus prauum.

Cùm igitur ex alia parte Concurſus Dei,qui non datur in abſtracto nec cæco modo;ſed in particulari, cum perfecta aduertentia,& libertate; debeat eſſe aliquid honeſtum, & laudabile,& quod verè attribui poſſit Deo tanquàm vero, proprio, ac per ſe effectori, & cooperatori; ſequitur Concurſum illum non eſſe realiter ipſum actum prauum, ſed aliquid ab eo diſtinctum, quod ſit bonum non modò tranſcendentaliter,ſed etiam moraliter.

Confirmatur reſponſio; quia quemadmodum ſi homo animam habens

habens inſtructam perfecto habitu logicæ, ac metaphyſicæ: nihilominus tamen ex læſione phantaſiæ, ac cerebri malè ratiocinetur: dici non poteſt quòd ſyllogiſmus eius fuerit bonus per ordinem ad animam habitu bono inſtructam; ſed abſolutè & ſimpliciter ſyllogiſmus ille fuit prauus ad quamcumque cauſam referri intelligatur: ſolúmque dici poteſt hominem illum ideo feciſſe prauum, & non rectum ſyllogiſmum; quia intellectus eius operatus eſt in corpore malè affecto: Pari ratione, ſi Concurſus Dei ad actum prauum realiter eſt idem cum actu prauo, dici non poterit honeſtus per ordinem ad Deum; ſed abſolutè & ſimpliciter erit aliquid inhoneſtum per ordinem ad quamcumque cauſam liberè illum producentem, ſolúmque dici poteſt, Deum ideo hunc actum prauum operatum fuiſſe, quia operari voluit, aut etiam debuit cum homine prauo, tametſi propenſius inclinaretur ad cooperandum homini ad actus bonos: Verùm hoc non ſufficit vt actus qui eſt ſimpliciter, & abſolutè prauus, dicatur per ordinem ad Deum eſſe non prauus, præſertim cùm non poſſit eſſe verum, quod Deus debuerit cum homine prauo operari peccatum: Cúmque ex altera parte abſurdum ſit dicere; Concurſum qui à Deo volente, & ſciente confertur, ac producitur eſſe aliquid turpe, & inhoneſtum; ſequitur identitatem Concurſuum Dei, & Creaturæ ad actus prauos ex qua illud abſurdum ſequebatur, ſuſtineri non poſſe.

Et ſic patet ad argumentum; tametſi enim defectus qui eſt in ambulatione obliqua, non tribuatur virtuti greſſiuæ tanquam cauſæ per quam ſteterit quominus produceretur ambulatio melior; tamen hoc non ſufficeret ad excuſandam virtutem illam motiuam à peccato, ſi claudicatio eſſet actus intrinſecè atque eſſentialiter malus; ad eum ferè modum quo claudicatio, & defectus in motu illo obliquo repertus tribueretur verè propriè, ac per ſe volũtati hominis qui voluntariè claudicaret, cùm poſſet rectè ambulare ſi vellet. Ita ſanè actus prauus tribueretur Deo, ſi eum verè, & proximè produceret, eo quòd poſſet, ſi vellet, ab eo actu abſtinere; & alium meliorem loco illius producere.

CAPVT.

# CAPVT XIII.

*In quo reiicitur ſententia affirmans Concurſum proximum, & identificatum ad omnes actus noſtros, ex eo quòd, tametſi inuita, ac nolens, humanam violet libertatem.*

I. CVm vniuerſi Auctores Concurſus proximi, & identificati, tam Aſſertores Scientiæ Mediæ, quàm Prædeterminantes conueniant in aſſerenda indiſpenſabili neceſſitate eiuſdem diuini Concurſus proximi, immediati, & ſimultanei ad quamlibet creaturæ operationem tametſi liberam, ſiue bona & honeſta illa ſit, ſiue mala, illicita, & turpis: Nos contrà aſſerimus vtriuſque factionis Auctores: ſiue Concurſum illum immediatum Dei ponant identificatum, ſiue diſtinctum à Concurſu creaturæ, volentes, nolentes præiudicium inferre libertati noſtræ; atque adeò vtrorumque ſententiam (ſaluâ eorum dilectione, & honorificentiâ) eſſe falſam; nihil eſt enim quod dicam modò de maledictis hæreticis, qui ex eodem antecedente, ac principio abſolutè negant humani arbitrij libertatem, potiſſimùm in actibus ordinis ſupernaturalis non curantes apertam ſacroſancti Concilij Tridentini definitionem quâ dicitur canone 6. ſeſſ. 6 *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed Deum mala opera, ita vt bona operari, non modò permiſſiuè, ſed etiam propriè, & per ſe &c. Anathema ſit.*

Probatur primò noſtra aſſertio, Quia vt Concurſus Dei non repugnet noſtræ libertati, debet poſſe modificari, & determinari à noſtra voluntate ad hunc, vel ad illum actum ſingularem, prout ipſa voluerit: At Concurſus immediatus, & identificatus cum actu noſtro, odij verbi causâ, eſt adeò addictus & determinatus vt ſit Concurſus ad hoc numero odium; vt impoſſibile ſit, etiam per diuinam potentiam, eum determinari à noſtra voluntate vt ſit aliquis alter actus, aut vt ſit actus amoris: Ergo Concurſus immedia- II.

tus, & identificatus repugnat noſtræ libertati.

Maior eſt S. Thomæ variis locis, quæſt. 1. de potentia art. 3. ad 5. vbi dicit *influentiã cauſæ primæ per cauſas proximas determinari & ſpecificari:* & 3. contra gentes cap. 66. vbi dicit, *agentia ſecunda eſſe quaſi particulariſantia & determinantia actionem primi agentis*: & de malo quæſt. 3. de cauſa peccati art. 2. in corpore: *Attendendum eſt*, inquit, *quòd motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, ſed in vnoquoque ſecundùm proprium modum*, & poſt pauca, *Cùm aliquid eſt in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendam motionem primi mouentis, conſequitur actio perfecta ſecundùm intentionem primi mouentis, ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine, ſequitur actio imperfecta:* quæ verba clarè ſignificant eandem motionem ſeu Concurſum Dei poſſe à creatura detorqueri, vel in bonam, vel in malam actionem ad libitum: quod ipſum etiam admittunt communiter Theologi, dum dicunt Concurſum Dei generalem determinari, & modificari à cauſis ſecundis; adeóque ab ipſa voluntate, & eſſe ex ſe veluti indifferentem vt applicetur, & flectatur à voluntate ad hanc, aut illam actionem, prout ipſa voluerit; alioqui ſi voluntas ab extrinſeco determinaretur ad vnum, reduceretur ad ſeriem cauſarum minimè liberarum.

Minor etiam patet, quia Concurſus Dei indiſtinctus ab vno actu noſtro, non magis poteſt inſeruire ad alium actum, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ ſpeciei, quàm vnus actus noſter poteſt eſſe aliquis alter; quod fieri non poteſt, etiam diuinitùs, ſiquidem omne ens eſt indiuiſum in ſe & diuiſum à quocunque alio.

Hinc ſequitur; vt Concurſus Dei eiuſmodi ſit qui non repugnet noſtræ libertati; cum neque eſſe poſſe Prædeterminantem, neque duntaxat ſimultaneum, & indiſtinctum; ſed eſſe debere aliquid quod flecti poſſit, & inſeruire ad varias actiones; ac proinde quod diſtinguatur realiter à ſingulis, & præcedat omnes, & ſit ſeparabile ab illis, quod Concurſui immediato, ſiue Prædeterminanti, ſiue duntaxat ſimultaneo non competit.

III. Probatur ſecundò; Scriptura ſacra, Summi Pontifices, Concilia, & Patres Eccleſiæ, ſi benè conſiderentur, efficaciter probant poſſibile eſſe actualiter diſſentire, etiam in ſenſu compoſito, cum Concurſu primę cauſæ, atque motione diuinâ, quemadmodum expreſ-

sè

ſè fatetur Ruiz de Scientia Dei diſp.59. ſect.1. concl.1. tametſi non ad hoc propoſitum ſed alterius cuiuſdam rei probandæ gratiâ.

Hinc ergo conficere licet argumentum, vt Concurſus generalis,& motio Dei ad odium,verbi causâ,libertati noſtræ quoad ſpecificationem, & quoad exercitium non præiudicet, debet poſſe cõponi & coniungi cum carentia odij,& cũ oppoſito actu amoris: Sed Concurſus identificatus, & immediatus ad odium, non magis poteſt coniungi cum actu amoris in eodem ſubiecto, eodémque inſtanti,quàm actus odij coniungi poteſt cum negatione ſuiipſius,aut cum actu amoris: Ergo Concurſus Dei cum libertate noſtra ſociabilis non debet eſſe identificatus cum actu noſtro; eſſet autem identificatus, ſi eſſet immediatus; quemadmodum ex alibi dictis patet: Ergo debet eſſe mediatus ſolùm,ac remotus.

Neque dicas; iſtud argumentum, & aliud prius intelligi debere de Concurſu Dei in actu primo,non autem de Concurſu eius in actu ſecundo,& illum quidem non iſtum diſtingui ab actu noſtro: quia ille eſt ipſa diuina eſſentia vt volens concurrere nobiſcum: iſte autem eſt ipſiſſimus actus noſter, prout à Deo nobiſcum operante procedit.

Contra enim hoc eſt; quia Auctores quos hîc produximus, loquebantur de Concurſu ad extra quem Deus formaliter operatur in nobis, & qui recipitur, inhærérque in creatura: & P. Ruiz vbi ſuprà aduersùs Prædeterminationem phyſicam diſputabat, per quam ibi non intelligebat voluntatem prædeterminandi immanentem in Deo,ſed creatam illam entitatem,per quam in voluntate receptam, voluntas formaliter determinari dicebatur ad vnam contradictionis partem;ſiue entitas illa eſſet motio,ſiue qualitas phyſicè prædeterminans.

Sanè magna,& multiplex æquiuocatio ab Aduerſariis committi ſolet, dum ea quæ dicuntur de Concurſu Dei in actu ſecundo, id eſt,de cauſalitate,& motione diuina;interdum ad vitandum argumenta referunt ad Concurſum in actu primo,id eſt,ad præparationem,ſiue oblationem Concurſus,quæ aliud non eſt quàm Deus ipſe, vt volens concurrere, & paratus ad concurrendum: Atque hæc æquiuocatio ſummoperè caueri debet, aduertendo Auctores eſſe locutos de influentia, & motione in actu ſecundo,dum dixe-

runt eâ poſitâ, nihilominus voluntatem noſtram poſſe in ſenſu compoſito,& ſimul cum illa motione ponere hunc,aut illum actû, ſiue eiuſdem ſpeciei, ſiue diuerſæ: Et quemadmodum Concilia docent,poſitâ influentiâ ſupernaturali quâ tangitur,mouetur, excitatur cor noſtrum; poſſe tamen nos, etiam in ſenſu compoſito, diſſentire: ( tangitur autem ſanè,mouetur,& excitatur cor noſtrũ formaliter,per motionem,excitationem, & contactum in actu ſecundo,& qui ſit aliquid creatum diſtinctum à Deo,& receptum in anima)Ita dum Theologi ſermonem habentes de Concurſu,& influentia generali Dei neceſſaria ad quemlibet actum noſtrum tametſi liberum; dicunt eum eiuſmodi eſſe debere, vt eo Concurſu poſito, ſimul ac ſemel cum illo poſſimus operari non vnicum duntaxat actum, ſed varios, aut etiam nullum ſi voluerimus, planè id dicunt de Concurſu in actu ſecundo qui ſit aliquid verè,ac formaliter productum à Deo in nobis,& qui ſit ipſius Dei cooperatio, & præſtatio virium,ac proinde aliquid extra Deum: Cùm igitur influxus immediatus non poſſit eſſe huiuſmodi, quia neceſſariò eſt identificatus cum vnico tantùm actu noſtro; ſequitur Concurſum Dei cum libertate noſtra ſociabilem,eſſe remotum, ac mediatum.

IV. Probatur tertiò;Si Deus concurreret ad actus noſtros Concurſu proximo,immediato,& identificato;neceſſe eſſet eum habuiſſe ab æterno,ſiue antè, ſiue poſt Scientiam Mediam volitionem poſitiuam,abſolutam,& efficacem ita concurrendi ad ſingulos actus ad quos ita concurreret; & non concurrendi ad eos ad quos non concurreret; eò quòd à nobis non fierent.

Atqui huiuſmodi volitio poſitiua, abſoluta, & efficax ita concurrendi, ſiue antè, ſiue poſt Scientiam Mediam intelligatur eſſe in Deo;ſtare non poteſt incolumi libertate noſtra:Ergo Deus non concurrit ita proximè,immediatè,& identificè; ſed remotè duntaxat,& mediatè.

Maior probatur; quia iam ſæpè dictum eſt ſuprà, Deum neceſſariò habere abſolutum, & efficax decretum faciendi non ſolùm ea omnia quæ facit ſolus abſque conſortio cauſæ ſecundæ; ſed etiam ea omnia quæ facit tanquam cauſa cooperans, & concurrens cum quacunque cauſa creata, etiam libera, prout nouiſſimè in terminis docet Raphaël Auerſa quæſt.14. de Scientia Dei ſect.
19.qui

19. qui etiam addit probâtque quæſt. 19. de voluntate Dei ſect. 9. Omnino fatendum eſſe, de quacumque re non exiſtente Deum abſolutè decreuiſſe vt non ſit: idipſum etiam fusè probant Diſcalceati Salmanticenſes in Curſu Theologico tractatu 4. de voluntate Dei diſput. 5. dub. 3. An voluntas Dei potuerit manere ſuſpenſa; Et nos aliquid etiam in huius Aſſertionis confirmationem diximus ſecunda parte huius opuſculi cap. 12. & 13.

Et Moderni Auctores contra quos diſputamus, dum nihil ſibi ab iſto decreto abſoluto Dei metuunt, neque vllam inde conſequentiam ſibi contrariam ab Aduerſariis eſſe trahendam cogitant, paſſim illud admittunt, quemadmodum oſtendimus loco immediatè citato: Poſtmodum autem quando aduertunt ex huiuſmodi decreto proximè, & identificè concurrendi ſequi deſtructionem libertatis noſtræ, tam reſpectu actuum quos elicimus, quàm eorum quos non elicimus; negant dari poſſe in Deo volitionem illam abſolutam, & determinatam ita concurrendi; ſolámque admittunt conditionatam, & diſiunctiuam, quæ ſanè eorum hac parte inconſtantia, & perplexitas argumento eſt debuiſſe illos potius nobiſcum ita concludere: Si Deus identificè concurreret; neceſſariò haberet ab æterno decretum abſolutum ita concurrendi: Sed non poteſt habere huiuſmodi decretum niſi deſtruendo libertatem: Ergo neque habet huiuſmodi decretum; neque ita concurrit.

Minor verò, quòd huiuſmodi decretum abſolutum, & efficax immediatè concurrendi, quocumque modo explicetur, deſtruat libertatem; Probatur, Quia tale decretum ita concurrendi ad actum noſtrum determinat infallibiliter Concurſum actui noſtro identificatum; atque adeo ipſum actum vt à Deo, & à voluntate noſtra producatur, & exiſtentiam accipiat: Ergo vel infallibilitas illa eſt moralis, vel phyſica, aut etiam metaphyſica, cui repugnat ſubeſſe fruſtrationem, aut illius periculum: At non eſt moralis tantùm; quia id quod eſt moraliter tantùm infallibile aliquando nòn contingit, aut ſaltem poteſt non contingere in aliquo raro caſu: Ergo eſt phyſica, aut etiam metaphyſica; vtraque autem repugnat libertati, cùm non oriatur ex aliqua ſuppoſitione ipſius actus noſtri liberi, ſed ex vi cauſæ efficaciter inferentis effectum: Ergo volũtas noſtra operabitur actum illum vt iam prius atque an-

tecedenter determinata; ſcilicet per decretum Dei: At voluntatem operari vt determinatam, ſeu ex determinatione proueniente ab extrinſeco;eſt eam operari non liberè: Ergo.

Confirmatur ex Suario lib. 1. de Scientia abſoluta futurorum contingentium c.6.Mæratio tractatu de Deo diſp.26 ſect. 3.& aliis; qui fatentur volitionem abſolutam ita concurrendi, eſſe decretum Prædeterminandi, & neceſſitandi voluntatem noſtram ad vnum; propter quod ipſi früſtrà plurimùm laborant vt explicare poſſint, qualiter volitio diſiunctiua, & conditionata concurrendi immediatè vel ad hûc, vel ad illum actû,prout voluntas creata maluerit, ſufficiat vt Deus ex vi præciſa iſtius decreti conditionati nobiſcum influat & concurrat abſque vllo decreto abſoluto, & efficaci; cùm potiùs ex deſtructione libertatis à tali decreto ſecutura, concludere nobiſcum debuiſſent Deum concurrere nobiſcū remotè ſolùm,ac mediatè,& habere decretum abſolutū,& efficax ita concurrendi,ex quo decreto conſtat nihil eſſe quod metuere debeamus libertati noſtræ;ſicut neque ex Concurſu, & influentia inde conſequente.

V. Probatur noſtra Aſſertio quartò; Quia ſi Deus concurreret nobiſcum Concurſu identificato, & ſimultaneo; vel id faceret prædeterminando, ac præmouendo voluntatem noſtram, quemadmodum Prædeterminantes docent communiter;vel explorando, conſulendo, ac veluti expectando influxum, ac determinationem formalem, aut virtualem creatæ voluntatis; aut aliquam huiuſmodi conditionem, vti voluere, Aſſertores Scientiæ Mediæ & alij eorum in hac cauſa Sectatores ac ſocij: At neutrum dici poteſt ſtante incolumi libertate noſtrâ;Ergo non concurrit Concurſu identificato ac ſimultaneo.

Maior ſæpe à nobis probata & vſurpata eſt ſuprà,& adhuc ſuadetur vehementer vel ex hoc vno argumento, & coniectura, nimirùm,quia ſi ſuppoſito illo principio,quòd ſit impoſſibile creaturam vel minimam actionem elicere abſque eo quòd Deus concurrat ad eandem identificato Concurſu, daretur aliquis alter modus explicandi decretum quo Deus ſtatuit Concurſum illum ſuum cauſis liberis exhibere; iampridem ille à tot tantiſque ſolertiſſimis ingeniis adinuentus excogitatúſque fuiſſet; neque neceſſe

ceſſe fuiſſet(quod tamen accidiſſe vidimus)vniuerſos ferè huiuſce ætatis Theologos tantis premi anguſtiis,vt ad alterutram ex prædictis opinionibus cogerentur, præſertim cùm hic ſit punctus, in quo fortaſſe pluſquàm in vllis aliis materiis Theologicis multis abhinc annis excitata, & exercitata fuit Doctorum induſtria.

Itaque probanda eſt Minor quæ ad præſens caput ſpectat;ſcilicet, Deum ſtante incolumi libertate noſtrâ non poſſe concurrere proximo,& immediato Concurſu, ſiue prædeterminando voluntatem noſtram, ſiue expectando eam, & per Scientiam Mediam explorando, animaduertendo, & conſulendo.

Et quidem ſatis,vt opinor, Aſſertores Scientiæ Mediæ demonſtrarunt modum dicendi Prædeterminantium ſuſtineri non poſſe ſaluâ creati arbitrij libertate, & indifferentiâ, quâ de re dictum eſt à nobis in tertia parte huius opuſculi cap. 2. neque opus eſt quidquam in præſenti ſuperaddere.

Sed ſolùm ſupereſt probandum, Auctores Concurſus proximi, immediati, identificati, & ſimultanei, tametſi Prædeterminantem qualitatem, aut motionem negent, nihilo meliùs ſaluare indifferentiam arbitrij noſtri,quàm ipſos Prædeterminantes hac in re eorum aduerſarios; in hunc modum.

Nam iſte Concurſus proximus,& identificatus; vel à Deo decernitur, & confertur nobis expectatâ atque animaduersâ determinatione,& conſultâ voluntate noſtrâ vel eâdem non prius expectatâ, nec conſultâ ſiquidem illa duo contradictoriè opponuntur; neutrum dici poteſt: Ergo nullus huiuſmodi Concurſus à Deo nobis exhibetur.

Probo Minorem; quia ſi daretur expectatâ, animaduersâ, & conſultâ voluntate noſtrâ,oporteret explicare quidnam Deus in voluntate noſtra intueri,animaduertere,& obſeruare poſſit, vnde veluti obiectiuè excitetur ad conferendum ſaluâ libertate noſtrâ hunc potius quàm illum ſpecie Concurſum,quod tamen huc vſque explicari non potuit ab Aſſertoribus Scientiæ Mediæ tametſi plurimis atque eruditiſſimis diligentiſſimè in hoc ſtudium incumbentibus,quemadmodum in ſecunda parte præſentis opuſculi exiſtimo,& ſuppono eſſe demonſtratum: Igitur iſte Concurſus identificatus à Deo non exhibetur expectatâ, & conſultâ noſtrâ voluntate

luntate: Sed neque etiam confertur eâdem non expectatâ, nec conſultâ; quia vt Suarez argumentatur in opuſculis lib. 2. cap. 7. num. 3. *Si Deus abſque ſcientia conditionata futurorum (per quam ſcilicet voluntas noſtra exploratur, conſulitur, præuidetur) præfiniret actum voluntatis meæ decerneretque abſolutè, & efficaciter eum fieri, non poſſet non applicare media quibus meam voluntatem ad talem actum eliciendum prædeterminaret: At hæc prædeterminatio repugnat libertati: Ergo non ſic præfinit nec decernit*: Maiorem probat, *quia prædefinitio diuina infallibiliter, & efficaciter debet impleri, ergo oportet vt ex vi eius voluntas humana taliter moueatur, vt omnino infallibiliter efficiat effectum præfinitum, Ita vt implicet contradictionem eum non fieri, Ergo ſi illa motio, quæ eſt medium quo Deus vtitur, non eſſet ita metaphyſicè infallibilis ex præſcientia conditionata, oporteret eam prorſus eſſe infallibilem ex efficacia ſua, atque adeo vt prædeterminaret omnino voluntatem.*

Hinc ergo deſumitur argumentum; Cùm ſcientia conditionata hac in parte ſit inutilis, eò quòd nihil adferri poſſit ex cuius præuiſione Deus excitetur ad dandum, decernendúmq; nobis vnum potius quàm oppoſitum Concurſum, ipſe perinde ſe habebit erga actum noſtrum, ſeu quod idem eſt, erga Concurſum ſuum actui noſtro identificatum; ac ſi decerneret, præfinirétque eundem abſque Scientia Media; ſed tunc actus noſter non eſſet liber: Ergo neque nunc liber eſſe poteſt.

Similiter quoque Pater Theophilus in morali philoſophia diſtinct. 2. quæſt. 3. art. 2. num 273. docet, quòd ſi idemmet Concurſus exhiberetur nobis à Deo non expectatâ determinatione, nec conſultâ voluntate noſtrâ qui nunc confertur eâ conſultâ, animaduersâ, & expectatâ; eadem numero actio Concurſui identificata quæ modo eſt libera, euaderet neceſſaria, ſcilicet quia omne id quo inconſultâ voluntate poſito infallibiliter ſequitur, & ponitur actio voluntatis, ita vt non poſſit non poni, impedit vſum libertatis: facítque actionem voluntatis eſſe neceſſariam; vnde ſic licet argumentari; poſito decreto Dei ſtatuentis exhibere Concurſum aliquem creatæ voluntati ipsâ inconſultâ, ſequitur infallibiliter actio voluntatis realiter identificata cum eiuſmodi Concurſu; ita vt non poſſit non ſequi; ergo talis actio eſt neceſſaria; neque enim poteſt ampliùs voluntas ab illa actione ſe cohibere, neque poteſt

compo

componere,ſeu ſimul ponere negationem actionis cum eiuſmodi decreto, & Concurſu mox ſecuturo à quo ipſa actio realiter non diſtinguitur: Ergo non poteſt dici domina ſui actus, neque determinat ſeipſam; ſed aliunde ab extrinſeco neceſſitatur ad agendum, quandoquidem prius naturâ quàm ipſa libertatem ſuam exerceat, aut actum ſuum eliciat, efficaciter à cauſa ſuperiore determinatur, & abripitur ad coëfficiendum actum, in quo tametſi poſſit ſalua conſiſtere ratio ſpontanei, & voluntarij; non tamen liberi, & perfectè, ſeu actiuè indifferentis. Igitur, vel ipſis Aduerſariis noſtris Iudicibus; actio quæ nunc eſt libera euaderet neceſſaria, & libertatem omnem prorſus amitteret, ſi Deus antecedenter ex ſeipſo, & inconſultâ voluntate creatâ illam decerneret fieri, & eodem modo Concurſum cum illa identificatum, & realiter indiſtinctum conferret: Atqui Scientia Conditionata hac in parte eſt inutilis ad conſulendam voluntatem noſtram, quemadmodum ſuppono eſſe demonſtratum in ſecunda parte: Ergo ſi Concurſus identificatus eſt neceſſarius, neceſſe eſt eum conferri inconſultâ voluntate noſtrâ, & conſequenter actum noſtrum euadere neceſſarium.

Itaque cùm Deus proximum, & identificatum Concurſum non exhibeat expectatâ, exploratâque, ac conſultâ voluntate noſtrâ, quia id explicari non poteſt; ſed neque etiam non expectatâ illâ, nec conſultâ; quia neceſſitaret illam, adigerétque ad operandum: ſequitur Deum non ita operari nobiſcum, ſed conferre nobis influxum qui ſit aliquid antecedens operationem noſtram, ab ea diſtinctum realiter, & de facto ſeparabile, quod eſt concurrere remotè ſolùm, ac mediatè.

Probatur quintò concluſio; Si Deus vellet, vt reuerà poteſt, neceſſitare voluntatem creatam ad aliquem actum eliciendum, nullam ipſi voluntati præimmittendo qualitatem phyſicè Prædeterminantem quæ antecederet actionem, non poſſet id efficaciùs facere, quàm abripiendo voluntatem ad coëfficiẽdam ſecum actionem, & decernendo illi vnicum aliquem certum Concurſum, nullúmque alium offerendo; tunc enim creatura nullum alium actum poſſet efficere, neque etiam ab iſto actu poſſet abſtinere: ſed iam etiam nunc idem facit ſi concurrit identificatò, & immediato VI.

Concurſu phyſico: Ergo iſte Concurſus identificatus ſtare non poteſt cum libertate, & indifferentia creaturæ.

Maior probatur; Quia ſi Deus abſoluto decreto ſtatueret aliquam actionem ſimul cum creata voluntate producere; & potentiam ſuam ad executionem applicaret; impoſſibile eſſet vt creata voluntas non ſimul cum Deo actionem illam coëfficeret, quod eſſet illam abripi, & neceſſitari ad operandum; Neque enim fieri poteſt vt decretum Dei abſolutum careat effectu ſuo.

Minor autem probatur; Quia ſi Deus actum aliquem vitalem nobiſcum indiuiſim operari vellet, oporteret ipſum applicare potentiam ſuam exequentem voluntati diuinæ ſubordinatam ad illum vnicum actum ſeu Concurſum producendum, qui reuerà vnicus ab ipſo Deo, & à nobis ſimul atque indiuiſim produceretur; alioqui ſi plures decerneret, & ſe ad plures actus, & Concurſus eliciendos abſolutâ, & efficaci voluntate applicaret; plures de facto actus emanarent; Ergo per hunc identificatum Concurſum abripitur voluntas noſtra, & neceſſitatur ad operandum vnicum illum actum, & non poteſt ab illius exercitio abſtinere; ſicut neque oppoſitum actum facere.

VII. Præterea ſextò; voluntas noſtra non magis poteſt reſiſtere Deo volenti producere ſimul cum illa aliquem actum vitalem, quàm Deo volenti producere ſe ſolo, & abſque conſortio vllius cauſæ ſecundæ gratiam, aut alium ſimilem effectum, qui non eſt liber reſpectu voluntatis noſtræ: Igitur ex decreto Dei volentis coëfficere nobiſcum actum vitalem, neceſſariò ſequitur productio illius. Et confirmatur; quia ſuppoſitâ voluntate abſolutâ, quâ Deus decreuit Concurſum aliquem præbere voluntati noſtræ ad aliquem actum noſtrum; non minùs neceſſariò ſequitur, ac reſultat ille Concurſus, quàm ex decreto concurrendi cum Sole ad illuminandum; aut cum aqua baptiſmali ad ſanctificandum animam ſequitur illuminatio, & ſanctificatio: Ergo ſicut ex tali decreto prædeterminantur Sol & aqua ad neceſſariò agendum, abſque immiſſione vllius qualitatis præuiæ operationem antecedentis: Ita ex decreto præbendi certum aliquem Concurſum proximum, & identificatum voluntati noſtræ, neceſſariò ſequitur ad extra iſte Concurſus, & conſequenter actio noſtra quæ à tali Concurſu nonniſi

per

per intellectum diſtinguitur: Et ſic voluntas noſtra determinabitur ad vnum per Concurſum Dei proximum, & identificatum, non minùs quàm determinaretur per immiſſionem qualitatis phyſicè Prædeterminantis.

VIII. Inſuper; ponamus Deum concurrere immediatè & identificè cum aliquo agente creato quod neceſſariò operetur, & non liberè;ſed quod ſit tamen indifferens ad plures ſpecie,& numero actus producẽdos, verbi causâ,cum aliquo homine non vtente pro tunc ratione; vel cum bruto, vel cum habitu qui valere poſſit ad plures actus:Tunc certum eſt illam actionem ad quam Deus ita concurrit futuram eſſe neceſſariam; non modò ex eo capite, quia agens illud creatum eſt agens neceſſarium, & nullâ vtens libertate; ſed etiam ex hoc altero,quia ſcilicet Deus per huiuſmodi Concurſum ſuum determinat vt fiat hæc numero,& ſpecie actio à creatura;nimirum illa actio quæ identificatur cum illo Concurſu quem Deus præbet: talis enim Concurſus decreto abſoluto, & efficaci exhibitus abripit ſecum cauſam ſecundam,& quicunque videret intuitiuè decretum quod Deus habet exhibendi Concurſum illum ſuum; videret conſequenter actum Concurſui identificatum neceſſariò eſſe producendum ab illa cauſa ſecunda.

Iam verò fingamus homini illi reſtitutum eſſe vſum rationis,ſed tamen Deum adhuc nihilominus habere decretũ cõcurrendi cum homine,eo modo quo ſuprà dicebamus, ſcilicet Concurſu aliquo proximo, & identificato; & Angelum, exempli causâ, videre intuitiuè tum illud decretum Dei, tum Concurſum ipſum ex tali decreto exhibitum: Dico Angelum iudicaturum actionem illam Concurſui diuino identificatam neceſſariò eſſe producendam ab illo homine: Ergo Concurſus Dei ita exhibitus creaturam cui datur neceſſitat,ſiue præbeatur agenti ex ſe libero,ſiue agenti neceſſario:Probatur Angelum ita iudicaturũ, quia Angelus ſcit Deum eo modo poſſe abripere & neceſſitare quamcunque voluntatem creatam tametſi ex ſe liberrimam,ad vnum aliquem actum, ſcilicet decernendo illi & conferendo vnum aliquem Concurſum: hoc eſt, ſtatuendo ſe facturum cum illa vnam aliquam duntaxat actionem, & non aliam vllam: At iam in caſu argumenti videt Deum habere tale decretum; ergo iudicabit actionem illam ne-

ceſſariò eſſe producendam;& iudicium illius erit verum,ac neceſſarium;quia ſequitur ex præmiſſis veriſſimis,ac neceſſariis,in hunc modum,ſcilicet Deus poteſt vnum aliquem certum Concurſum creaturæ decernere, quo poſito actio Concurſui identificata neceſſariò producenda erit: Atqui ipſe decreto inimpedibili ſtatuit huiuſmodi Concurſum exhibere homini; Ergo illa actio neceſſariò eſt producenda: & ſic verum eſt actionem non minus neceſſariò ſecuturam ab homine ratione vtente, quàm à non vtente, ſi Deus cum illo concurrat immediatè & identificè.

Neque dici poteſt actum eſſe neceſſarium in primo caſu, non autem in ſecundo; quia in primo, Deus non habuerat aliud prius decretum de conferendis pluribus ſpecie, ac numerō Concurſibus; ſed vnum duntaxat decretum de conferendo hoc vnico Cōcurſu; cùm tamen in ſecundo caſu quo ponimus hominem vti ratione & iudicio, Deus in priore ſigno habuerit decretum offerendi illi plures Concurſus; & in poſteriore ſigno decreuerit, & contulerit illi hunc certum ac determinatum Concurſum excitatus obiectiuè & determinatus ab agente libeto, ex quo ſequitur Angelum qui videt iſta Dei decreta,cognoſcere in illis poſſe an Deus neceſſitare ſtatuerit voluntatem creatam,an non:hoc,inquam,dici non poteſt: Tum quia hæc multitudo decretorum, quorum vnum ſit dandi plures Concurſus, alterum non dandi niſi vnum, videtur gratis, & voluntariè excogitata; Neque explicari poteſt quando, nec quomodo facta ſit oblatio illa plurium Concurſuum in vno caſu argumenti, & non in altero, quandoquidem certum quidem eſſe poteſt Deum habuiſſe decretum conferendi hunc Concurſum ſi de facto illum confert; ſed non apparet,neque certum eſt quòd habuerit decretum conferendi alios plures; Tum quia illa oblatio deberet eſſe aliquid ad extra; videlicet collatio plurium rerum,quibus omnibus, & earum ſingulis agens creatum vti poſſet,relinquendo alias omnes quas vellet otioſas, inertes, & ſine operatione,vt fit dum homo plures habitus habens, mox vtitur vno,mox altero ad libitum; vel collatio vnius rei quæ ſola valere poſſet ad plures actus faciendos,quæ tamen dici non poſſunt de Concurſu identificato, quia hic valere non poteſt niſi ad vnicum duntaxat actum: Tum quia hoc de Deo dici non poteſt, ſi

actus

actus ſit illicitus,atq; ex obiecto turpis; æqualiter enim videretur affectus ad actus prauos,& ad honeſtos: Tũ quia ipſe ſaltẽ decreto illo ſuo antecedẽte determinauit ſe ad cõcurrendum immediatè, proximè,& identificè ad actũ prauũ quando voluntas creata eũdẽ vellet coëfficere;& ſic nulla adferri poſſet ratio quare ipſe nõ eſſet dicẽdus producere actũ prauũ per ſe,& propriè, quotieſcũque illũ coëfficeret; Cũ igitur multitudo illa decretorum,& oblatio pluriũ Concurſuum valere non poſſit ad ſaluandam libertatem creaturæ cum influxu Dei proximo, & identificato, conſequens eſt vt ſolùm concurſum remotum ac mediatum admittamus.

Dices ſi Concurſus Dei eſſet habitus aliquis creatus; ipſe poſſet taliter ſubiici volũtati creatæ,vt ipſa poſſet ad libitum vti illo habitu ad plures actus: Atqui Deus cùm ſit omnipotẽs eminenter cõtinet omnem habitum creatum,& omnem modum operãdi illius: ergo poteſt ſeipſum,& omnipotentiã ſuam taliter ſubiicere,& accommodare creatæ voluntati, vt ipſa poſſit vti Deo ad quidlibet operandũ quemadmodum vteretur habitu: Reſpondetur,ad Diuinam omnipotentiã & ad eminentialẽ continentiam eius non ſpectat, vt facere poſſit ea quæ ſunt impoſſibilia; & quæ imperfectionẽ ſignificãt: At ſanè ſumma quędã imperfectio eſſet Deo ſi ita fingeretur volũtati creatę ſubiectus ac ſubordinatus,vt ea poſſet phyſicè illo vti velut habitu,aut inſtrumento in poteſtate illius poſito.

Denique ſuaderi poſſet concluſio ex definitione Concilij Tridentini Canone 6.ſeſſ. 6.Cùm enim ibi Patres condemnarint antecedens hæreticorum, dicentium *Deum operari opera noſtra praua propriè ac per ſe*, & duo corollaria quæ hæretici inde deducebant; quorum vnum contra diuinam Sanctitatem militabat:ſcilicet *Proditionẽ Iudæ eſſe proprium opus Dei non minus quàm vocationem Pauli*;alterum contra humanã libertatem:ſcil. *non eſſe relictum in hominis poteſtate vt vias ſuas malas faceret*,nimirũ quia exiſtimabãt Deũ operari propriè,& per ſe opera praua hominis quę sũt vię hominis malę. IX.

Cùm Patres,inquam,damnarint ibi antecedens, & duplex conſequens inde deductum,nihilque dixerint de ipſa conſequentia, & illatione nec probando illam,nec damnando:inſinuare videntur ſe approbare illam,quamuis enim argumentum iſtud ſit negatiuum, tamen hoc loco apparet eſſe non infirmum.

Porrò, conſequentia & illatio erat huiuſmodi; *Deus operatur propriè, ac per ſe opera noſtra praua, & non tantum permiſſiuè ſe habet ad illa: ergo Deus operatus eſt propriè & per ſe proditionem Iudæ, & non tantùm permiſſiuè: Ergo non relinquit in noſtra libera poteſtate vt faciamus vias noſtras malas*, quod ſpecialiter ſpectat ad præſens caput; Concilium damnauit antecedens, & vtrumque conſequens; & non dixit conſequentiam eſſe malam, vitioſam & non benè deductam, quod tamen facilè & vtiliter dicere poterat, vt inde conſequens vtrumque longiùs ablegaretur, & hæretici turpiùs confunderentur, aut efficaciùs reducerentur, Ergo dum circa conſequentiam tacuit, videri poſſet non improbabiliter conſenſiſſe in illam: Ergo ſententia aſſerens Concurſum immediatum, identificum, proprium & per ſe ad quemlibet actum noſtrum videtur ex mente Concilij Tridentini præiudicium inferre libertati: nolim tamen in vrgendo argumento iſto abundare nimis in meo ſenſu, ſed potius Sanctæ ſedi Apoſtolicæ meum, vt par eſt, ſubiicere caput.

---

# CAPVT XIV.

## *In quo ſoluuntur inſtantia quibus probari poſſe videbatur; Concurſum Dei proximum, & identificatum non repugnare libertati noſtræ.*

I. ADuersùs ea quæ ſuperiori capite diximus, Obiicies primò, determinatur quidem voluntas à decreto concurrendi, ſed nõ prædeterminatur; Atqui non quælibet determinatio tollit libertatem, nam etiam voluntas determinatur ſuâ propriâ actione; & tamen huiuſmodi determinatio nihil præiudicat libertati.

Reſpondeo; voluntas determinatur ad volendum, aut agendum ſuomet actu formaliter, ſeu formali, vt aiunt; determinatione abſque præiudicio libertatis, quia hæc determinatio eſt potius ipſummet exercitium libertatis; ſed quando voluntas prius naturâ quàm

quàm operetur eſt iam prædeterminata per aliquid ab extrinſeco proueniens quod ipſa non poteſt impedire, & quo poſito ipſa ſe non poteſt frænare, aut cohibere ab actu: tunc huiuſmodi determinatio vocatur prædeterminatio, & tollit libertatem, vti iam ſæpe dictum eſt, at determinatio quæ prouenit voluntati ex decreto Dei concurrendi eſt huiuſmodi, non modò quatenus ly *præ* ſignificat anteceſſionem durationis, & æternitatis ad tempus, ſed etiam quatenus *præ* ſignificat quòd huiuſmodi decretum concurrendi factum ſit non præuisâ determinatione voluntatis creatæ, taliter vt inde ſaluari libertas poſſit, qua de re ſatis multa in ſuperioribus.

Dices ſecundò, habitus Charitatis, exempli causâ, determinat voluntatem ad actum dilectionis Dei, aut proximi; éſtque idem realiter Concurſus vtriuſq; cauſæ, ſcilicet tam habitus, quàm charitatis, & tamen actus voluntatis non deſinit eſſe liber; ergo ſimiliter tametſi Deus determinet voluntatem noſtram Concurſu ſuo identificato, & ſimultaneo, actus tamen illius non deſinet eſſe liber. II.

Reſpondeo; habitus voluntatis determinat ad hoc voluntatem, vt ſi ipſa velit operari circa obiectum Charitatis, actus illius euadat ſupernaturalis, propter influxum eiuſdem Charitatis quæ eſt principium ſupernaturale operationis; ſed voluntas determinat ipſum habitum ad hoc vt operetur, vel non operetur; & vt operetur circa Deum vel proximum; quotieſcumque enim propoſito per intellectum obiecto diligibili ex Charitate voluntas volet operari circa illud; habitus neceſſariò operabitur circa idem; ſi verò voluntas ceſſare velit ab actu, etiam habitus neceſſariò ab opere ceſſabit, & ſi volũtas velit operari circa Deum, aut proximum: etiam habitus operabitur neceſſariò circa illud idem obiectum quod voluntas elegerit; vnde potiùs ſequitur, quòd quemadmodum habitus determinatur, aut prædeterminatur à voluntate ad operandum, aut ad non operandum; ita etiã voluntas noſtra determinatur ad operandum, aut ad non operandum à Concurſu Dei; & ſicut volũtate decernente vt à ſe, & ab habitu Charitatis ſimul eliciatur actus dilectionis, nulla remaneret in habitu libertas ad reſiſtendum, etiamſi fingeremus habitum alioqui eſſe ex natura ſua agens liberum; ita etiam ſequitur voluntatem noſtram, quæ ſuapte naturâ eſt agens liberum, neceſſitatum iri ad vnum, ſi Deus cum eâ concurreret

Porrò, conſequentia & illatio erat huiuſmodi; *Deus operatur propriè, ac per ſe opera noſtra praua, & non tantum permiſſiuè ſe habet ad illa: ergo Deus operatus eſt propriè & per ſe proditionem Iudæ, & non tantùm permiſſiuè: Ergo non relinquit in noſtra libera poteſtate vt faciamus vias noſtras malas*, quod ſpecialiter ſpectat ad præſens caput; Concilium damnauit antecedens, & vtrumque conſequens; & non dixit conſequentiam eſſe malam, vitioſam & non benè deductam, quod tamen facilè & vtiliter dicere poterat, vt inde conſequens vtrumque longiùs ablegaretur, & hæretici turpiùs con funderentur, aut efficaciùs reducerentur, Ergo dum circa conſequentiam tacuit, videri poſſet non improbabiliter conſenſiſſe in illam: Ergo ſententia aſſerens Concurſum immediatum, identificum, proprium & per ſe ad quemlibet actum noſtrum videtur ex mente Concilij Tridentini præiudicium inferre libertati: nolim tamen in vrgendo argumento iſto abundare nimis in meo ſenſu, ſed potius Sanctæ ſedi Apoſtolicæ meum, vt par eſt, ſubiicere caput.

## CAPVT XIV.

### *In quo ſoluuntur inſtantiæ quibus probari poſſe videbatur; Concurſum Dei proximum, & identificatum non repugnare libertati noſtræ.*

I. ADuerſùs ea quæ ſuperiori capite diximus, Obiicies primò, determinatur quidem voluntas à decreto concurrendi, ſed nō prædeterminatur; Atqui non quælibet determinatio tollit libertatem, nam etiam voluntas determinatur ſuâ propriâ actione; & tamen huiuſmodi determinatio nihil præiudicat libertati.

Reſpondeo; voluntas determinatur ad volendum, aut agendum ſuomet actu formaliter, ſeu formali, vt aiunt, determinatione abſque præiudicio libertatis, quia hæc determinatio eſt potius ipſummet exercitium libertatis; ſed quando voluntas prius naturâ quàm

quàm operetur eſt iam prædeterminata per aliquid ab extrinſeco proueniens quod ipſa non poteſt impedire,& quo poſito ipſa ſe non poteſt frænare, aut cohibere ab actu:tunc huiuſmodi determinatio vocatur prædeterminatio,& tollit libertatem, vti iam ſæpe dictum eſt,at determinatio quæ prouenit voluntati ex decreto Dei concurrendi eſt huiuſmodi, non modò quatenus ly *præ* ſignificat anteceſſionem durationis,& æternitatis ad tempus, ſed etiam quatenus *præ* ſignificat quòd huiuſmodi decretum concurrendi factum ſit non præuisâ determinatione voluntatis creatæ, taliter vt inde ſaluari libertas poſſit,qua de re ſatis multa in ſuperioribus.

Dices ſecundò, habitus Charitatis, exempli causâ, determinat voluntatem ad actum dilectionis Dei, aut proximi; éſtque idem realiter Concurſus vtriuſq; cauſæ,ſcilicet tam habitus,quàm charitatis,& tamen actus voluntatis non deſinit eſſe liber; ergo ſimiliter tametſi Deus determinet voluntatem noſtram Concurſu ſuo identificato, & ſimultaneo,actus tamen illius non deſinet eſſe liber. II.

Reſpondeo;habitus voluntatis determinat ad hoc voluntatem, vt ſi ipſa velit operari circa obiectum Charitatis,actus illius euadat ſupernaturalis,propter influxum eiuſdem Charitatis quæ eſt principium ſupernaturale operationis; ſed voluntas determinat ipſum habitum ad hoc vt operetur,vel non operetur; & vt operetur circa Deum vel proximum;quotieſcumque enim propoſito per intellectum obiecto diligibili ex Charitate voluntas volet operari circa illud; habitus neceſſariò operabitur circa idem; ſi verò voluntas ceſſare velit ab actu, etiam habitus neceſſariò ab opere ceſſabit, & ſi volũtas velit operari circa Deum,aut proximum:etiam habitus operabitur neceſſariò circa illud idem obiectum quod voluntas elegerit;vnde potiús ſequitur, quòd quemadmodum habitus determinatur, aut prædeterminatur à voluntate ad operandum, aut ad non operandum;ita etiã voluntas noſtra determinatur ad operandum, aut ad non operandum à Concurſu Dei; & ſicut volũtate decernente vt à ſe, & ab habitu Charitatis ſimul eliciatur actus dilectionis, nulla remaneret in habitu libertas ad reſiſtendum, etiamſi fingeremus habitum alioqui eſſe ex natura ſua agens liberum; ita etiam ſequitur voluntatem noſtram, quæ ſuapte naturâ eſt agens liberum,neceſſitatum iri ad vnum, ſi Deus cum ea concurreret

curreret influxu proximo, & identificato ad quemlibet actum eius.

III. Dices tertiò, non videntur actiones Chriſti Domini infinitum valorem ad nos redimendos habere potuiſſe, niſi Deus immediato, & indiſtincto influxu ad eaſdem concurriſſet; at illæ nihilominus fuerunt liberæ; alioqui non potuiſſent eſſe meritoriæ; ergo non eſt metuendum libertati noſtræ ab identitate Concurſuum Dei, & Creaturæ.

Reſpondeo, communem Theologorum ſententiam docere ſubſiſtentiam Verbi, quæ infinitum valorem tribuebat actionibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, non concurriſſe effectiuè Concurſu phyſico, identificato, & immediato ad eas actiones quibus redempti ſumus; ſed Concurſu ſolùm quaſi morali; præſtatio enim Concurſus phyſici cùm ſit opus ad extra indiuiſim competit toti Sanctiſſimæ Trinitati; Sanè Pater Suarez benè oſtendit in metaphyſica, quemadmodum ſuprà cap. 11. ſubſiſtentiam non eſſe principium actiuum noſtrarum operationum, ex quo ibidem ſequi diximus diuinam ſubſiſtentiam Verbi, quatenus virtute, aut ratione ratiocinatâ diſtinguitur ab eſſentia Diuina non eſſe principium operatiuum actionum Chriſti, tametſi reddiderit ſacram ipſius humanitatem infinitè ſanctam, & dignam, qui eſt effectus moralis. Porrò, Sancti Patres ex duplici potiùs operatione Chriſti Domini duas in illo eſſe, & fuiſſe naturas oſtenderunt, ſcilicet diuinam, & humanã, quòd ſi Deus Concurſu identificato phyſico concurriſſet ad actiones Chriſti Domini, illæ potuiſſent eſſe ſpontaneæ, & voluntariæ, ſed non puto illas futuras fuiſſe liberas; quemadmodum Aſſertores Scientiæ Mediæ docent, quòd ſi Deus prædeterminaſſet phyſicè voluntatem eiuſdem Chriſti Domini ad aliquem actum, non potuiſſet ſaluari in illo actu ratio indifferentis, & liberi.

IV. Dices quartò, duo aut etiam plures homines conuenire poſſunt ad eundem numero actum externum faciendum; exempli causâ, ad eandem numero tractionem nauis, aut ponderis eleuationem; & tamen iſte actus reſpectu omnium illorum hominum erit liber: Igitur multò magis Deus & homo conuenire poterunt ad eandem numero actionem internam voluntatis humanæ faciendam abſque præiudicio libertatis.

Reſpondeo;

Reſpondeo; nō eſt par ratio de actu interno, & externo: vocamus autem externum ſcilicet reſpectu voluntatis, omnem illum actum qui elicitur, ac recipitur à quacunque potentia quę non ſit ipſa voluntas: Diſparitas eſt, quia actus internus voluntatis elicitiuè, ac propriiſſimè eſt liber, cùm eliciatur à potentia habente perfectum actus ſui dominium: At verò actus aliarum potentiarum non ſunt liberi, niſi quadam participatione; nimirum quatenus imperantur ab actu interno libero voluntatis; propter quod non dicuntur elicitiuè liberi, ſed participatiuè; ac veluti denominatione quadam extrinſecâ, quatenus imperantur à potentia, ſcilicet à voluntate quæ poterat eos non imperare.

Cæterùm contingere poteſt vt idem numero actus, ſeu motus externus fiat à duobus vel pluribus hominibus liberè agentibus; & tunc ſinguli homines per ſingulos actus internos elicitiuè liberos applicant ſeſe liberè ad coëfficiendum actum illum externum; ita vt ſi vel vnus abeſſe vellet, aut non operari, quemadmodum pro ſua libertate abeſſe & non operari poſſet, actio illa non fieret; aut non tam facilè, aut non eadem: Tunc igitur actio illa externa, ſicut accipit exiſtentiam ab omnibus illis hominibus, ita participat libertatem ab omnibus, & reſpectu omnium eſt libera; quia ſinguli liberè ſe determinant, & nullus eorum determinatur ab alio, aut neceſſitatur ad agendum.

At reſpectu ſubiecti in quo huiuſmodi actio externa recipitur; quódque ab extrinſeco ad eam recipiendam determinatur, nulla eſt libertas, ſed neceſſitas; vt, exempli causâ, ſi homo alioqui liber tanto impetu ab aliis trahatur, vt reſiſtentia ipſius, aut natiuum pondus ab actiuitate aliorum ſuperetur; Nulla, inquam, libertas quoad hoc erit in illo, niſi fortè per actum aliquem internum reflexum liberè conſentiat in huiuſmodi tractionem externam; qua de re non agimus in propoſito.

Ad eum igitur modum; ſi fingamus voluntatem vnius agentis alioqui liberi determinari ad aliquem actum, ſiue internum, ſiue externum ab extrinſeco agente cuius actiuitati reſiſtere nequeat; huiuſmodi actio erit quidem libera reſpectu illius qui alterum determinat; quia ipſe per actum internum perfectè liberum applicat ſe ad agendum: At verò reſpectu illius qui determinatur ab ex-



Digitized by Google

trinſeco, non erit libera, ſed neceſſaria ; quia voluntatem operari liberè, eſt operari ſine determinatione quæ illi ab extrinſeco proueniat ; & ſic Deus quotieſcunque per decretum liberum ſtatuit concurrere cum noſtra voluntate ad actum aliquem immediatè producendum ; eo ipſo ſtatuet determinare illam ad vnum, quod non eſt aliud quàm neceſſitare illam ad agendum.

V. Dices quintò, fieri poteſt vt aliquis actus ex obiecto indifferens producatur à nobis indeliberatè, Deo concurrente ad illum Concurſu proximo & identificato, quia hoc neque repugnat ex parte creatæ libertatis, cùm ſit actus indeliberatus, neque ex parte diuinæ Sanctitatis, cùm ſit actus indifferens, miniméque malus, vt, exempli causâ, motus ſubitus volendi comedere carnes die non prohibitâ : Atqui communis ferè ſententia eſt eundem actum, etiam internum, de neceſſario poſſe euadere liberum, hoc eſt, continuari poſſe liberè cùm eſſet inchoatus neceſſariò, nimirùm ſi ratio incipiat ſufficienter aduertere : Ergo iſte idem actus poteſt continuari, ita vt ſit deinceps liber : Atqui vt ſit idem ipſe numero actus qui prius, debent eædem omnino cauſæ efficientes ad illius productionem influere: Ergo poteſt Deus nobiſcum influere Concurſu proximo & identificato ad eundem actum nobiſcum indiuiſim producendum abſque læſione libertatis.

Reſpondeo: conceſſa maiore, nego eundem actum internum de neceſſario euadere liberum, quia cùm in illo caſu voluntas feratur in obiectum alio modo cognitum, actus voluntatis eſt tendentia in aliquid aliud, ſeu in idem quidem obiectum : ſed ſub alio & alio modo, ac proptereà cùm actus vitales adeò addicti ſint ad ſua obiecta in quæ ſemel tendunt, vt non poſſit fieri vel additio, vel reſtrictio in obiecto, quin fiat mutatio in ipſa entitate actus; inde fit vt variatâ repræſentatione obiecti, prout variatur in caſu obiectionis; neceſſe ſit actionem voluntatis numero eſſe diuerſam ; ad quam ſi Deus velit concurrere influxu immediato, & identificato, prout facilè poteſt, tametſi intellectus ſufficienter aduertat, & voluntas ſi ſibi relinqueretur liberè ferretur in obiectum ſub tali cognitione & iudicio; tamen ex quo Deus vult efficaciter & abſolutè actum illum ſimul cum voluntate producere, neceſſe eſt eam Deo volenti cooperari ; & ſic non plus remanet in actu

illo libertatis, quàm erat in alio præcedente, niſi quòd prior ex duplici capite erat neceſſarius, ſcilicet ob defectum aduertentiæ in intellectu, ac prætereà ob Concurſum Dei proximum & identificatum, cùm in ſecundo actu neceſſitas ſit ex hoc poſtremo capite duntaxat, & non etiam ex alio priore.

Videri poteſt in hanc rem Franciſcus de Pitigianis Scotiſta eximius ex Sacro Ordine Fratrum Minorum de Obſeruantia in 3. ſentent. diſt. 31. quæſt. vnica art. 3. vbi docet, tametſi voluntas feratur circa idem obiectum; tamen ſi proponatur illi per cognitionem diuerſæ rationis; cauſari in voluntate actum diuerſæ rationis: vnde infert quòd quia in patria obiectum approximatur per actum cognitionis claræ; in via autem eſt præſens non in ſe, ſed per actũ credendi; idem obiectũ ſecundùm aliam & aliã diuerſæ rationis approximationem cauſat in potentia actũ diuerſæ rationis: Idque ego verum eſſe puto, ſiue cognitio obiecti concurrat effectiuè ad actum voluntatis (in quo caſu omnino certum eſſet variata cognitione diuerſam futuram eſſe voluntatis actionem) ſiue non cõcurrat effectiuè; ſed tantùm moraliter, formaliter, aut tanquam conditio ſine qua non; qua de re fuſiùs alibi, & videri etiam poteſt Konink tomo de actibus naturalibus tractatu de Charitate.

Atque hinc ſequitur, quòd ſi Deus velit vt voluntas creata liberè operetur circa obiectum; ipſe debet permittere illi vt veluti cauſa totalis & adæquata actionem ſuam ipſa eliciat, Deo minimè ad eandem concurrente influxu proximo & indiſtincto.

Dices ſextò, fundamentum huius ſententiæ ſumptum ex læſione libertatis in quam Aduerſarij vel inuiti dicuntur incidere, tametſi apertè non oſtenderetur eſſe falſum; tamen facilè oſtenditur non eſſe neceſſarium, quod ſufficit Theologo, qui non tenetur oſtenſiuè docere articulos fidei eſſe poſſibiles; ſed ſolùm argumenta quæ contra illos adducuntur non eſſe neceſſaria; quod quidem in hac materia videtur hoc modo confici poſſe: Si voluntate ſe ſolâ operante aliquem actum liberũ, (vt ſupponunt Durandiſtæ eam operari poſſe ſolâ) Deus vellet eandem actionem efficere quã illa prius efficiebat ſola, non mutando aliquid, vel agendo circa illam; ſed Concurſum ſuum Concurſui illius identificè coniungendo; non proinde neceſſitas inferretur actioni, ſed maneret perinde VI.

rinde libera, atque Deo quieſcente; quia Concurſus Dei merè concomitanter, non antecedenter ſe haberet; libertas autē actionis eſt denominatio extrinſeca à potentia quæ potuit, & poteſt non agere quod agit: Atqui in altera ſententia, in qua actio non procedit à voluntate, nec procedere poteſt quin ſimul procedat à Deo; perinde ſe habet diuinus Concurſus concomitanter, atque in illa Durandi: Ergo perinde actio libera eſt.

Et quidem ad hanc rationem duplex reſponſio videtur ex dictis reſultare: Prima eſt, negando maiorem; ſcilicet quòd poſſit Deus efficere cum voluntate creata actionem illam quam apta eſt ſola efficere Deo ceſſante: Sed hoc eſt contra communem Theologorum opinionem, aſſerentium Deum poſſe cum cauſis ſecundis, vel ſe ſolo ſine illis, quidquid illæ præſtare poſſunt.

Altera reſponſio eſſe poſſet; negando Concurſum identificatum poſſe concomitanter duntaxat coniungi Concurſui voluntatis à qua ſola non poſſet actio procedere, quia coniungi aliter non poteſt quàm vel caſu & cœco modo, (quod dici non poteſt) vel ex decreto antecedente determinationem voluntatis, quæ qualis futura ſit non poteſt præuideri: Sed contra hoc eſt, quia non ideo nō poteſt coniungi Concurſus Dei concomitanter Concurſui voluntatis à qua ſola actio non poſſet procedere, quòd talis coniunctio contradictionem implicet, vel repugnantiam in ordine ad diuinam omnipotentiam; ſed quia Deus præuidere non poteſt inſtās illud in quo Concurſum ſuum debeat concomitanter coniungere; quod equidem ſi noſſet, ceſſaret omnis difficultas quæ contra libertatem actionum mouetur: Atqui abſurdum eſt dicere, aliquid eſſe impoſſibile Deo ex defectu ſcientiæ tantùm, non alterius repugnantiæ quæ ſit in obiecto; quod ipſum tamen hîc dicitur: Ergo tametſi laboremus in explicanda ſcibilitate obiecti; cùm tamen aliunde nulla ſit in obiecto comparato ad omnipotentiam diuinam repugnantia, ſatius eſt multò dicere, poſſe Deum, & exequi de facto id quod Scripturæ præſeferunt: & quod poſſibile eſſe ſatis oſtenditur, quàm negare Deum ſcire id quod quo pacto ſciri poſſit non ſatis explicamus.

VII. Reſpondeo; iſta obiectio multa continet quæ ſunt animaduerſione digna; Imprimis enim dico caſum propoſitum eſſe impoſſibilem;

Sed verius eſt, Chriſtum Dominum ibi eſſe locutum de operibus duntaxat piis, quæ operamur cum fructu & merito vitæ æternæ, ſic enim loquitur, *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere*; ſine igitur Chriſto nihil poſſumus, quia niſi per fidem, & charitatem inſiti, & connexi fuerimus Chriſto tanquàm palmites viti; & niſi in ipſo ſic manſerimus, non poſſumus proferre fructum vitæ æternæ; hinc tamen non ſequitur nos ad ſingula quæcunque opera indigere Deo immediatè concurrente; Neque veriſimile eſt voluiſſe Chriſtum ſignificare, quòd ſine ipſo non poſſimus homicidium committere, aut latrocinium; cùm ipſe in mundum non venerit ad hóc vt poſſimus prauos actus committere, & tamen in mundum venerit vt poſſimus facere ea quæ ſine illo facere non poteramus; vnde ſequitur non eſſe ibi ſermonem de Concurſu generali, ſine quo non poſſumus quidquam facere boni, aut mali: Sed, eſto intelligenda eſſent illa verba de Concurſu generali, illud non fieret ſine Deo, quod fieret ipſo concurrente mediatè, remotè, ac permittente, viréſque ad operandum miniſtrante.

IV. Quartus locus ſit Epheſiorum 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Reſpondetur; non ſic intelligi locum iſtum quaſi omnia quæ fiunt, Dei conſilio & voluntate fiant ab ipſo etiam Deo; alioqui mala opera Deus ipſe faceret, eáque fierent conſilio & voluntate Dei, cuius contrarium definitum eſt in Concilio Arauſicano 2. can. 23. dum dicitur, *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet:* ſignificat igitur Apoſtolus, Deum quæcunque facit, conſilio & voluntate ſuâ facere.

V. Quintò citari ſolet 1. *Corinth.* 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Reſpondetur ibi eſſe ſermonem de gratia operante, quæ propterea dicitur operans, quia priuſquàm noſtrum liberum arbitrium aliquid operetur ad ſalutem vtile; ipſa in nobis ſine nobis operatur, vt cognoſcamus, ac deſideremus bonum, & poſteà operatur nobiſcum conſenſum, & operis executionem: Probatur ex verbis antecedentibus; *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto; Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diuiſiones mini-*

*ſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*, id eſt, has omnes gratiàs ſupradictas: vide Concilium Arauſicanum Canone 8. Proſperum primo libro de vocatione gentium cap. 24. & alios Patres atque interpretes in hæc verba.

Sextò igitur citari ſolet *Actor. 17. In ipſo enim viuimus, mouemur, ac ſumus*: Vbi dictio, *in*, denotat cauſam efficientem; ſicut & in multis aliis Scripturæ locis, vt in pſalmis. *In te faciemus virtutem*, &, *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu*, Et, *in Deo meo tranſgrediar murum*, & in geneſi dicebat Iacob *ſe in baculo ſuo tranſiuiſſe Iordanem*. VI.

Reſpondeo primò: ibi D. Paulum docuiſſe Athenienſes immenſitatem, atque omnipræſentiam Dei, quod colligitur ex verbis præcedentibus, quibus docuit Deum non eſſe ita quærendum, vt exiſtimetur habitare duntaxat in templis manufactis, cùm ſit potius vbique præſens. *Non enim longè abeſt*, inquit, *ab vnoquoque noſtrum; in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*, id eſt, intra ipſam Dei ſubſtantiam vbique præſentem, & immenſam ſumus, viuimus ac mouemur; quemadmodum piſces in aqua naſcuntur, viuunt, ac mouentur; ita etiam nos tametſi in remotiſſima abeamus loca, ſemper in ipſo ſumus, viuimus, ac mouemur; neque ab eo recedere poſſumus; iuxta illud *ſi aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris*; Te illic, & vbique præſentem inueniam, neque ſolùm præſentem, ſed & in me operantem; ſiquidem etiam *Illuc deduces me, & tenebit me dextera tua*; id eſt, tu mihi virtutem eundi, ac redeundi contuliſti eámque conferre & conſeruare non deſines; neque enim poſſum abſque te quicquam operari, neque viuere, neque eſſe, neque moueri; ſic enim Auguſtinus explicat libro quarto de geneſi ad literam capite duodecimo, poſt medium; *Illud quod ait Apoſtolus in illo viuimus, mouemur, & ſumus liquidè cogitatum, quantùm humana mens valet, adiuuat hanc ſententiam, quâ credimus, & dicimus Deum in his quæ creauit indeſinenter operari.* Igitur in verbis iſtis nulla fit mentio Concurſus diuini proximi, & immediati ad omnes actus noſtros, bonos, ac malos; ſed ſolùm quòd intra ipſum Deum, atque adeo in conſpectu illius, & per facultates quas ipſe nobis continuò

Eee 3 tribuit

tribuit, & conſeruat, operamur; Propter quod ſæpe Patres ſancti aduersùs malitiam noſtram declamaturi argumentis iſtis vſi ſunt, nimirum quòd ſumma ſit peccatoris ingratitudo, quòd intra ipſum Deum, in conſpectu tantæ maieſtatis, iiſdem armis, ac membris quæ à Deo collata, & conſeruata retinet, abutatur in ſummam ipſius iniuriam, & offenſionem; cùm potius occaſio inde ſumenda eſſet tanti numinis impenſiùs honorandi, ac diligendi.

VII. Citari ſolet ſeptimò, *illud Iſaiæ 43. ſeruire me feciſti in iniquitatibus tuis*, id eſt, concurrere feciſti; quia cùm Deus optaret concurrere ad actus duntaxat bonos; peccator eum veluti cogit, ac ſeruire facit in peccatis; abripiendo, vt loquitur Anſelmus, Concurſum Dei ad actus prauos.

Reſpondetur, in iſta Dei querimonia nihil eſſe præſidij pro Concurſu proximo, & immediato ad actus prauos; ſatis enim verificatur dictum illud Prophetæ, ſi dicamus Deum ſeruire iniquitatibus noſtris, vel quia ipſe ſuppeditat nobis vires, membra, ſanitatem, diuitias, & alia huiusmodi, quibus tamen abutimur in contemptum, & iniuriam Dei: quâ etiam ratione herus conqueri poteſt de famulo qui pecuniâ Domini ſui abutitur in ipſius offenſionē, quòd ipſum, & bona ipſius ſeruire faciat aduersùs ipſum, abſque eo quòd herus immediatè coëfficiat actus quibus ipſe offenditur, & pecunia illius abſumitur: Vel ſecundò ſi de Chriſto intelligatur iſte locus, verè ſeruire illum fecimus in iniquitatibus noſtris, quatenus nimirum *quæ ipſe non rapuit, exſoluit, & langores noſtros ipſe tulit, venitque in hunc mundum non miniſtrari à nobis, ſed miniſtrare, & ponere animam ſuam in redemptionem pro nobis*; & ſic patet nihil eſſe præſidij pro Concurſu immediato ad actus noſtros in illo textu.

VIII. Octauò, Deuteronomij octauo ſcriptum eſt: *Ne dicas in corde tuo; fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt*; cui ferè concinit Apoſtolus dum dicit, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*: Ergo creatura nihil omnino facere aut cogitare poteſt, ſiue bonum, ſiue malum niſi Deus eam iuuet influxu proximo, immediato, & indiſtincto, proptereáque gloriari non debet.

Reſpondetur; iſta verba Scripturæ non eſſe ad propoſitum, ſed potius ad oppoſitum; quemadmodum clarè colligitur ex verbis immediatè

mediatè ſequentibus: Poſteaquàm enim Spiritus Sanctus docuit nos minimè gloriari poſſe quaſi aliquid boni præſtitum à nobis fuerit, rationem ſubiungit quare Deo tribuendæ ſint operationes noſtræ quæ laudis aliquid mereantur, his verbis, *ſed recorderis Domini Dei tui quòd ipſe vires tibi præbuerit*: & in illo Pauli ſimiliter ſequitur, *ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, vbi vides Scripturam perſpicuè docere Concurſum Dei remotum, ac mediatum reſpectu operationis noſtræ, proximum autem atque immediatum reſpectu virium, potentiæ, ac facultatis, ſeu ſufficientiæ ad operandum.

Dices; Scriptura videtur indicare quòd præſuppoſitâ iam in nobis virtute operandi, & omni principio intrinſeco actionis in nobis exiſtente, adhuc non ſumus ſufficiẽtes aliquid cogitare, ſed egemus adiutorio, & Concurſu Dei proximo? Reſpondeo id omnino gratis & voluntariè dici; neque ipſos aduerſarios facilè admiſſuros, quòd præſuppoſito in nobis quocúmque principio prauæ operationis, & habitu inclinante ad illam, necnon Dæmonis ſuggeſtione, adhuc non ſumus ſufficientes ad actùm prauum, ſed ſufficientia noſtra ad eum nobis à Deo ſit; vel ergo intelligitur ſolùm de actibus bonis ad quos indigemus gratiâ Dei: vel ſi intelligitur de Concurſu generali ad omnes actus, bonos, & malos; ſufficit collatio virtutis agendi, & conſeruatio eiuſdem, necnon propenſionis ad agendum, vt dicatur eiuſmodi ſufficientia ineſſe nobis à Deo.

Ampliùs citari ſolet nonò, *Iſaias cap.* 10. *dicens*: *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei, & mandabo illi*, & poſt pauca: *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ferit in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtique lignum eſt.* Ex quibus verbis inferri videtur, quòd quamuis Aſſur peccarit, ſaltem ex mala circunſtantia finis gentes debellando, tamen Deus ad hoc eum miſit, ac mouit; propter quod aſſimilatur virgæ, baculo, & ſerræ, quæ cum ſint cauſæ inſtrumentales quarum proprium eſt præmoueri, & applicari ad eandem numero actionem quam agens principale ſeu artifex facit; conſequẽs eſt vt Deus applicet, moueátque vnamquámque creaturam ad quemlibet actum ſuum, ita vt ſit vna eademque indiuiſibilis actio à Deo ſimul & à creatura indiuiſim procedens. IX.

Reſpondetur

Reſpondetur primò, mirum eſſe quòd aliqui Auctores hac teneantur opinione, vt exiſtiment hunc Prophetæ locum efficaciter probare Concurſum Dei immediatum, imò & phyſicam prædeterminationem ad omnes actus noſtros, tametſi illicitos, ac turpes: Cùm tamen inde ſolùm ſequatur omnia quæ in mundo eueniunt, ſiue bona, ſiue mala certiſſimæ Dei prouidentiæ eſſe ſubiecta, & hoc ſolùm fieri in mundo, & eo modo, & ad eum finem, quod, & quomodo, & ad quem finem Deus vult, aut certè permittit illud fieri; alioquin dicendum eſt Deum concitare homines ad peccata, quæ eſt impia blaſphemia hæreticorum.

Reſpondeo ſecundò, tametſi creaturæ omnes ſoleant appellari inſtrumenta Dei; & ipſe Deus comparari artifici vtenti creaturis vt inſtrumētis; tamen cauſę ſecundę verę ſunt cauſæ principales comparatione effectuum, qui ſunt illis proportionati, & adæquati: Vocantur autē inſtrumenta diuinæ virtutis, non omnino ac propriè ſicut ſerra, aut ſecuris quę ſunt inſtrumēta inanimata; ſed cū nōnulla ſimilitudine ac proportione, quatenus ars ſummi artificis, & intentio Dei dirigentis ſemper eſt in illis, & per illam ſemper diriguntur in certos fines ipſi Deo notos, etiamſi cauſæ ſecundæ huiuſmodi fines non cognoſcant, diuinámque directionem non aduertant: Sic enim Auguſtinus per diuinam motionem quâ Deus creaturis omnibus operationem tribuit, intellexit æternam, atque inſuperabilem diuinæ voluntatis prouidentiam, ſupremíque artificis artem vniuerſa in conſentaneos fines infallibiliter deſtinantem: Itaque dicitur vti creaturis vt inſtrumentis, naturales earum vires, & motus, & operationes dirigendo, Eſto non influat in earum motus influxu proximo, immediato, & indiſtincto: Dixi cauſas ſecundas eſſe cauſas principales reſpectu effectuum qui ſunt illis proportionati, & adæquati; neque enim negandum eſt vti etiam Deum creaturis quibuſdam tanquam inſtrumentis propriè dictis ad quoſdam effectus qui illarum virtutes excedunt, ſic enim Sacramenta, iuxta probabilem ſententiam, concurrunt inſtrumentaliter effectiuè ad productionem gratiæ; aliorúmque effectuum Sacramentalium per virtutem quam vocant obedientialem actiuam; & tunc omnis huiuſmodi actio, & bona eſt, & reſpectu creaturæ illam ſimul cum Deo efficientis, neceſſaria: reſpectu autem ſolius Dei libera.

Decimò

Decimò citantur Scripturæ quibus Deus dicitur *manibus ſuis plaſmare, & formare hominem in vtero matris*, cuius tamen generatio fit etiam per cauſas ſecundas, *Iob cap.* 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu:* At quæ dicitur quis manu propriâ facere, debet vtique facere ea proximè, & immediatè, & non duntaxat remotè, ſeu alio mediante: Et ne quis dicat hæc ad animam eſſe referenda, quam ſententia noſtra fatetur à ſolo Deo creari, ſubdidit Propheta, *Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me*; Et *Hierem. cap.* 1. *Priuſquàm te formarem in vtero noui te.* Et *Pſalm.* 138. *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Et ibidem, *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Neque ſolùm humana corpora dicitur Deus manibus propriis fingere, ſed alia etiam infima, viliſſimáque: *Iob cap.* 26. *Et obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus*: Et *Lucæ* 12. *Si fœnum agri Deus ſic veſtit.* Et 1. *Corinth. cap.* 15. *Quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, vtputà tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & vnicuique ſeminum proprium corpus*: & *cap.* 30. *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* X.

Denique alibi paſſim dicitur, Deum *veſtire lilia agri, portare omnia verbo virtutis ſuæ, continere omnia; Solem ſuum oriri facere, pluere ſuper iuſtos, & iniuſtos, operire cælum nubibus, parare terræ pluuiam, producere fœnum in montibus:* ex quibus omnibus ſequi videtur Deum ſimultaneo, proximo, & immediato Concurſu influere in omnes creaturæ actiones. XI.

Reſpondetur primò; Quòd Deus dicatur *manibus propriis* hominem plaſmare, deducere, tenere, metaphoricum eſt, ac proinde nihilo plus inde præſidij peti poteſt pro ſententia affirmante Concurſum Dei immediatum, & proximum ad omnes actus noſtros, bonos, ac malos, quàm ſi diceretur ſolo imperio voluntatis ſuæ vniuerſa produxiſſe; ſiue enim mediante potentiâ executiuâ quæ per manus ſignificatur, ſiue ipsâ voluntate, aut ſapientiâ dicatur creaturas producere, ſatis eſt ac Scripturis longè cõformius, quòd aliquas immediatè producat; alias autem mediantibus aliis: exẽpli causâ, actiones liberas præſertímque illicitas, atque ex obie-

cto turpes mediante libero arbitrio creaturæ, quod eſt non propriè & per ſe eas operari,ſed impropriè tantùm, & per aliud, eáſque duntaxat permittere.

Reſpondetur ſecundò,omnibus illis Scripturæ locis non probari Deum immediato,proximo,& identificato influxu phyſico omnes creaturarum effectus operari; tametſi enim cœlos immediatè produxerit,hodiéque etiamnum conſeruet, ac plurimarum rerum ortus proximè ab immediata ipſius cauſalitate dependeant; non tamen omnium; vel dic illum operari omnia quæ in obiectione commemorantur, non quidem immediato influxu phyſico, ſed voluntate immediatè & directè volente omnes operationes creaturarum, ( exceptis duntaxat prauis) quæ voluntas eſt principium & conditio quædam ſine qua nulla creaturæ operatio eſſe poteſt.

Reſpondeo tertiò; plurima Scripturæ loca quæ nobis obiiciuntur intelligenda eſſe,non de Concurſu generali ad quoſlibet actus noſtros requiſito; ſed de ſpeciali adiutorio gratiæ Dei per Chriſtum ad actus ſupernaturales, ac bonos; vnde meritò dixit Ruiz nimis deprimi teſtimonia illa Scripturæ,ſi applicentur ad Concurſum Dei generalem: Sanè qui Scripturam ſacram ita torquent, iniuriam facere videntur Auguſtino, & SS. Patribus, imò & vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in pluribus Conciliis præſertim verò in Paleſtino,& Arauſicano ſecundo in Spiritu ſancto congregata, aduerſus inimicos gratiæ Chriſti ipſiſſimis teſtimoniis vſa eſt ad comprobandam neceſſitatem gratiæ, & adiutorij ſpecialis ad actus ſupernaturales, quibus recentiores iſti conantur vti ad probandam neceſſitatem Concurſus proximi,& immediati ad quoſlibet actus noſtros,etiam ad eos qui ſunt intrinſecè, atque ex obiecto turpes, quos tantùm abeſt vt Deus producere debeat propriè per ſemetipſum,vt potiùs puriſſimæ illius ſanctitati, & rectitudini repugnet eos ita producere, ſiue dicatur operari eos ſolus, ſiue cooperante, & coëfficiente creaturâ.

3. Atque hinc ſequitur; vtramque Aduerſariorum turmam cùm ſententiam ſuam quam exiſtimabat eſſe veriſſimam conquiſitis vndique argumentis fulcire,ac ſuadere niteretur,adduxiſſe etiam in illius confirmationem pleráque Scripturarum teſtimonia, quæ faciliùs multò intelliguntur de auxilio, & Concurſu remoto, ac mediato,

mediato, vel de voluntate immediata permittendi, vel de auxilio ſupernaturali, & gratuito, quàm de influxu identificato, & indiſtincto neceſſario ad quoſlibet actus noſtros ordinis naturalis, bonos, ac malos.

Dices; Debet Theologus Sacræ Scripturæ inſiſtere, eámque interpretari ſecundùm proprietatem, & latitudinem verborum; quando nihil inde oritur contrarium bonis moribus, traditioni Patrum, deciſioni Summorum Pontificum, & Conciliorum generalium, aut aliis Scripturis Sacris; & quidem ea interpretatio verborum Scripturæ prorſus vitanda eſt, quam Patres veteres non induxerunt, & communis Theologorum ſenſus ablegauit; huiuſmodi autem eſt illa negantium diuinum Concurſum immediatum ad actiones cauſarum ſecundarum; Nam quòd Durandus, & Aureolus ab eo conſenſu receſſerint, non impedit quominus conſenſus aliorum qui ſunt in magno numero non dicatur conſenſus vnanimis Theologorum. XII.

Reſpondeo; mirum mihi potiùs accidere quòd non modò non cogente nos Scripturâ Sacrâ, aut Eccleſiâ, verùm etiam contrariam partem euidenter ſignificante, vt oſtendimus; viri graues, propter aliqua loca quæ non magno negotio ſolutionem accipiunt, dogmata amplecti potuerint, ac voluerint ex diametro penè pugnantia, tum aduersùs inſitas omnium propè Chriſtianorum animis de peccati fœditate opiniones; tum etiam aduersùs toties prædicatam in Scripturis, ac Conciliis Dei Optimi Maximi ſanctitatem, & ſummam quâ peccata proſequitur abominationem, ac diſplicentiam; quod quidem neceſſariò fatebitur quiſquis meminerit, aut ſententiam illam affirmantem diuinum Concurſum immediatum eſſe falſam, aut eam probare Deum operari verè, propriè, ac per ſe, proximè, & immediatè omnia opera noſtra mala, quod cùm expreſsè damnatum ſit in Concilio Tridentino; & Scripturis Sacris omnino ſit contrarium, quippe quæ manifeſtè docent Deum mentiri non poſſe, aut ſeipſum negare, aut peccatum vllum facere: ſequitur illam opinionem eſſe falſam, & Sacris Scripturis, Conciliis generalibus, Patrúmque traditioni minimè conſentaneam. Et cùm peccati horrorem plurimùm minuat, bonis moribus repugnantem: Atque hæc ſanè inſtantia ex peccati

Fff 2 graui

grauitate petita diligenter eſt animis noſtris inſigenda. Porrò, ad id quod obiicitur contrariam ſententiam eſſe communem Theologorum, ſolúmque Durandum cum Aureolo pro nobis ſtare; Reſpondeo capitibus præcedentibus abundè oſtenſum eſſe quàm multi ex variis ordinibus grauiſſimi viri ſẽtẽtiã noſtrã docuerint.

XIII. Dices; Sacra Scriptura non potuit verbis ſignificantioribus inſinuare ſententiam contrariam; & ex eius ſuppoſitione loqui, quàm loquatur Iob cap. 10. vbi organizatio corporis humani, illiúſque modus diſtinctiſſimè explicatur; Neque ſola attributio virtutis facta cauſis ſecundis ſufficit ad horum verborum ſenſum, *Nonne ſicut lac mulſiſti me?* éſtque violentum iſta verba, & alia ſimilia hoc modo interpretari; nonne dediſti virtutem parentibus, quâ &c. Similiter quoque eundem Concurſum proximum inſinuant illa verba Matris Machabæorum, quam negandum non eſt prophetico & diuinitùs illuſtrato Spiritu eſſe locutam, *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego membra veſtra ipſa compegi &c.*

Accedit his; quòd Chriſtus Dominus dicat Deum quotidie veſtire lilium, & fœnum agri, eâ intentione vt fideles reuocet à nimia ſollicitudine incumbendi acquiſitioni rerum neceſſariarum; eſſet autem debilis admodum ratio, ſi à ſola potentiæ operantis attributione Chriſtus Dominus argumentum deſumeret.

Denique; vt plures alij Scripturæ loci eò pertinentes omittantur, Apoſtolus apertè hanc ſententiam inſinuauit dicens, *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus:* quibus verbis alluſionem facit ad productionem effectuum naturalium, vt ſicut in illis actio cauſatum non ab ipſis ſolùm cauſis procedit, ſed ſimul à Deo; ita etiam in genere & ordine actionum ſupernaturalium cauſæ ſecundæ nihil operentur ſolæ, ſed vnà cum Deo eaſdem operationes indiuiſim producente.

Reſpondeo; longè expreſſiùs, ac luculentiùs Scripturam ſacram docuiſſe, Deum non poſſe propriè, ac per ſe operari peccata noſtra, & conſequenter falſam eſſe ſententiam quæ docet eum proximè, immediatè, propriè, ac per ſe operari omnia opera noſtra, quemadmodum id docet ſententia quam impugnamus; & quidem quòd attinet ad verba illa Sanctiſſimi Iob exiſtimamus ad eorum veritatẽ ſufficere attributionem virtutis parentibus à Deo factam

factam, neque illa poſteriora verba Matris Machabæorũ, poſſunt eſſe vera in rigoroſo iſto ſenſu quem primo intuitu præſeferunt, niſi commodè tam ab aduerſariis, quàm à nobis explicentur; ſignificarent enim matrem nõ concurrere effectiuè ad productionem, & organizationem fœtus ſui, id quod etiam notandũ eſt ad interpretanda verba illa Apoſtoli dicentis eum qui plantat, aut rigat nihil prorſus agere, cùm tamen euidens ſit plantare, & rigare eſſe actus proprios hominis plantantis, & irrigantis: ſolùm igitur intendit Apoſtolus indicare multò magis attribuẽda eſſe Deo incrementa frugum quàm homini plantanti, & irriganti, quod nos etiam vltrò quàmlibentiſſimè concedimus.

Cæterum; quòd dicitur Chriſti Domini rationẽ futurã eſſe admodũ debilem, cùm fideles reuocare voluit à nimia ſollicitudine acquirẽdi res neceſſarias, exẽplo lilij, & fœni, quæ Deus veſtit; niſi Deus immediatè, & proximè Cõcurſu indiſtincto illa veſtiat; Planè intelligere hoc nequeo, quia vt ratio Chriſti Domini cõcludat, & perſuadeat, ſufficit quod Deus ſollicitã curã gerat de ortu, incremẽto, & cõſeruatione lilij & fœni, ſiue illis prouideat mediãte Cõcurſu terræ, & cœli, ſiue ſe ſolo; & ſiue id præſtet influxu ſuo proximo, & identificato, ſiue remoto, mediato, & diſtincto ab influxu cauſarum ſublunarium & cæleſtium: Hinc enim conſequens erat vt fideles ſecuriſſimi eſſe deberent de eadẽ Prouidentia Dei multò magis hominibus quàm fœno, & lilio in rebus neceſſariis adfutura. Sanè dummodo terra producat ſegetes, & nobis alimenta miniſtret, nihilo minores debemus Deo gratiarum actiones, nihiloque minorem in eo ſpem, ac fiduciam collocare; ſiue is terram Solémque agere proprios motus ſinat; ſiue eodem cum ipſis motu, & actione concurrat: ad eum ferè modum quo iidem fideles, poſteaquàm ritè diſpoſiti ad Sacramenta acceſſerunt, non ſunt anxij, nec ſolliciti, An Deus gratiam in mentibus eorum ſe ſolo producturus ſit; An verò mediante concurſu phyſico, & effectiuo Sacramentorum; ſed ad omnem iſtiusmodi ſollicitudinem deponẽdam ſatis ſibi eſſe intelligunt, quòd Deus nequaquam ſit illis defuturus, eaſdémque Deo deberi gratias; itemque eandem in eo ſpem ac fiduciam collocandam eſſe arbitrantur: ſiue hoc, ſiue illo modo prouidere illis voluerit.

## CAPVT XVII.

### *In quo proponuntur, ac diluuntur aliquot argumenta Aſſertorum Concurſus proximi & identificati.*

I. Dixi vtramque turmam Auctorum Concurſus proximi, & identificati, ſcilicet Prædeterminantes, atque Aſſertores Scientiæ Mediæ in eam conueniſſe ſententiam, vt exiſtiment Concurſum Dei proximum indiſpenſabiliter eſſe neceſſarium ad quamlibet operationem creaturæ, tametſi naturalem, ſiue bona, & honeſta illa ſit, ſiue mala, illicita, & turpis.

Eámque ob rem operæpretium facturum me exiſtimaui, ſi præcipua eorum argumenta vndequaque conquiſita hîc cumularem; quorum alia procedunt ſecundùm principia Prædeterminantium; alia verò iuxta principia Auctorum Scientiæ Mediæ; ita enim fiet vt ſi fideliter, atque in maximo quantùm à nobis fieri potuerit robore propoſita, congruam nihilominus ſolutionem acceperint; noſtra ſententia, quæ omnino eſt oppoſita, maximam inde veritatis opinionem ſit acceptura.

Imprimis igitur probari ſolet eorum ſententia variis Scripturæ locis quæ tamen ſuprà oſtendimus capite 16. facilius multò explicari poſſe ac debere de auxilio, & Concurſu remoto, ac mediato, vel de voluntate immediata, ac directa permittendi, vel de auxilio ſupernaturali, & gratuito, quàm de influxu proximo, immediato, & indiſtincto ad quoslibet actus noſtros ordinis naturalis, bonos, ac malos, quod quidem reſponſum vt euidenter appareat minimè à nobis eſſe confictum, conſulantur, ſi placet, libri ipſorummet auctorum Concurſus proximi, & immediati iis in locis quibus contingit eos huiuſmodi Scripturæ loca interpretanda ſuſcipere, facilè enim apparebit eos, dum nulla illis ſuſpicio ſententiæ Durandi exſuſcitandæ, ac reſtituendæ; loca illa longè aliter intellexiſſe.

Probatur

Probatur ſecundò eadem ſententia auctoritatibus Concilij Nicæni, & Arauſicani ſecundi, & quorundam etiam Sanctorum Patrum, necnon Scholaſticorum recentiorum acri cenſurâ ſententiam noſtram vexantium; ad quæ tamen omnia ſatis mihi videor in ſuperioribus reſpondiſſe, proptereáque rationibus deinceps agendum erit.

Prima ſit illa quam Aduerſarij deſumere ſe putant ex S.Thoma, & quæ fundamentum habet in nomine Dei *Sum qui Sum*, quoniam *eſſe* quantùm ad communem rationem eſſendi, proprius eſt, & adęquatus effectus Dei, quia ſolus Deus *eſt ſuum eſſe*, quemadmodum ignire, propriùs eſt effectus ignis; quoniam ille ſolus eſt ignis; Igitur *eſſe* quantùm ad communem rationem eſſendi, non poterit produci à ſola cauſa particulari, niſi concurrente Deo ad eſſe inquantùm eſſe, cauſa verò particulari concurrente ad eſſe inquantùm eſt tale eſſe. II.

Confirmatur primò, quia ſicut *eſſe* generaliſſimus effectus Dei eſt in omni creatura repertus. (Nam omnia alia, vt eſſe equum, ignem, lignum, hominem ſunt determinationes ipſius eſſe, & perfectiones minus vniuerſales) ita Dei efficientia debet eſſe generaliſſima cauſatio correſpondens illi effectui non minori generalitate; proptereáque reperiri debet in omni creatura: At actio creaturæ, quædam creatura eſt: Ergo in ea reperiri debet efficientia Dei, quæ ſcilicet identificetur cum ipſa actione creaturæ; quemadmodum gradus eſſendi realiter identificatur cum creatura cuius eſt eſſe.

Confirmatur ſecundò; quia ſicut *eſſe* primus effectus eſt, ita ſemper tribuendus eſt primæ cauſæ.

Confirmatur tertiò, quia inter omnia rerum prædicata, magis intimum eſt ipſum *eſſe*, tranſcendens vltimas quaſque differentias: Ergo ſimiliter operatio vniuerſaliſſima quæ adæquatè reſpondet eidem *eſſe* debet eſſe magis intima tranſcendens vltimas differentias cuiuſque operationis, & identificata cum illis.

Confirmatur quartò, Quia in omni effectu vnicuique formalitati debemus attribuere propriam ſuam cauſam; At *eſſe* eſt formalitas vniuerſaliſſima quæ producitur in omni effectu: Ergo debet tribui cauſæ vniuerſaliſſimæ, ſcilicet Deo: At actio creaturæ eſt ali-



Digitized by Google

qua entitas producta,& accipiens eſſe: Ergo producitur à Deo;ſed non per aliam actionem: Ergo ſeipsâ & immediatè,ſi enim dependeret per aliam actionem à Deo, non ſiſteremus in primo quo, ſed iremus in infinitum,& daretur actio ad actionem.

Reſpondetur; *eſſe* ſecundùm communem rationem eſſendi,meritò dici proprium effectum Dei, primúmque, ac generaliſſimum qui in omni creatura producitur, & cum aliis metaphyſicis gradibus realiter identificatur,quique formaliſſimè Deo efficienti tribuitur; inde tamen non ſequitur efficientiam Dei debere ſemper identificari cum qualibet efficientia, & productione alicuius creaturæ:tametſi enim Deus non producat immediatè operationes noſtras;nihilominus tamen *eſſe,& fieri*,quodcumque in illis reperitur,à Deo effectore proficiſcitur,mediatè ſaltem,ac remotè:vel ipſo etiam Deo immediatè,ac directè volente, aut permittente, quod ſatis eſt.

Et confirmatur reſponſio; quia in productione,verbi causâ,leonis, quòd producatur gradus entis tribuitur Deo, veluti enti primo; quòd producatur ſubſtantia corporea, cælo tribuitur, veluti primo corpori; quòd producatur animal,ſeu gradus animalis,putà leonis, tribuitur leoni; & tamen corpus cæleſte non cõcurrit proximè, & immediatè Concurſu identificato ad eandem numero actionẽ leonis generantis, vti dicemus ſub finẽ præſentis opuſculi: Ergo neceſſe non eſt,vt ſi gradus metaphyſici,ſeu formalitates quæ producuntur, identificantur inter ſe; ipſæ quoque productiones, ſiue efficientiæ quibus producuntur, identificentur inter ſe;ſed nihilominus realiter ab inuicem diſtingui poſſunt.

III. Secunda ratio eſt; Quia omnis creatura à Deo diſtincta,eſt ens actu per participationẽ; ſoluſque Deus eſt ens actu per eſſentiam ſuam: ſed omne quod eſt ens per participationem, eſt ab eo quod eſt ens per eſſentiam; quod enim eſt tale per participationem, & imperfectè; neceſſe eſt vt fiat tale per illud quod habet totam plenitudinem eſſendi in illo genere; quemadmodum omne ignitum eſt ab igne; Ergo neceſſe eſt vt omnis actio creaturæ producatur, & fiat ens actu per efficientiam; & influxum Dei.

Reſpondetur; illam rationem non euincere effectionem immediatam omnium effectuum à Deo; ſed duntaxat remotam,ac mediatam:



Digitized by Google

diatam: neque vrget exemplum ignis; Nam quicquid eſt calidum non ſemper ab igne calefactum eſt immediatè, ſed aliquando ab alia cauſa iam antè calefacta ab igne: & quicquid ignitū eſt, non ſemper ab alio igne immediatè ignitum eſt; aliquando enim contingit ignem excitari ex coitu radiorum Solis, aut ex attritu ferri & ſilicis; Itaque ſufficit quòd ens per participationem producatur ab alio ente, quod virtutem agendi acceperit ab ente per eſſentiam; vel proximè, vel ſaltem remotè.

Tertiò, argumentatur P. Valentia 1. part. diſp. 3. quæſt. 1. ratione quam putat eſſe omnino euidentem; ſcilicet eò quòd vnaquæque res ſit à Deo, etiam immediatè, hoc ipſo quòd exiſtit Deo intelligente, & volente illam exiſtere; hoc enim putat eſſe rem à Deo fieri, cùm Deus aliter agere non poſſit quàm intellectu, & voluntate; eo quòd alias potentias non habeat: ſed Deus immediatè vult, & intelligit omnia fieri quæcunque fiunt, & exiſtunt: Ergo neceſſe eſt ea fieri & exiſtere Deo immediatè faciente & producente. IV.

Reſpondetur; potiùs euidens eſſe argumentum P. Valentiæ nihil concludere; tum quia ſupponit falſum, ſcilicet Deum carere potentiâ exequente, ab intellectu, & voluntate per rationem diſtinctâ; tum quia eſto careret, facilè tamen reſponderemus, concedendam eſſe Deo intellectionem ſpeculatiuam, quâ immediatè cerneret operationes noſtras, à ſe quidem faciendas mediatè; à nobis autem immediatè; itémque cognitionem practicam, quâ indicaret conueniens eſſe vt actus liberi arbitrij producerentur immediatè à voluntate creata; & remotè ſolùm, ac mediatè ab ipſo Deo; & eſt inſtantia, quia ſi Deum cognoſcere immediatè, & velle producere rem aliquam, eſt eam immediatè producere; ſequitur Deum produxiſſe mundum ab æterno, quia immediatè cognouit, voluítque ab æterno eum producere: Vnde profectò mirum mihi, & pleriſque aliis accidit, quòd ſapientiſſimus iſte Pater, loco in obiectione citato dixerit Durādum valdè temerè in eam iuiſſe ſententiam, quam tamen ipſe Valentia tam leui argumento reprehenſurus erat.

Quartò, Suarez arguit libro primo de Concurſu Dei cum voluntate cap. 4. Eadem ratio propter quam cauſa creata pendet à V.

 Deo

Deo in ſuo eſſe, etiam probat neceſſe eſſe vt effectus ab ea productus ſimiliter à Deo pendeat in ſuo eſſe; hanc autem dependentiam à ſua cauſa creata effectus habet ab ipſo initio ſui eſſe; Ergo ab eo momento in quo primùm fit, in ſuo etiam fieri pendet à Deo: Ergo non poteſt talis effectus à cauſa ſecunda prodire, quin etiam propriè, & per ſe à prima cauſa emanet, & fiat: Atqui pendere propriè, ac per ſe, nihil eſt aliud quàm pendere immediatè, & proximè quemadmodum idem Suarez aſſerit ibidem num 4. litera C. Illationes omnes per ſe, inquit, ſunt euidentes, ratio autem primi antecedentis eſt; Nam cauſa non aliter pendet à Deo, niſi quia eſt ens per participationem, & imperfectum; hæc autem ratio æquè procedit de quocunque effectu: Atque hinc poteſt eadem ferè ratio applicari ex parte cauſæ, quia eandem rationem dependentiæ habet in agendo, quam habet in ſuo eſſe: Nam ſicut habet eſſe per participationem, ita & efficere, & vim agendi: Eſt ergo æquè pendens à primo ente, & à primo agente ſub vtraque ratione.

Reſpondetur; non eſſe indiſpenſabiliter neceſſarium vt omnis cauſa creata dependeat in ſuo eſſe à Deo proximè, & immediatè producente, aut conſeruante; poteſt enim pendere ab ipſo mediatè, & remotè; nimirum mediante aliâ causâ ſecundâ; per quam duntaxat influat Deus, nimirum producendo & conſeruando illam cauſam quę poſteà per ſemetipſam ad effectum proximè producendum ſufficiat: ex quo ſequitur duntaxat effectum in principio ſuæ productionis eâdem ratione pendere à Deo, quemadmodum cauſa ipſius pendet, ſcilicet mediatè, & remotè, quod nos etiam vltrò admittimus.

Itaque fieri poteſt vt aliquis effectus non ſolùm initio in primo ſuæ productionis inſtanti, ſed etiam poſteà in ſuo eſſe, & conſeruari adæquatè pendeat à cauſa ſecunda immediatè concurrente phyſicè; à Deo autem ſolùm mediatè; vt exempli causâ, ſi actus voluntatis, aut intellectus producatur initio à ſola creatura, qualitas per vtramque illam actionem producta conſeruari poterit ab eadem creatura adæquatè efficiente: & ſi calor ignis ab ipſius ſubſtantia immediatè pendet, Deo non concurrente immediatè, & proximè etiam calefactio quæ ab eo calore proficiſcitur,

ab eo produci poterit Deo non concurrente proximè, ſed duntaxat remotè: Fieri quoque poteſt vt cauſa ſecunda initio producat ſola aliquem effectum ſuum, poſteà tamen non ampliùs conſeruet eum; & tunc quia talis effectus ſeipſum conſeruare non poteſt, nec habere in ſeipſo primum fundamentum exiſtentiæ ſuæ, cúmque non ſit vlla alia cauſa creata conſeruans illum; neceſſarium eſt ipſum à Deo immediatè conſeruari, vel ſubrogari à Deo aliam cauſam ſecundam conſeruantem: ſic leo genitus à leone generante producitur, à quo tamen minimè poſteà conſeruatur; ex quo ſequitur non omnem effectum qui conſeruatur à Deo ſolo immediatè conſeruante, etiam fuiſſe primò productum ab eo immediatè, & proximè concurrente, & producente.

Cæterùm; ſi verum eſſet quod in eodem argumento dicitur, omnem effectum creaturæ pendere à Deo proximè, immediatè, propriè, ac per ſe, definitio Concilij Tridentini eſſet falſa, ſancientis opera noſtra praua non fieri à Deo per ſe, ac propriè, ſed ſolùm permiſſiuè, ſeſſ. 6. can. 6. de quo ſuprà.

Quintò probatur ratione petitâ partim ex Leſſio opuſculo de prouidentia Dei cap. 3. partim ex Theophilo diſtinct. 1. Theologię naturalis quæſt. 1. & 2. Quia ratio conſtitutiua entis creati, vt ſic, eſt indigentia opis alienæ, ſcilicet entis à ſe, ad habendum eſſe: Nam licet illud aliud à quo aliquod ens habet eſſe poſſit eſſe rurſus ab alio; neceſſe tamen eſt aliquando ſiſti in aliquo ente quod non ſit ab alio, ſed à ſe; hoc eſt, quod ſit tale ens cui ob infinitatem ſuæ perfectionis competat; vt etiamſi nullum ſit ens à quo poſſit accipere eſſe, aut perfectionem ſuam per propriè dictam cauſalitatem; tamen ipſum debeat eſſe neceſſariò, quia eſt formaliter ſua exiſtentia, & actualitas ab eſſe exercito impræciſibilis: Itaque indigentia illa opis alienæ, id eſt, entis à ſe, ad habendum eſſe, eſt eſſentialis & intima creaturæ; & tam altè imbibitur in quacunque ratione entis creati, vt ſit omnino impræciſibilis; hoc autem certum eſt prouenire ex intrinſeca imperfectione, & limitatione creaturæ; cùm enim quælibet creatura aliquando non fuerit, nec ſimpliciter fuerit impoſſibile vt ſemper non eſſet, neceſſariò fatendum eſt eam non eſſe ex vi eſſentiæ ſuæ, nec à ſe, ſed ab alio; Nam ſi eſſet actu ex vi eſſentiæ ſuæ, ſemper, & ex omnimoda ne- VI.



Digitized by Google

ceſſitate fuiſſet: Ergo impoſſibile eſt cōcipi à nobis creaturam, aut ens ab alio, vt ſic, quin apertè veniat nobis in mentem, indigētiam opis diuinæ ad habendum eſſe, ſeu, quod idem eſt, exigentiam, & neceſſitatem alicuius diuini influxus eſſe omnino de eſſentia rei creatæ: quanquam ea non ſolet exprimi in definitionibus, (vt nec cætera prædicata ſuperiora rerum inferiorum, præſertim verò vniuerſaliſſima) atqui omnis actio cuiuſcunque creaturæ eſt ens ab alio, atque entitas creata: Ergo neceſſariò poſtulat dependere ab influxu, & cooperatione Dei, vtpote entis à ſe; neque dici debet hanc dependentiam in quibuſdam rebus poſſe eſſe ſolùm mediatam, quia hoc nihil aliud eſſet quàm dicere rem illam non dependere propriè à Deo, nec ab eo aliquid accipere, ſed dependere, & accipere eſſe ab alia creatura quæ immediatè dependeat à Deo; & ideò illa res dicenda potiùs eſſet habere dependentiam eſſentialem à cauſa creata quàm à Deo, quod eſt abſurdum.

Et confirmatur, quia ſi effectus fierent immediatè, & totaliter à cauſis ſecundis independenter à Concurſu Dei immediato, &

IV proximo, remotè ſolùm, & impropriè Deus diceretur producere herbas, arbores, animalia, cæteróſque effectus; quemadmodum impropriè, & remotè dicitur ignis me calefacere, quando aqua me calefacit per calorem acceptum ab igne iam non ampliùs exiſtente, ſed extincto aut remoto: At ſanè res quæ à cauſa remota pendet, non dicitur propriè ab illa pendere, ſicut nepos propriè ampliùs non dependet à proauo.

Reſpondeo, fatemur creaturam omnem, atque etiam actionem eſſe indigam opis alienæ, ſcilicet entis à ſe; ſed aſſerimus creaturam adhuc fore ens indigum opis alienæ quamuis dependeat immediatè ab aliqua cauſa creata, quæ tandem reducetur in ipſum Deum à quo virtutem productiuam acceperit, ſiue mediatè, ſiue immediatè. Quinimò Rodericus de Arriaga benè addit diſp. 10. phyſ. ſect. 1. ſubſect. 2. non modò influxum immediatum Dei non inferri ex conceptu creaturæ, ſeu entis ab alio: ſed nequidem influxum Dei mediatum, quod inde probat; quia ſi per impoſſibile non repugnaret mutua cauſalitas, & duæ creaturæ ſeſe inuicem producere poſſent, ita vt nulla à Deo prouenirer, adhuc in illis ſaluaretur conceptus creaturæ, quia nihilominus eſſent entia defectibilia;

bilia, indiga opis alienæ ad eſſendum; & non eſſent entia à ſe: ſed vnumquodque eſſet ens ab alio.

Porrò, creatura quæ ab alia creatura immediatè penderet, non tã eſſentialiter ab ea penderet quàm à Deo; quia dependentia à Deo, ſaltem mediata, & vltimata, ſuppleri ac ſeparari non poteſt à creatura, bene tamen dependentia ad aliam creaturam: Quemadmodum enim ſi egenus ab homine diuite, qui ſolus poterat illi ſubuenire, eleemoſynam accipiat interuentu ac miniſterio famuli, eleemoſyna multò magis dependet ab hero largiente & iubente, quàm à famulo, immediatiùs quidem, ſed nomine tamen Domini ſui porrigente, nimirum quia famulus abſque Domino ſubuenire illi non potuiſſet, bene tamen herus ſine famulo; propter quam etiam rationem maiores multò gratiæ debentur Domino quàm miniſtro; ita in propoſito, tametſi creatura aliqua immediatiùs dependeat ab alia creatura producente quàm à Deo, tamen eſſentialiùs, ac maiore multò neceſſitate à Deo pendet, maioreſque eidem gratias debet.

Neque obſtat, quod communiter cauſa remota non dicitur tam propriè cauſa quàm proxima, & immediata; quemadmodum non tam propriè dicor calefieri ab igne quando aqua prius ab igne calefacta me calefacit; quàm ſi ipſe ignis immediatè me calefaceret: Contra enim hoc eſt; quia ſi ignis immediatè conſeruaret in aqua calorem qui me calefacit; ipſe etiam diceretur ſatis propriè me calefacere, & ſic etiam Deus peculiari ratione appellatur cauſa noſtræ actionis bonæ, tametſi eam non producat immediatè; quia omnis eiuſmodi actio fit illo directè volente, & ſuadente, vireſque ſubminiſtrante eo fine vt benè operemur: At verò non poteſt appellari cauſa propria; nec conſequenter immediata actionis prauæ, prout Concil. Trident. definiuit ſeſſ. 6. can. 6, quia tametſi conferat, conſeruétque nobis vires quibus operamur malum, non tamen eo fine vt malè operemur, ſed vt oppoſito modo agamus: Atque hoc quidem poſtremum dictum diligenter animis noſtris eſt infigendum; ſcilicet multas eſſe operationes noſtras, quarum Deus non poteſt appellari propriè, & per ſe cauſa, nimirum actus omnes prauos, iuxta allatam ſæpius Tridentini definitionem: Inde enim ſequitur nullum eſſe inconueniens quòd detur aliqua creatura, cuius iuxta noſtram ſententiam Deus non ſit tam propriè cauſa, quàm eſſet ſi

proximè & immediatè eam produceret.

VII. Sextò, Si Deus non alio modo concurreret ad effectus creaturarum producendos, quàm tribuendo cauſis eſſe, & agendi virtutem; ſequeretur eas non eſſe cauſas eſſentialiter ſubordinatas reſpectu Dei, ſolúmque ei ſubordinari quatenus entia ſunt, ſed non quatenus agentia, quod eſt abſurdum.

Sequeretur etiam fore vt cauſa ſecunda ſit primum agens, quia *agere* non eſſet illi à Deo; ſed ſolùm *eſſe & poſſe*; quemadmodum enim illud dicitur ens à ſe, cui eſſe non confertur ab alio, ita & illud dicitur agens à ſe, & primum agens, cuius agere, vt ſic, & inquantùm ab eſſentia, & virtute agendi diſtinguitur, ab alio non impertitur; ſane rationabile prorſus eſt, vt quidquid nobis ineſt quod perfectionis nomine cenſeri poſſit, id Deo adſcribatur; & cùm tria hæc ſint quaſi capita perfectionum quæ in creaturis viſuntur *eſſe, poſſe, & agere*; non tantùm priora duo Deo adſcribenda; ſed & tertium; & ſicut Deus immediatè nobis confert *eſſe & poſſe*, ita etiã immediatè confert *quod agamus*, hoc autem melius explicari non poteſt quàm ſimultaneo, identificato, & immediato Concurſu.

Reſpondetur; Quemadmodum negari non poteſt me eſſe ens ab alio, & per participationem; tametſi à ſolo parente meo ſim genitus, ita negari non poteſt me eſſe agens ab alio, & per participationem, tametſi actio mea à me ſolo immediatè phyſicè producatur, quia ſcilicet ago per virtutem acceptam à Deo, qui non ideo dicitur primum agens quia operetur immediatè omnia; ſed quia omne aliud agens ab eo virtutem agendi participat, ipſe autem à nullo; & quia cætera eo non exiſtente non exiſterent, & nihil prorſus agente non agerent. Itaque agere eſt mihi à Deo quaſi à primo agente; quamuis meum agere, ſeu actio mea realiter non ſit ipſa etiam proxima, & immediata actio Dei; nimirum quia non ago niſi Deo immediatè, & directè volente, aut ſaltem permittente, & virtutem ac propenſionem ad agendum conferente, & conſeruante, & excitante, applicante, præmouente, determinante, iuxta eum ſenſum quem ex D. Thoma retulimus cap. 3. huius quartæ partis: Neque verò ſubordinatio eſſentialis quæ in creatura eſt reſpectu Dei, tam ad actus malos, quàm ad bonos quidquam ampliùs poſtulat; quemadmodum enim Scotus obſeruauit in Reportatis 2. ſentent.

dist.

Digitized by Google

diſt. 37. eſſentialis ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam æquè ſaluatur, & explicatur, ſiue Deus dicatur immediatè concurrere ad actus noſtros, ſiue duntaxat mediatè: & Theophilus Raynaudus in Theologia Naturali diſtinct. 5. quæſt. 1. art. 4. num. 30. 31. 34. & ſeqq. fatetur cauſam ſubordinatam, ex vi ſubordinationis eſſentialis non exigere actualem cooperationem immediatam cauſæ ſubordinantis; ſed cauſas eſſentialiter ſubordinatas vocari dependenter operantes, quia eſſentialiter præſupponunt eam cui eſſentialiter ſubordinantur, non tanquam immediatè, & identificè cooperantem; ſed veluti priùs neceſſariò exiſtentem, & taliter influentem in cauſam eſſentialiter ſubordinatam, vt alia ſimilis cauſa in locum ſubordinantis ſubſtitui non potuerit; quo diſcrimine potiſſimùm diſcernuntur à ſubordinatis accidentaliter; tametſi enim filius à patre virtutem agendi acceperit, tamen fieri potuiſſet Deo volente, vt idem filius ab alio genitore exiſtentiam, & virtutem agendi acciperet.

Septimò; cauſæ ſecundæ non agunt niſi in virtute primæ, ſicut inſtrumēta non agunt niſi per artis directionem: atqui illud in cuius virtute agens agit, eſt cauſa non ſolùm virtutis actiuæ, ſed etiā actus, quod quidem in artifice apparet in cuius virtute inſtrumentum agit, quod ſiue ab artifice propriā formam accipiat, quemadmodum ſerra accipit acumen; ſiue non accipiat, vt ſerra non accipit eſſentiam, & formam ferri, ſeu chalybis; applicatur tamen ab ipſo ad actum: Ergo ſimiliter Deus cauſa nobis eſt non modò voluntatis, ſed etiam volendi; adeò vt ipſe in vnoquoque noſtrum operante immediatè operetur, & congruentius ſit illi quàm nobis opera noſtra attribuere, ſicut artifici euidentiùs attribuitur opus inſtrumenti quàm ipſi inſtrumento; neque enim tam rectè diceretur cultrum fieri à malleo quàm à fabro: Porrò, quòd actio Dei ſit eadem realiter entitas cum actione creaturæ mirum non eſt; idipſum enim cerni ſolet in cauſis ſubordinatis, & in cauſa inſtrumētali comparata ad principalem; ſcilicet vt ab vtraque cauſa cōmuni quaſi operâ idem actus producatur; exemplum eſſe poteſt in habitu, & potentia; in potentia, & anima: in calore, & igne, &c. Simile igitur erit in Deo nobiſcum operante. VIII.

Reſpondetur; Controuerſia eſſe poteſt de creaturis, ſintne, an non

non ſint inſtrumenta Dei, ſed potius cauſæ principales in ſuo genere,& ordine,pendetque id ex definitione cauſæ inſtrumentariæ, quam diuerſi Auctores diuerſimodè ſolent definire: Quicquid ſit, certum eſt Deum tametſi remotè, & mediatè ſolùm concurrentem,eſſe nobis cauſam non modò voluntatis, ſed etiam volendi,(ſi tamen volitio noſtra non ſit mala) ſiquidem actio praua non eſt nobis à Deo niſi valde impropriè,& remotiſſimè; neque verum eſt quod additur,congruentiùs omnem actionem noſtram Deo quàm nobis attribui,cùm *perditio noſtra ex nobis ſit; & tantummodò in Deo auxilium noſtrum* hinc tamen non ſequitur actus noſtros, etiamſi honeſti ſint,produci à Deo influente ad eos cooperatione proxima, & identifica; id enim prorſus inficiamur, non quòd exiſtimemus impoſſibile eſſe generaliter loquendo vt plures cauſæ eandem actionem eliciant; ſed ob eas cauſas quæ toto ferè hoc opuſculo continentur,quibus omnino perſuademur, non eſſe idem exiſtimandum de Deo nobiſcum operante,quod de anima, & potentia, igne & calore:cauſa principali & inſtrumento, quæ dicuntur eâdem numero actione ad effectuum ſuorum productionem concurrere.

IX. Octauò,Nullum indiuiduum conſtituere poteſt aliud in ſimili ſpecie (exempli causâ homo hominem generare non poteſt, neque equus equum)niſi præmotum ab illa cauſa quæ reſpicit totam ſpeciem, totúmque eſſe naturæ inferioris; ſimiliterque nullum agens particulare poteſt quidpiam conſtituere in ratione entis, niſi præuentum,& præmotum ab illa cauſa quæ eſt fons,& origo omnis entis;omnique eſſe ſupereminens:ſed hæc eſt ſolus Deus: Ergo nulla cauſa tametſi integrè,& completè conſtituta in actu primo; atque adeo inſtructa ſuis omnibus viribus,& facultatibus,producere poteſt effectum, niſi præmota, & adiuta à Deo ſimul cum illa cooperante:aliàs enim futurum eſt,vt vniuerſa creaturæ virtus penitus inanis & otioſa remaneat: Tota fere argumentatio eſt Sancti Thomæ de creat. quæſt.3.art.7.Maior autem de qua ſola dubitari poſſet, oſtenditur; quia conſtituere in aliquo ordine illius eſt qui ſuprà ordinem poteſtatem habet;ſicut in ordine militiæ,admittere aliquem in militem,non eſt priuati cuiuſquam militis; ſed tantùm Ducis qui cohorti præeſt.

Reſpondeo

Reſpondeo; fatemur nullum agens particulare poſſe quidpiam conſtituere in numero, & genere entium, niſi præmotum, & adiutum à Deo, ſeu niſi ex mandato, commiſſione, aut ſaltem permiſſione Dei; veruntamen illa Dei præmotio, adiutorium, commiſſio, mandatum, permiſſio, non ſunt Concurſus proximus, identificatus, & ſimultaneus, ſed aliud quidpiam longè diuerſum, ſcilicet Concurſus remotus, & mediatus; addito actu interno Dei volentis vt creatura operari poſſit, quem actum putamus eſſe conditionem omnino neceſſariam vt creatura operetur, quemadmodum multi exiſtimant potentias inferiores in quibuſdam operationibus ſuis pendere à conſenſu & imperio voluntatis, abſque eo quòd voluntas concurrat ad eos actus Concurſu proximo, & identificato; ſed quia, inquiunt, actus voluntatis ob ſubordinationem potentiarum eſt conditio neceſſaria, ſine qua prædictæ inferiores potentiæ actus illos operari non poſſunt.

Nonò ſic argumentātur: Solent Patres, ac Theologi communiter intimam Dei præſentiam in creaturis colligere ex operationibus quas in illis exercet; maximè verò ex immediato influxu conſeruatiuo, & cooperatiuo, ſic enim *Actorum* 17. dicitur, *Non longè abeſt ab vnoquoque noſtrûm, in ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus.* X.

Reſpondeo; fatemur Deum operari aliquid in qualibet parte loci realis; vnde Patres & Theologi colligere potuerunt intimam Dei præſentiam in rebus; vbique enim aliquid conſeruat, ſcilicet vel materiam primam, & fortè etiam ipſas elementorum, mixtorúmque formas, vel Angelos, aut animas rationales &c. Sed negamus intimam Dei præſentiam verè inferri ex proxima, identificata, & immediata Dei nobiſcum operatione ad actus omnes noſtros, bonos, ac malos, quandoquidem falſum eſt eum ſic operari nobiſcum ad omnes actus: Quòd ſi aliqui Philoſophi ac Theologi qui contrariæ adhæſerunt opinioni inde id concluſerunt, mirum non eſt; ſiquidem contingit inferri verum, tum ex vero, tum ex falſo; vt ſi quis dicat, Petrus eſt equus; ergo eſt animal: ibi enim vèrum conſequens per legitimam conſequentiam infertur ex falſiſſimo antecedente.

Decimò; omnis cauſa naturalis eſt cœca in ſuis operationibus: XI.
Igitur operationes eius dirigi, & gubernari debent aliquo ſuperio-



Digitized by Google

re Concurſu Dei immediatè cooperantis; neque enim ſatis eſſet cauſas mediatè gubernari per aliquam cauſam naturalem, quia cùm illa ſit etiam cœca, non minùs erit expoſita erroribus, & inordinatis operationibus, quàm alia quæcunque cauſa naturalis; Confirmatur, Quia Machabæorum mater lib. 2. cap. 7. hâc ipsâ ratione ſuæ circa filiorum productionem ignorantiæ, probat Deum fuiſſe præcipuum auctorem illius, dicens, *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, nec enim ſpiritum, & animam donaui vobis & vitam; & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſedenim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem &c.*

Et rurſus confirmatur; quia nec homines rationis compotes ſciunt, vel aduertunt, quos muſculos contrahere debeant, quos laxare, dum oculos in vnam aut alteram partem conuertunt; & quādo ſpiritum ducunt, aut voces emittunt, dormientes, aut vigilantes, ignorant quibus inſtrumentis corporis vtantur, & quomodo; denique ſi fortè ſciunt aliqui cuius ſpeciei operationes per intellectum, aut voluntatem concipiant; nemo tamen ſcit cuius differentiæ numericæ fururum ſit indiuiduum imminentis, aut præſentis volitionis, & intellectionis ſuæ; Angeli autem tametſi fortè iſtas differentias numericas actuum noſtrorum non ignorent, non poſſunt tamen intimè, & immediatè dirigere operationes cauſarum naturalium, ſed tantùm extrinſecè iuuare: Igitur ad hæc omnia intimè, & immediatè dirigenda requiritur intimus & immediatus Concurſus Dei, ita Ruiz de prouidentia Dei diſput. 5. ſect. 11.

Reſpondetur; facile fuit Deo tribuere nobis agendi virtutem, tametſi nos neque perſpectam habeamus ſpeciem, ac differētiam numericam actus noſtri; neque Deus operetur nobiſcum operatione proximâ, immediatâ, identificatâ, & ſimultaneâ; neque verò Machabæorum mater in auctoritate illa, inſtante filiorum morte ſollicita erat de reali diſtinctione, aut indiſtinctione Concurſus Dei à propria ſuipſius actione; aut de cooperatione Dei proxima, vel ſolùm remota; ſed filios ſuos ad debitam diuino numini reuerentiam, dilectionémque hortabatur, ex eo quòd Deus omnium noſtrûm ſit amantiſſimus pater, ac conditor; ob conceſſam genitoribus carnis noſtræ mirabilem, illam, ac propè diuinam vim formatricem,

matricem; ſiue ipſe concurrat immediatè, ſiue duntaxat mediatè Concurſu realiter diſtincto, aut indiſtincto, quod perinde eſt ad nos erga Deum benè afficiendos, atque humillimâ gratitudine obſtringendos; aut fortè ipſa per quandam exaggerationem dicebat ſe neſcire qualiter viri adeò excellentes, ac generoſi ab ea generari, atque in lucem edi potuerint; aut ſignificare volebat ſe à ſeipſa prolem illam ſuauiſſimam non habuiſſe, ſed à Deo omnipotente accepiſſe.

---

# CAPVT XVIII.

## *In quo diluuntur duo alia ex præcipuis argumentis Aſſertorum Concurſus proximi, & identificati.*

I. CONtra ſententiam admittentem Concurſum Dei duntaxat mediatum inſurgunt Aduerſarij Vndecimò, quia niſi admittatur Concurſus ſimultaneus, & identificatus cum actione creaturæ, vix poterit explicari qualiter actio cauſæ ſecundæ determinetur ad indiuiduum, & ſingularitatem; eo autem admiſſo commodiſſimè explicatur: Cùm enim quælibet cauſa ſecunda, tametſi inſtructa omnibus ſuis facultatibus, & conſiderata cum omnibus circunſtantiis antecedenter ad agendum requiſitis, & applicata paſſo ritè diſpoſito; adhuc tamen indifferens ſit ad actiones, & ad effectus ſyncategorematicè infinitos, ſcilicet ad illos omnes qui in ipſius, & ſubiecti potentia continentur, non quidem collectiuè, (neque enim poteſt ſimul omnes illos elicere, nec plures, nec duos) ſed diuiſiuè, ſeu diſiunctiuè, vt aiunt, producendos; adeò quidem vt æquè connaturaliter operari poſſit vnum atque alterum: Cúmque Dei Optimi Maximi tanquam naturæ auctoris partes ſint cauſarum ſecundarum defectus ſupplere, earúmque perplexitati ſuccurrere; facilè eſt illi deligere quem ſingularem Concurſum velit expromere ex innumeris ſimilibus quos omnes habet

 probè

probè perſpectos; Et quia Concurſus Dei actualis realiter identificatur cum Concurſu creaturæ; hoc ipſo quòd ſtatuit nunc in hoc momento profundi à ſe hunc numero Concurſum, non alium vllum numero duntaxat diuerſum; ſtatuit quoque vt idemmet vnicus Concurſus à cauſa ſecunda expromatur; Neque verendum eſt vt cauſa ſecunda alium numero actum eliciat quàm qui à Dei voluntate decretus eſt; ſic enim cauſa ſecunda omnino determinata eſt ad ſingularitatem actionis; atque adeò effectus qui per illam producitur, determinatur vt ſit hic numero, & non alter: Neque ſecundò metuendum eſt libertati creaturæ, quia determinatio Dei vt hæc numerica, & ſingularis actio potiùs quàm alia vlla à ſeipſo, & ſimul à voluntate creata promanet; ſupponit præcognitam cauſæ ſecundæ determinationem, tum quoad ſpeciem, tum quoad exercitium; atque ita cùm libertas quoad ſpeciem actus ſit ſalua, maneátque libertas etiam quoad actus exercitium, nihil deſideratur ad integram libertatis incolumitatem; cùm libertas, vt fatentur omnes, adæquatè compleatur per duo illa membra, nempe per libertatem quoad ſpeciem, & quoad exercitium actus: Porrò, ſicut eſt omnino impertinens ad proſecutionem, vel fugam obiecti voliti, vel noliti, quòd ea proſecutio, vel fuga, ſit hic, aut ille actus numericus, cùm quilibet ſimilis actus præſtet eodem modo effectum illum formalem ad quem vnus quilibet intra eandem ſpeciem producitur: Ita impertinens eſt ad libertatem, quòd cauſa ſecunda libera, hoc, vel illo numerico actu amet obiectum, vel oderit: ipſa autem per ſeipſam non poterat eligere quem numero actum ex innumeris eiuſdem ſpeciei, & intenſionis à ſe productibilibus eſſet volitura, quia differentiæ ſingulares, & numericæ erãt illi prorſus incognitæ, voluntas autem ferri non poteſt in incognitum: ergo debuit ad ſingularitatem actus determinari à Deo volente hunc producere, non alium: Et ecce quomodo creatæ voluntates ſaluo earum iure determinantur à Deo quoad ſingularitatem actionum; tametſi enim liberæ ſint quoad exercitium, & intenſionem actus, atque etiam quoad ſpeciem; non ſunt tamen quoad indiuiduum: At verò repudiato Concurſu ſimultaneo, & identificato, huiuſmodi determinatio quoad indiuiduum explicari non poteſt.

Reſpon

Reſpondetur ; tametſi ſequendo communem ſententiam de Concurſu Dei identificato, immediato, & ſimultaneo ad omnes actus noſtros liberos, bonos, ac malos ; nullus adferatur ab Auctoribus illius opinionis melior, quantùm ad apparentiam, modus conciliandi libertatem noſtram cùm illa determinatione indiuiduæ actionis à Deo profecta ; quàm ſi dicatur Deum vbi iam cognouit per Scientiam Mediam noſtram voluntatem exercituram, ſeu ſe determinaturam eſſe ad exercendum actum talis ſpeciei, tantæque intenſionis, &c. ſi per poſſibile, aut impoſſibile operaretur ſola ; decernere vt ſit iſte numero actus ex pluribus eiuſdem ſpeciei quos humana voluntas exercere poteſt ; nec ante determinare vt ſit hic, & non alius, quàm videat prædictam determinationem voluntatis, tum ad ſpeciem actus, tum ad alia omnia quæ poſſunt eſſe communia pluribus indiuiduis ; alioquin niſi id dicatur, vix poſſibile eſt vt explicent quomodo Deus in facienda illa determinatione habeat reſpectum ad noſtram libertatem, vt ea inde non lædatur. II.

Nihilominus tamen id non benè dicitur, neque ſufficere poteſt ad ſaluandam libertatem noſtram ; quod ſic probari poteſt. Primò : Quia Deus non priùs cognoſcit futurum vt actus alicuius ſpeciei exerceatur, quàm videat rationem ſingularem, & numericam ipſius ; cùm non priùs realiter, ſed tantùm ſecundùm conceptus inadæquatos, & imperfectos exiſtat ratio generica, quàm ſpecifica ; & ſpecifica, quàm indiuidualis ; imò nec quicquam inter hæc Deus diſtinguat, vt non eſt inter ipſa diſtinctio à parte rei ; ſi quidem gradus metaphyſici non niſi ratione diſtinguuntur ab inuicem : Igitur fieri non poteſt, vt verum ſit Deum determinare voluntatem noſtram ad hunc numero actum exercendum ; ſed ne libertatem eius lædat, ipſum id non facere, niſi vbi, & poſtquàm cognouit voluntatem iam determinatam eſſe ad exercitium eiuſdem conſiderati in ſpecie ; eúmque hoc modo ſpectatum exercituram. III.

Secundò ; cúm iuxta Aduerſariorum ſententiam non minus repugnet rem eſſe in ſpecie aliqua, quæ non ſit ſimul indiuidua, & econtrariò ; quàm repugnet effectũ procedere à cauſa ſecũda, & nõ

à Deo ſimul: ſanè ſicut repugnantiam habet, iuxta illam opinionem, iſta locutio: *Deum præuiſo quòd effectus proceſſurus eſſet à cauſa ſecunda, formare decretum de concurrendo cum illa, & de eodem illo effectu ſimul cum ipſa producendo*, vt latè oſtendimus dum argueremus modum quo Moderni vti ſolent in explicanda Scientia Media: ſic contradictionem inuoluit hæc, *Deum præuiſo quòd creata voluntas actum talem in ſpecie exercitura erat, determinare indiuiduam illius actus rationem*; id quod ego exiſtimo eſſe omnino impoſſibile: proptereàque re profundius inſpectâ dicendum videtur, ſtante identitate Concurſus diuini, & noſtri non poſſe ſic ſaluari libertatem noſtram; nimirum ſi & Deus nobiſcum immediatè operatur, & indiuiduationem actionis noſtræ electione, ac voluntate ſuâ determinat; quia quamuis Deus præuidere poſſet hominem producturum fuiſſe illam numero, & ſpecie actionem, ſi operaretur ſolus: tamen ex eo quòd illa actio futura ſub conditione quæ non implebitur, debebat eſſe libera reſpectu hominis; non ſequitur quòd etiam hæc alia numero, & ſpecie diuerſa, reſpectu eiuſdem hominis poſſit eſſe libera; ſi Deus illam determinet, & ad illam præmoueat; Nam ex eo quòd libertas futura erat in illa altera actione quæ de facto non producetur; non ſequitur quòd ſit in iſta quæ fit loco alterius; & quæ ab illa altera, ſpecie, & numero diſtinguitur, quemadmodum ſuprà iam diximus cap. 11. ſecundæ partis.

IV. Sed rogas quomodo igitur actio noſtra determinatur ad rationem indiuiduam, & ſingularem? Reſponderi poteſt ex Fonſeca, Moncæo, Vaſquezio, Baranzano, Raconiſio, Suareſio (quanquam hic poſtremus ſententiam quam de hac re in tertia parte docuerat, poſtea in metaphyſica retractauit) reſponderi, inquam, poteſt; probabiliùs illud omne referendum eſſe ad naturam ipſiuſmet agentis ita vt, ex ſe, & ex ſuis conditionibus indiuiduantibus; aut ſaltem ex aliquo principio intrinſeco, hoc eſt, ſibi inhærente id habeat, vt ex iis actionibus omnino ſimilibus, eiuſdemque ſpeciei quas exercere poteſt; potiùs in hanc prorumpat quàm in aliam, ſiue ſimpliciter, ſiue ſaltem circa hanc numero materiam, vel obiectum; ſi ſermo ſit de actionibus vitalibus quæ in obiectum aliquod tendunt.

Probatur; Quia non eſt recurrendum ad cauſam primam, quando id de quo eſt controuerſia ſaluari poteſt per ſecundam: At per cauſam

Digitized by Google

cauſam ſecundam ſaluari poteſt determinatio effectus ad indiuiduationem: Probo Minorem; Quia hoc numero agens, cum his numero circunſtantiis intrinſecis, & extrinſecis exigit hanc numero actionem, & hunc numero effectum; quemadmodum exigit determinatam actus ſpeciem; neque videtur quòd ſit nimia perfectio creaturæ vt ſeipſam determinare poſſit ad hunc numero effectum; ſi non eſt nimia perfectio determinare ſe ad hanc ſpeciem, præſertim cùm in eodem effectu, vel actione, indiuiduatio, & ſpecificatio non ſint duæ diſtinctæ entitates, ſed vnica.

Probatur ſecundò; Quia ſi determinatio effectus, & actionis creaturæ quoad indiuiduum, & ſingularitatem eſſet merè arbitraria,& voluntaria reſpectu Dei; ſequeretur creaturam non magis ex ſua parte poſtulare hunc quàm illum effectum intra eandem ſpeciem; ſed eſſe indifferentem ad quemlibet: ex quo rurſum ſequeretur Deum poſſe reproducere eandem numero actionem, & effectum iam præteritum quotieſcunque voluerit abſque miraculo; & abſque eo quòd vlla vis creaturis inferatur; cuius tamen contrarium Philoſophi ac Theologi omnes docent: Probatur ſequela; quia neque ex parte cauſæ producentis; neque ex parte effectus producendi apparet ratio,cur iſte potius quàm alius producatur; Cùm neque effectus ante ſuam ipſius productionem ius vllum habere poſſit ad exiſtendum;ſeu ad hoc vt producatur; neque cauſa ſecunda,per ſe,exigat hunc effectum potiùs quàm illum;ſed omnia diuinæ electioni ſint commiſſa. Atqui certum eſt Deum non poſſe reproducere eandem numero actionem, & effectum abſque miraculo, ergo indiuiduatio actionum & effectuum non determinatur à ſola voluntate Diuina, ſed pendet ex natura ipſa,& conditione cauſatum.

Neque verò dicas, Deum niſi diſtinctos effectus ordinatè produceret, facturum contra ordinem quem ab initio ſtatuit, ac proinde futurum eſſe miraculum: Cõtra enim hoc eſt,quia iam inde ab æterno quando decretum fecit creatos effectus per ordinem producendi, quidpiam ſtatuit naturis rerum conſentaneum: Igitur hæ,& illæ creaturæ omnino requirebant,vt ſi agere ſinerentur, hos & illos effectus determinatos, & non alios quoſlibet indiſcriminatim producerent: Et Confirmatur, quia in effectis quorum pro-

ductionem ſoli Deo adſcribimus,exempli causâ, in productione Angelorum, vel animarum rationalium,nullum certum exigimus ordinem, ſed facilè intelligimus Deum abſque vllo miraculo potuiſſe,vel hunc,vel illum Angelum,aut animam rationalem primò producere, ac deinde alium pro ſua voluntate; verùm in iis quæ à creatura producuntur res ſe habet aliter; & certus quidam, determinatúſque ordo ſeruari debet.

Cæterùm,quòd huiuſmodi agens ita ordinatè reſpiciat actiones ſuas,& effectus, vt exordium ſit ab vno ſumendum; & eo iam producto,ab alio itidem determinatè, & ſic deinceps, nihil præiudicat libertati noſtræ;quia hinc non efficitur vt voluntas noſtra nequeat exercere actum contrariæ ſpeciei;neque vt non poſſit abſtinere ab iſto actu ſingulari, ſiquidem poteſt ab illo ſe cohibere; licet ſi quem de numero eorum qui certo ordine in potentiâ voluntatis noſtræ continentur, eiuſdémque inter ſe rationis ſunt, exercitura eſt;hunc determinatè productura ſit, & non alium vllum;at contra planè res ſe habere videretur, ſi determinatio ad hunc numero actum eſſet à Diuina voluntate, & Concurſu immediato illius, quandoquidem eâ Diuinâ voluntate poſitâ non poſſet ille actus non eſſe, ea autem poneretur vt aliquid antecedens abſolutum vſum noſtræ libertatis,ſcilicet priuſquam voluntas noſtra ſuam libertatem vllo modo exercuiſſet; tametſi fingatur quòd eam ſub conditione fuiſſet exercitura; tunc autem læditur libertas,quando aliquid independens ab vſu abſoluto noſtræ libertatis in nobis ponitur, quo poſito voluntas noſtra non poſſit ad libitum actionem ſi velit ſuſpendere, aut oppoſitam exercere.

Neque verò inde ſequitur vim cuiuſlibet cauſæ creatæ infinitam eſſe; quippe quæ reſpiciat infinitos actus ad quos eſt indifferens, & potens: Reſpondetur enim in quolibet luminoſo vim eſſe ad producenda infinita lumina, etiam eodem omnino tempore cùm non poſſint tot corpora diaphana intra actiuitatis eius ſphæram poni,quin ea illuminare valeat, & ſi infinita penetratiuè ponerentur,omnia de facto illuminaret, ex quo tamen non ſequitur vim eius ad illuminandum eſſe infinitam, niſi ad ſummum genere quodam infinitatis improprio,& minimè repugnante,ſcilicet quia

quia non poteſt lumen in infinitum intenſius producere, nec illud ad ſpatium quantumlibet remotum immittere; ita ergo à ſimili non repugnat vt cauſa ſecunda naturâ ſuâ poſtulet virtutem productiuam actionum ſyncategorematicè infinitarum.

Reſponderi poſſet ſecundò; Deum determinare cauſam ſecundam ad ſingularitatem actionis immiſſione alicuius habitus, aut actus primi, qui potentiam ex ſe indifferentem reſpectu plurium actionum ſimilium, ad vnicam ex illis quaſi coarctaret, iſte autem habitus, ſeu actus primus ſubderetur voluntati; nec vllam vim haberet niſi ad nutum voluntatis; éſtque ſatis per ſe credibile, quòd ſicut Deus immittit in voluntates noſtras habitus inclinantes eas ad certam ſpeciem actus, ita poſſit alios immittere determinantes ad actum aliquem ſingularem & indiuiduum. V.

Vel tertiò Reſponderi poſſet cum P. Arriaga, qui etiam fatetur argumentum iſtud ex indiuiduatione petitum nullam omnino vim habere: Reſponderi inquam poſſet, quòd quemadmodum creatura dependere poteſt à permiſſione Dei tanquam à conditione neceſſaria vt operetur, tametſi Deus immediatè non concurrat; ita poteſt etiam quoad indiuiduationem dependere ab eo, quòd permittat hoc potiùs indiuiduum quàm aliud.

Duodecimò ſic arguunt; Admiſſo Concurſu ſimultaneo, & identificato facilè intelligitur qualiter Deus intellectui, & voluntati noſtræ immittere poſſit actus ſupernaturales; maximè autem eos quos exercemus nullâ præuiâ formâ ſupernaturali nobis inhærente, per quam illis proportionati reddamur; vt cùm quis primò conteritur, vel atteritur contritione, vel attritione ſupernaturali, & diuinâ, qualem ad remiſſionem peccatorum præuiam eſſe oportet: Cùm enim illa opera ſuperent vires noſtras, neceſſe eſt nos à ſuperiori agente ad ea applicari tanquam inſtrumenta; ſeu veriùs, neceſſe eſt Deum illa efficere vnà cum potentiis noſtris, cooperando quodam Concurſu minimè debito, nec connaturali; ſed ſuperante naturalem potentiarum virtutem, & exigentiam; alioqui ſi actio à potentiis noſtris nudis, & ſolâ virtute naturali præditis eliciatur, nullo ad eam influente principio ſupernaturali, ipſa euadet naturalis: At ſi Deus quatenus Auctor gratiæ, & ordinis ſupernaturalis, concurrere nobiſcum voluerit Concurſu no- VI.



Digitized by Google

ſtris viribus naturalibus improportionato, & ſuperiore; actio quæ eadem erit noſtra, & Dei, euadet præſtantiſſima, & ſupernaturalis: Ecce qualiter admiſſo Concurſu proximo, & identificato, ſupernaturalitas actuum noſtrorum quoad ſubſtantiam facilè explicatur; quæ eo denegato explicari non poteſt.

VII. Reſpondeo; vt actio noſtra euadat ſupernaturalis, non eſt opus immediato, & identificato influxu Dei ſupernaturali; ſed euadet ſupernaturalis ex influxu alicuius habitus, aut qualitatis, ſeu comprincipij effectiui ſupernaturalis à Deo nobis immiſſi: Nam & nũc habitus Charitatis cum voluntate noſtra concurrens actum elicit ſupernaturalem: vt enim actus noſter euadat ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſufficit illum elici ab aliquo principio effectiuo ſupernaturali, ſiue illud ſit prima cauſa, ſiue ſecunda. Dixi *ſiue ſit cauſa prima*, quia Deus modò agit vt naturæ auctor, modò vt auctor gratiæ, ſeu ordinis ſupernaturalis.

Porrò, quicunque excitatur à Deo ad conuerſionem, aut actum ſupernaturalem, accipit ab eo qualitatem illam ſupernaturalem, ad hoc vt contritio, aut quicunque alius actus bonus ad quem prouocatur, poſſit fieri ſupernaturalis, quia tamen præter actus ſubitos, & indeliberatos voluntas noſtra debet elicere alios actus ſupernaturales liberos, ac meritorios, qualitas iſta humanæ ſubiicitur voluntati, quam proinde relinquit indifferentem, & liberrimam; quo fit vt ſæpenumerò præſente iſtâ qualitate, voluntas tamen noſtra nullum actum ſupernaturalem liberum eliciat, ſed diuinæ excitationi reſiſtat.

VIII. Quòd ſi quis obiiciat ſupereſſe difficultatem, An qualitates ſupernaturales in intellectu, & voluntate receptæ, vt ſint comprincipia ad ſupernaturaliter operandum; dentur nobis à Deo conſultis voluntatibus noſtris, an potiùs inconſultis, & an prædeterminent, necne potentias noſtras.

Reſpondendum videtur; eos qui iam habent habitus ſupernaturales infuſos, tam in intellectu, quàm in voluntate, cùm habeant comprincipium ſupernaturale effectiuum, & conſequenter potentiam completam ad ſupernaturaliter operandum, non indigere iſtâ qualitate fluente ſupernaturali: At verò qui nondum habent infuſos habitus; ſtatim eodem inſtante, quo vocantur à Deo ad

gratiam

gratiam iuſtificationis, qualitatem iſtam fluentem accipiunt ad hoc vt primi eorum actus euadere poſſint ſupernaturales; habeántque proportionem cum gratia iuſtificante; hoc eſt, vt ſint ſicut oportet eos eſſe vt iuſtificationis gratia conſequatur.

Et quidem iſta qualitas datur inconſultis voluntatibus noſtris; nimirum, quia datur vt primi actus vitales quibus Deus tangit cor hominis euadant ſupernaturales; Vnde fit, vt quia ipſi actus ad quorum productionem iſta qualitas ordinatur, ſunt indeliberati, præcedúntque liberum voluntatis noſtræ conſenſum; ipſa etiam qualitas, quæ eſt partiale principiũ huiuſmodi actuum, immittatur XI
nobis à Deo independenter à conſenſu libero noſtræ voluntatis.

Et rurſum; quia iſti actus primi ad quorum productionem qualitas iſta fluens immittitur, non ſunt nobis liberi, ſed indeliberati ac neceſſarij; nullum ex hoc capite eſſet inconueniens tametſi diceremus intellectum, ac voluntatem ad eos prædeterminari ab iſta qualitate fluente, tamen dùm facilè appareant aliæ cauſæ propter quas actus iſti ſunt neceſſarij; verius exiſtimamus huiuſmodi qualitatem non dari ad determinandum intellectum, & voluntatem ad infallibiliter operandum, ſed ſolùm ad iuuandas, roborandáſque illas potentias, vt producant actus ſupernaturales quos alioqui non producerent, ſed duntaxat naturales, præſertim cùm eadem qualitas quæ adiuuit voluntatem ad producendum actum ſubitum, & indeliberatum, eandem adiuuare debeat ad producendum actum liberum conſenſus, quo vltimò peccator ad iuſtificationem diſponitur; qui ſanè actus cùm debeat eſſe liber, & plerunque ſit meritorius, ſi non iuſtificationis primæ, ſaltem augmenti eius, iuxta communem ſatis ſententiam; neceſſe eſt qualitatem iſtam, quæ ad huiuſmodi actum effectiuè concurrit, humanæ ſubiici voluntati; eámque minimè prædeterminare ad vnum, ſed relinquere indifferentem; ad eum ferè modum quo habitus infuſus Charitatis ſubiicitur humanæ voluntati, ſolúmque ad hoc eam determinat, vt præſente & influente Charitate, voluntas operari non poſſit circa obiectum ipſius charitatis, quin actus ad quem ipſa influit euadat ſupernaturalis.

Cæterùm, Deo tangente cor hominis eo modo quo explicuimus, voluntas ampliùs illuceſcente rationis iudicio, vel liberè con-

ſentit inſpirationi diuinæ, ac conuertitur: & tunc accipit habitus ſupernaturales infuſos, quibus inſtructa non videtur indigere ampliùs qualitate illâ fluente, cuius munus erat vt eſſet principium effectiuum ſupernaturale; quo quidem munere deinceps habitus ſupernaturalis fungitur: vel abiicit vocationem reſiſtendo, & diuertendo animum ad alia; & tunc ceſſante illo actu vitali in quo conſiſtebat gratia excitans, ipſa etiam qualitas fluens euaneſcit, eò quòd non poſtulet conſeruari ſicut habitus, ſed ſolùm durãte actu vitali ad cuius productionem ordinabatur.

IX. Quòd ſi alicui placuerit ſententia Molinæ exiſtimantis cognitionem intellectus effectiuè concurrere ad actum voluntatis; nullâ erit opus qualitate fluente in voluntate receptâ, quia vt producatur motus ſubitus ſupernaturalis in voluntate; ſufficiet cognitio intellectus præuia, quam tamen oportebit fuiſſe ſupernaturalem; & conſequenter habuiſſe principium aliquod effectiuum ſupernaturale; nimirum, vel Deum ipſum immediatè, & proximè concurrentem, quod fieri poſſe admiſimus, eo quòd actus ex vna parte ſit honeſtus, ex altera autem non ſit liber, ſed neceſſarius, vel qualitatem fluentem ſupernaturalem, de qua hactenus: Vel ſi non placuerit eiuſmodi qualitatem admittere, viderint quibus ea non arriſerit, An fortè inclinare maluerint in eorum ſententiam, qui dicunt intellectum, ac voluntatem noſtram eleuari poſſe per ſolum imperium diuinum ad primos iſtos, & quoſcunque alios actus ſupernaturales producendos; Deo non concurrente ad eos immediatè; neque habitu vllo, aut qualitate; vel alio principio ſupernaturali, ob potentiam obedientialem actiuam, quæ in qualibet creatura eſt ad quamlibet operationem ad Dei nutum producendam.

Cætera prætereo quæ de huiuſmodi qualitate fluente poſſunt inquiri; vt exempli cauſâ, An ſit vna, eadémque ſpecie, ac numero in intellectu, & voluntate; an verò diuerſæ in diuerſis potentiis; An quemadmodum habitus fidei, cùm ſit vnicus in vnico homine, concurrit tamen ad actus fidei diuerſos circa obiecta materialia diuerſiſſima; ita etiam vnica qualitas fluens ſufficere poſſit ad quoſcunque actus ſupernaturales, tametſi diuerſarum ſint ſpecierum; An verò idem dicendum ſit de ea quoad hoc, quod dici ſolet de habitibus acquiſitis ſcientiarum, qui variis partibus cõſtant;

quarum

Digitized by Google

quarum aliæ verſantur circa vnam concluſionem, & aliæ circa aliam; ea enim quæ hactenus dixi ſufficere videntur vt concludam, quòd cùm diuina cooperatio proxima ſiue prædeterminans, ſiue ſimultanea, ob ſupernaturalitatem actuum non ſit neceſſaria: ſed potiſſimùm introducta fuerit ab eiuſdem Aſſertoribus propter eſſentialem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam, atque ob indeterminationem voluntatis, & ob Dominium Dei in actus noſtros; cúmque euidenter oſtendi poſſit eam ob nullam ex dictis rationibus eſſe neceſſariam; ſed potius in pleríſque actibus noſtris eſſe impoſſibilem, & ſtante illâ ſententiâ plurimas difficultates eſſe inſolubiles quæ in noſtra facillimè explicantur; ſequitur noſtram ſententiam in Scholas Theologorum, vnde quorundam iniuriâ immeritò exulauerat, eſſe reuocandam; quod ipſum luculentiùs adhuc apparebit ex ſolutione argumentorum quæ duobus capitibus ſequentibus ſuperſunt proponenda.

Sed rogas; Vtrùm in noſtra ſententia dicendum ſit actus iſtos ſupernaturales ſubitos produci à Deo immediatè, ſi non propter ſupernaturalitatem eorum, at ſaltem ex alio quopiam capite, ſeu propter aliquam aliam rationem; An verò tantum remotè? Reſpondeo, quandoquidem iſti actus ſunt ſupernaturales, ac honeſti, de obiecto bono, ac licito, non repugnat ex parte Diuinæ ſanctitatis quòd Deus coniungat ſe nobis ad eos efficiendos Concurſu proximo, & identificato; Neque id ſimiliter repugnat ex parte noſtræ libertatis, quandoquidem ipſi non debent eſſe actus liberi; ſed indeliberati, ac ſubiti, vtpote in quibus potiſſimùm gratia actualis conſiſtit, & per quos humanum cor tangitur, excitatur, ac præuenitur: Tamen nihil etiam neceſſe eſt eos produci à Deo Concurſu proximo, & identificato; quandoquidem ad eorum productionem potentiæ noſtræ ſufficienter excitantur occurſu obiecti, vel actione phantaſiæ, aut aliis modis; roborantúrque infuſione qualitatis ſeu comprincipij ſupernaturalis, ſine quo producere non poſſemus actus Supernaturalis, ſed alios inferioris gradus qui proportionem haberent cum naturali virtute agendi potentiarum. X.



Digitized by Google

# CAPVT XIX.

## *In quo refelluntur aliæ quædam rationes adferri ſolitæ contra noſtram ſententiam.*

I. DEcimo tertiò argumentantur Aduerſarij in hunc modum: Communis ferè plurimorum Theologorum ſententia eſt, in omni creatura dari potentiam obedientialem actiuam, per quam eleuari poſſit à Deo ad operandum quidlibet non implicans contradictionem: atqui non poteſt id melius explicari, quàm ſi dicamus eam eſſe in quouis ente creato ſubordinationem ad Deum, vt eo principaliter agente & mouente, creatura quidlibet ſimul cum eo operari poſſit, Deo illam ad conſortium eiuſdem ſecum operationis quantumuis miraculoſæ aſſumente, & eleuante: hoc autem explicari & defendi non poteſt ab impugnatoribus ſimultanei, & identificati Concurſus.

Reſpondeo: non negamus poſſibile eſſe Deum concurrere immediato, & identificato influxu cum creaturis ad quaſdam earum actiones, ſiue illæ per potentiam naturalem, ſiue per obedientialem cõcurrant, ſed aſſerimus impoſſibile eſſe vt Deus ad quaſdam alias actiones immediatâ, & identificatâ operatione concurrat, nimirum ad intrinſecè malas, & ad eas quibus noſtra libertas exercetur, ob rationes quas ſuprà per varia capita adduximus: Quòd ſi aliquando contingeret illum aſſumere, & eleuare voluntatem noſtram, aut etiam actum noſtrum volendi ad productionem, exempli causâ, Angeli, vel lapidis per potentiam obedientialem actiuam, de qua ſola poteſt eſſe quæſtio, quod fieri poſſe admittimus: Tunc dicimus in eo caſu abripi voluntatem noſtram, & neceſſitari ad agendum, proptereáque argumentum contra nos nihil concludere, qui fatemur Deum poſſe nobiſcum identicè concurrere ad actus noſtros, qui neque ſint liberi, neque praui.

II. Dices; poſſet contingere vt Deus tunc reuelaret mihi ſe eleuare, & aſſu

& aſſumere volitionem meam ad miraculoſam iſtius Angeli, vel lapidis productionem; & tunc voluntas mea poſſet de huiuſmodi eleuatione gaudere; & liberam complacentiam habere: Ergo tunc illa productio Angeli eſſet mihi voluntaria, & libera: Ergo fieri poteſt vt aliquis actus idem numero ſimul à Deo, & à mea voluntate procedat, qui ſit vtrique noſtrûm liber, ac voluntarius.

Reſpondeo; in eo caſu eſſent duæ actiones; quarum vna eſſet libera, altera, neceſſaria; vna à Deo ſimul & à creata voluntate procederet, altera procederet à ſola creatura immediatè: Nam productio Angeli ad quam Deus miraculosè me eleuaret, eſſet eadē numero actio Dei, & mea; ſed Deo libera; mihi neceſſaria; & quidem ipſa eadem actio eſſe poſſet volita à me per modum obiecti cuiuſdam iucundi, & delectabilis; ſed tamen non eſſet libera reſpectu mei, neque etiam immanens, nec vitalis: aliter dici poſſet, eſſet obiectiuè volita, ſed non elicitiuè; At verò ille alter actus gaudij, & complacentiæ erga dignationem illam diuinam; ſicut eſſet actus quidam reflexus vitalis, & immanens; poſſet etiam mihi eſſe liber, ac voluntarius; ſed Deus ad illum minimè cooperaretur Concurſu identificato, & ſimultaneo, Aliud exemplum eſſe poteſt in Sacerdote qui peccaret mortaliter conſecrando corpus Chriſti ob prauum finem, aut in ſtatu peccati mortalis: ibi enim duæ interueniunt actiones, ſcilicet voluntas conſecrandi non obſtante peccati mortalis conſcientiâ, quæ eſt actus illicitus à ſolo homine profectus, & non etiam à Deo immediatè, & ipſa tranſſubſtantiatio, ſeu conſecratio, quæ proximè & immediatè fit tum à Deo, tum etiam à creatura, iuxta probabilem ſententiam eorum qui exiſtimant Sacramenta concurrere effectiuè phyſicè, & non tantùm moraliter ad effectus ſupernaturales: volitio conſecrandi, eſt actus liber, & prauus moraliter; ſicut & prolatio verborum ſacramentalium quibus conſecratio ipſa perficitur: At ipſa conuerſio panis in corpus Chriſti, quæ eſt effectus quidam miraculoſus, & ſupernaturalis: non pendet ampliùs à mea voluntate, quippe quæ non poteſt impedire ne ſequatur tranſſubſtantiatio poſitis omnibus illius cauſis, vnde neque eſt etiam in ſe peccatum

Et ſic patet argumentum in obiectione propoſitum nihil nobis nocere, quia facilè explicamus quomodo creatura eleuetur à Deo

ad

ad actus improportionatos, & ſuperantes virtutem illius naturalem, nam primò, cùm huiuſmodi actus ſemper ſint honeſti; (neque enim Deus poteſt miraculosè nos adiuuare ad peccata committenda) Cúmque vt plurimùm ſint indeliberati & neceſſarij; non repugnat ex parte Diuinæ ſanctitatis, aut humanæ libertatis quin producantur à Deo nobiſcum immediatè, & identificè concurrente: Secundò, poteſt Deus entitati naturali creaturæ ſuperaddere qualitatem ſupernaturalem, quâ roboretur, & eleuetur ad producendum miraculosè quemlibet effectum, modò aliqua ſpecialis ratio impoſſibilitatis non obſtet. Tertiò, dici poteſt creaturam eleuari per extrinſecam Dei voluntatem, & imperium nullâ ſuperadditâ entitate creatâ ad quidlibet producendum, modo nullâ ſpeciali contradictione implicetur: Ad eum ferè modum quo multi dicunt voluntatem Dei extrinſecam, ſeu permiſſionem eius eſſe conditionem neceſſariam vt creatura operetur actum ſuum tametſi naturalem & proportionatum.

III. Decimo quartò; eſſe Angelorum pendet ab immediato influxu conſeruatiuo Dei; Ergo & illorum operari ab immediato influxu cooperatiuo; Ergo à fortiori aliæ creaturæ imperfectiores, quantùm ad eſſe, & operari pendebunt ab immediato influxu Dei: Conſequentia prima patet ex illo communi dicto *Operari ſequitur eſſe*; ſecunda non eget probatione; Antecedens autem probatur; quia aliàs explicari non poſſet; quomodo Deus poſſit Angelum annihilare cùm enim id præſtare non poſſit producendo poſitiuè aliquid illi contrarium, aut exiſtentiæ ipſius incompoſſibile; eo quòd *ſubſtantiæ nihil ſit contrarium*; & ſubſtantia Angelica à nullis præuiis ac neceſſariis diſpoſitionibus dependeat; ſupereſt vt annihilare eum poſſit conſeruatiuum Concurſum ſuum Angelicæ ſubſtantiæ ampliùs non conferendo.

Reſpondeo; eſſe Angelorum pendet ab immediato influxu Dei conſeruatiuo; concedo antecedens: Ergo & illorum operari ab immediato; & identificato influxu cooperatiuo; nego conſequentiam: & ad probationem quâ dicitur *operari ſequitur eſſe*; Reſpondeo primò retorquendo in Aduerſarios; Eſſe Angeli diſtinguitur realiter ab eſſe Dei; Ergo & operatio Angeli diſtinguitur realiter ab operari Diuino; quia operari ſequitur; & imitatur eſſe: Ergo Angelus ad

lus ad operandum non requirit neceſſariò Dei Concurſum identificatum,& ſimultaneum. Vel ſecundò Reſpondeo, *Operari ſequitur eſſe*,hoc eſt,imitatur;totali ſeruatâ proportione ; nego;cum aliqua,concedo:& eſt inſtantia,quia calor inhærens igni,immediatè pendet ab igne , lux à Sole,ab intellectu intellectio : calefactio tamen non pendet immediatè ab igne,ſed mediante calore; nec illuminatio à Sole immediatè,ſed interuentu lucis ſolaris; nec productio habitus ab intellectu immediatè pendet , ſed mediāte actu vitali ; forma etiam ignis pendet à materia immediatè in eſſendo, & tamen materia non concurrit immediatè ad actiones formæ ignis.

Reſpondeo tertiò Axioma ſic intelligi;operatio vniuſcuiuſque rei præſupponit illius exiſtentiam actualem;vel ſic,operationes diuerſæ diuerſas arguunt eſſentias ; nimirum quando operationes proueniunt à natura ſpecifica ratione alicuius proprietatis eſſentialis;quomodo ridere prouenit à natura ſpecifica hominis;qua de re videri poteſt R. P.Gratianus meus in Philoſophia , ac Theologia Magiſter in Axiomatibus philoſophicis literâ O.

Porrò , ratio negationis conſequentiæ primi argumenti in obiectione propoſiti eſt;quia cùm neque Angelus,neque vlla creatura habeat virtutem ad ſe producendum , aut conſeruandum effectiuè directè ; nequidem Deo ſimul concurrente , iuxta communem Aduerſariorum etiam noſtrorum ſententiam;Cúmque nulla poſſit aſſignari cauſa ſecunda quæ conſeruet in eſſe Angelū ; oportet ſanè eum pendere ab immediato influxu conſeruatiuo Dei: At verò idem Angelus , & aliæ etiam creaturæ acceptam habent à Deo virtutem ad producendas aliquas actiones, aut effectus realiter à ſe diuerſos.

Ad probationem antecedentis admittimus;Deum annihilare poſſe Angelum, ſi velit, ſubtractione Concurſus ſui conſeruatiui, quia fatemur Angelum conſeruari à Deo immediatè. At ſi Angelus , aut res aliqua conſeruaretur ab alia cauſa ſecunda Deo non concurrente proximè ; quod putamus non eſſe impoſſibile diuinitùs;nihilominùs tamen Deus annihilare poſſet rem illam,aut Angelum , impediendo continuationem Concurſus conſeruatiui ab illa cauſa ſecunda prodeuntis ; idque per immiſſionem qualitatis



Digitized by Google

ſtris viribus naturalibus improportionato, & ſuperiore; actio quæ eadem erit noſtra, & Dei, euadet præſtantiſſima, & ſupernaturalis: Ecce qualiter admiſſo Concurſu proximo, & identificato, ſupernaturalitas actuum noſtrorum quoad ſubſtantiam facilè explicatur; quæ eo denegato explicari non poteſt.

VII. Reſpondeo; vt actio noſtra euadat ſupernaturalis, non eſt opus immediato, & identificato influxu Dei ſupernaturali; ſed euadet ſupernaturalis ex influxu alicuius habitus, aut qualitatis, ſeu comprincipij effectiui ſupernaturalis à Deo nobis immiſſi: Nam & nũc habitus Charitatis cum voluntate noſtra concurrens actum elicit ſupernaturalem: vt enim actus noſter euadat ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſufficit illum elici ab aliquo principio effectiuo ſupernaturali, ſiue illud ſit prima cauſa, ſiue ſecunda. Dixi *ſiue ſit cauſa prima*, quia Deus modò agit vt naturæ auctor, modò vt auctor gratiæ, ſeu ordinis ſupernaturalis.

Porrò, quicunque excitatur à Deo ad conuerſionem, aut actum ſupernaturalem, accipit ab eo qualitatem illam ſupernaturalem, ad hoc vt contritio, aut quicunque alius actus bonus ad quem prouocatur, poſſit fieri ſupernaturalis, quia tamen præter actus ſubitos, & indeliberatos voluntas noſtra debet elicere alios actus ſupernaturales liberos, ac meritorios, qualitas iſta humanæ ſubiicitur voluntati, quam proinde relinquit indifferentem, & liberrimam; quo fit vt ſæpenumerò præſente iſtâ qualitate, voluntas tamen noſtra nullum actum ſupernaturalem liberum eliciat, ſed diuinæ excitationi reſiſtat.

VIII. Quòd ſi quis obiiciat ſupereſſe difficultatem, An qualitates ſupernaturales in intellectu, & voluntate receptæ, vt ſint comprincipia ad ſupernaturaliter operandum; dentur nobis à Deo conſultis voluntatibus noſtris, an potiùs inconſultis, & an prædeterminent, necne potentias noſtras.

Reſpondendum videtur; eos qui iam habent habitus ſupernaturales infuſos, tam in intellectu, quàm in voluntate, cùm habeant comprincipium ſupernaturale effectiuum, & conſequenter potentiam completam ad ſupernaturaliter operandum, non indigere iſtâ qualitate fluente ſupernaturali: At verò qui nondum habent infuſos habitus; ſtatim eodem inſtante, quo vocantur à Deo ad

gratiam iuſtificationis, qualitatem iſtam fluentem accipiunt ad hoc vt primi eorum actus euadere poſſint ſupernaturales; habeántque proportionem cum gratia iuſtificante; hoc eſt, vt ſint ſicut oportet eos eſſe vt iuſtificationis gratia conſequatur.

Et quidem iſta qualitas datur inconſultis voluntatibus noſtris; nimirum, quia datur vt primi actus vitales quibus Deus tangit cor hominis euadant ſupernaturales; Vnde fit, vt quia ipſi actus ad quorum productionem iſta qualitas ordinatur, ſunt indeliberati, præcedúntque liberum voluntatis noſtræ conſenſum; ipſa etiam qualitas, quæ eſt partiale principiũ huiuſmodi actuum, immittatur XI nobis à Deo independenter à conſenſu libero noſtræ voluntatis.

Et rurſum; quia iſti actus primi ad quorum productionem qualitas iſta fluens immittitur, non ſunt nobis liberi, ſed indeliberati ac neceſſarij; nullum ex hoc capite eſſet inconueniens tametſi diceremus intellectum, ac voluntatem ad eos prædeterminari ab iſta qualitate fluente, tamen dum facilè appareant aliæ cauſæ propter quas actus iſti ſunt neceſſarij; veriùs exiſtimamus huiuſmodi qualitatem non dari ad determinandum intellectum, & voluntatem ad infallibiliter operandum, ſed ſolùm ad iuuandas, roborandáſque illas potentias, vt producant actus ſupernaturales quos alioqui non producerent, ſed duntaxat naturales, præſertim cum eadem qualitas quæ adiuuit voluntatem ad producendum actum ſubitum, & indeliberatum, eandem adiuuare debeat ad producendum actum liberum conſenſus, quo vltimò peccator ad iuſtificationem diſponitur; qui ſanè actus cùm debeat eſſe liber, & plerunque ſit meritorius, ſi non iuſtificationis primæ, ſaltem augmenti eius, iuxta communem ſatis ſententiam; neceſſe eſt qualitatem iſtam, quæ ad huiuſmodi actum effectiuè concurrit, humanæ ſubiici voluntati; eámque minimè prædeterminare ad vnum, ſed relinquere indifferentem; ad eum ferè modum quo habitus infuſus Charitatis ſubiicitur humanæ voluntati, ſolúmque ad hoc eam determinat, vt præſente & influente Charitate, voluntas operari non poſſit circa obiectum ipſius charitatis, quin actus ad quem ipſa influit euadat ſupernaturalis.

Cæterùm, Deo tangente cor hominis eo modo quo explicuimus, voluntas ampliùs illuceſcente rationis iudicio, vel liberè con-

ſentit inſpirationi diuinæ, ac conuertitur: & tunc accipit habitus ſupernaturales infuſos, quibus inſtructa non videtur indigere ampliùs qualitate illâ fluente, cuius munus erat vt eſſet principium effectiuum ſupernaturale; quo quidem munere deinceps habitus ſupernaturalis fungitur: vel abiicit vocationem reſiſtendo, & diuertendo animum ad alia; & tunc ceſſante illo actu vitali in quo conſiſtebat gratia excitans, ipſa etiam qualitas fluens euaneſcit, eò quòd non poſtulet conſeruari ſicut habitus, ſed ſolùm durãte actu vitali ad cuius productionem ordinabatur.

IX. Quòd ſi alicui placuerit ſententia Molinæ exiſtimantis cognitionem intellectus effectiuè concurrere ad actum voluntatis; nullâ erit opus qualitate fluente in voluntate receptâ, quia vt producatur motus ſubitus ſupernaturalis in voluntate; ſufficiet cognitio intellectus præuia, quam tamen oportebit fuiſſe ſupernaturalem; & conſequenter habuiſſe principium aliquod effectiuum ſupernaturale; nimirum, vel Deum ipſum immediatè, & proximè concurrentem, quod fieri poſſe admiſimus, eo quòd actus ex vna parte ſit honeſtus, ex altera autem non ſit liber, ſed neceſſarius, vel qualitatem fluentem ſupernaturalem, de qua hactenus: Vel ſi non placuerit eiuſmodi qualitatem admittere, viderint quibus ea non arriſerit, An fortè inclinare maluerint in eorum ſententiam, qui dicunt intellectum, ac voluntatem noſtram eleuari poſſe per ſolum imperium diuinum ad primos iſtos, & quoſcunque alios actus ſupernaturales producendos; Deo non concurrente ad eos immediatè; neque habitu vllo, aut qualitate; vel alio principio ſupernaturali, ob potentiam obedientialem actiuam, quæ in qualibet creatura eſt ad quamlibet operationem ad Dei nutum producendam.

Cætera prætereo, quæ de huiuſmodi qualitate fluente poſſunt inquiri; vt exempli causâ, An ſit vna, eadémque ſpecie, ac numero in intellectu, & voluntate; an verò diuerſæ in diuerſis potentiis; An quemadmodum habitus fidei, cùm ſit vnicus in vnico homine, concurrit tamen ad actus fidei diuerſos circa obiecta materialia diuerſiſſima; ita etiam vnica qualitas fluens ſufficere poſſit ad quoſcunque actus ſupernaturales, tametſi diuerſarum ſint ſpecierum; An verò idem dicendum ſit de ea quoad hoc, quod dici ſolet de habitibus acquiſitis ſcientiarum, qui variis partibus cõſtant;

quarum

Digitized by Google

quarum aliæ verſantur circa vnam concluſionem, & aliæ circa aliam; ea enim quæ hactenus dixi ſufficere videntur vt concludam, quòd cùm diuina cooperatio proxima ſiue prædeterminans, ſiue ſimultanea, ob ſupernaturalitatem actuum non ſit neceſſaria: ſed potiſſimùm introducta fuerit ab eiuſdem Aſſertoribus propter eſſentialem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam, atque ob indeterminationem voluntatis, & ob Dominium Dei in actus noſtros; cúmque euidenter oſtendi poſſit eam ob nullam ex dictis rationibus eſſe neceſſariam; ſed potius in pleríſque actibus noſtris eſſe impoſſibilem, & ſtante illâ ſententiâ plurimas difficultates eſſe inſolubiles quæ in noſtra facillimè explicantur; ſequitur noſtram ſententiam in Scholas Theologorum, vnde quorundam iniuriâ immeritò exulauerat, eſſe reuocandam; quod ipſum luculentiùs adhuc apparebit ex ſolutione argumentorum quæ duobus capitibus ſequentibus ſuperſunt proponenda.

Sed rogas; Vtrùm in noſtra ſententia dicendum ſit actus iſtos ſupernaturales ſubitos produci à Deo immediatè, ſi non propter ſupernaturalitatem eorum, at ſaltem ex alio quopiam capite, ſeu propter aliquam aliam rationem; An verò tantum remotè? Reſpondeo, quandoquidem iſti actus ſunt ſupernaturales, ac honeſti, de obiecto bono, ac licito, non repugnat ex parte Diuinæ ſanctitatis quòd Deus coniungat ſe nobis ad eos efficiendos Concurſu proximo, & identificato; Neque id ſimiliter repugnat ex parte noſtræ libertatis, quandoquidem ipſi non debent eſſe actus liberi, ſed indeliberati, ac ſubiti, vtpote in quibus potiſſimùm gratia actualis conſiſtit, & per quos humanum cor tangitur, excitatur, ac præuenitur: Tamen nihil etiam neceſſe eſt eos produci à Deo Concurſu proximo, & identificato; quandoquidem ad eorum productionem potentiæ noſtræ ſufficienter excitantur occurſu obiecti, vel actione phantaſiæ, aut aliis modis; roborantúrque infuſione qualitatis ſeu comprincipij ſupernaturalis, ſine quo producere non poſſemus actus Supernaturalis, ſed alios inferioris gradus qui proportionem haberent cum naturali virtute agendi potentiarum. X.



Digitized by Google

# CAPVT XIX.

## *In quo refelluntur aliæ quædam rationes adferri ſolitæ contra noſtram ſententiam.*

I. DEcimo tertiò argumentantur Aduerſarij in hunc modum: Communis ferè plurimorum Theologorum ſententia eſt, in omni creatura dari potentiam obedientialem actiuam, per quam eleuari poſſit à Deo ad operandum quidlibet non implicans contradictionem: atqui non poteſt id melius explicari, quàm ſi dicamus eam eſſe in quouis ente creato ſubordinationem ad Deum, vt eo principaliter agente & mouente, creatura quidlibet ſimul cum eo operari poſſit, Deo illam ad conſortium eiuſdem ſecum operationis quantumuis miraculoſæ aſſumente, & eleuante: hoc autem explicari & defendi non poteſt ab impugnatoribus ſimultanei, & identificati Concurſus.

Reſpondeo: non negamus poſſibile eſſe Deum concurrere immediato, & identificato influxu cum creaturis ad quaſdam earum actiones, ſiue illæ per potentiam naturalem, ſiue per obedientialem cōcurrant, ſed aſſerimus impoſſibile eſſe vt Deus ad quaſdam alias actiones immediatâ, & identificatâ operatione concurrat, nimirum ad intrinſecè malas; & ad eas quibus noſtra libertas exercetur, ob rationes quas ſuprà per varia capita adduximus: Quòd ſi aliquando contingeret illum aſſumere, & eleuare voluntatem noſtram, aut etiam actum noſtrum volendi ad productionem, exempli causâ, Angeli, vel lapidis per potentiam obedientialem actiuam, de qua ſola poteſt eſſe quæſtio, quod fieri poſſe admittimus: Tunc dicimus in eo caſu abripi voluntatem noſtram, & neceſſitari ad agendum, proptereáque argumentum contra nos nihil concludere, qui fatemur Deum poſſe nobiſcum identicè concurrere ad actus noſtros, qui neque ſint liberi, neque praui.

II. Dices; poſſet contingere vt Deus tunc reuelaret mihi ſe eleuare, & aſſu

& aſſumere volitionem meam ad miraculoſam iſtius Angeli, vel lapidis productionem; & tunc voluntas mea poſſet de huiuſmodi eleuatione gaudere; & liberam complacentiam habere: Ergo tunc illa productio Angeli eſſet mihi voluntaria, & libera: Ergo fieri poteſt vt aliquis actus idem numero ſimul à Deo, & à mea voluntate procedat, qui ſit vtrique noſtrûm liber, ac voluntarius.

Reſpondeo; in eo caſu eſſent duæ actiones; quarum vna eſſet libera, altera, neceſſaria; vna à Deo ſimul & à creata voluntate procederet, altera procederet à ſola creatura immediatè: Nam productio Angeli ad quam Deus miraculoſè me eleuaret, eſſet eadẽ numero actio Dei, & mea; ſed Deo libera; mihi neceſſaria; & quidem ipſa eadem actio eſſe poſſet volita à me per modum obiecti cuiuſdam iucundi, & delectabilis; ſed tamen non eſſet libera reſpectu mei, neque etiam immanens, nec vitalis: aliter dici poſſet, eſſet obiectiuè volita, ſed non elicitiuè; At verò ille alter actus gaudij, & complacentiæ erga dignationem illam diuinam; ſicut eſſet actus quidam reflexus vitalis, & immanens; poſſet etiam mihi eſſe liber, ac voluntarius; ſed Deus ad illum minimè cooperaretur Concurſu identificato, & ſimultaneo, Aliud exemplum eſſe poteſt in Sacerdote qui peccaret mortaliter conſecrando corpus Chriſti ob prauum finem, aut in ſtatu peccati mortalis: ibi enim duæ interueniunt actiones, ſcilicet voluntas conſecrandi non obſtante peccati mortalis conſcientiâ, quæ eſt actus illicitus à ſolo homine profectus, & non etiam à Deo immediatè, & ipſa tranſſubſtantiatio, ſeu conſecratio, quæ proximè & immediatè fit tum à Deo, tum etiam à creatura, iuxta probabilem ſententiam eorum qui exiſtimant Sacramenta concurrere effectiuè phyſicè, & non tantùm moraliter ad effectus ſupernaturales: volitio conſecrandi, eſt actus liber, & prauus moraliter; ſicut & prolatio verborum ſacramentalium quibus conſecratio ipſa perficitur: At ipſa conuerſio panis in corpus Chriſti, quæ eſt effectus quidam miraculoſus, & ſupernaturalis: non pendet ampliùs à mea voluntate, quippe quæ non poteſt impedire ne ſequatur tranſſubſtantiatio poſitis omnibus illius cauſis, vnde neque eſt etiam in ſe peccatum

Et ſic patet argumentum in obiectione propoſitum nihil nobis nocere, quia facilè explicamus quomodo creatura eleuetur à Deo

ad

Digitized by Google

ad actus impropoitionatos, & ſuperantes virtutem illius naturalem, nam primò, cùm huiuſmodi actus ſemper ſint honeſti; (neque enim Deus poteſt miraculosè nos adiuuare ad peccata committenda) Cúmque vt plurimùm ſint indeliberati & neceſſarij; non repugnat ex parte Diuinæ ſanctitatis, aut humanæ libertatis quin producantur à Deo nobiſcum immediatè, & identificè concurrente: Secundò, poteſt Deus entitati naturali creaturæ ſuperaddere qualitatem ſupernaturalem, quâ roboretur, & eleuetur ad producendum miraculosè quemlibet effectum, modò aliqua ſpecialis ratio impoſſibilitatis non obſtet. Tertiò, dici poteſt creaturam eleuari per extrinſecam Dei voluntatem, & imperium nullâ ſuperadditâ entitate creatâ ad quidlibet producendum, modo nullâ ſpeciali contradictione implicetur: Ad eum ferè modum quo multi dicunt voluntatem Dei extrinſecam, ſeu permiſſionem eius eſſe conditionem neceſſariam vt creatura operetur actum ſuum tametſi naturalem & proportionatum.

III. Decimo quartò; eſſe Angelorum pendet ab immediato influxu conſeruatiuo Dei; Ergo & illorum operari ab immediato influxu cooperatiuo; Ergo à fortiori aliæ creaturæ imperfectiores, quantùm ad eſſe, & operari pendebunt ab immediato influxu Dei: Conſequentia prima patet ex illo communi dicto *Operari ſequitur eſſe*; ſecunda non eget probatione; Antecedens autem probatur; quia aliàs explicari non poſſet; quomodo Deus poſſit Angelum annihilare cùm enim id præſtare non poſſit producendo poſitiuè aliquid illi contrarium, aut exiſtentiæ ipſius incompoſſibile; eo quòd *ſubſtantiæ nihil ſit contrarium*; & ſubſtantia Angelica à nullis præuiis ac neceſſariis diſpoſitionibus dependeat; ſupereſt vt annihilare eum poſſit conſeruatiuum Concurſum ſuum Angelicæ ſubſtantiæ ampliùs non conferendo.

Reſpondeo; eſſe Angelorum pendet ab immediato influxu Dei conſeruatiuo; concedo antecedens: Ergo & illorum operari ab immediato; & identificato influxu cooperatiuo; nego conſequentiam: & ad probationem quâ dicitur *operari ſequitur eſſe*; Reſpondeo primò retorquendo in Aduerſarios; Eſſe Angeli diſtinguitur realiter ab eſſe Dei; Ergo & operatio Angeli diſtinguitur realiter ab operari Diuino; quia operari ſequitur, & imitatur eſſe: Ergo Angelus ad

lus ad operandum non requirit neceſſariò Dei Concurſum identificatum,& ſimultaneum. Vel ſecundò Reſpondeo, *Operari ſequitur eſſe*,hoc eſt,imitatur;totali ſeruatâ proportione; nego;cum aliqua,concedo:& eſt inſtantia,quia calor inhærens igni,immediatè pendet ab igne, lux à Sole,ab intellectu intellectio: calefactio tamen non pendet immediatè ab igne,ſed mediante calore; nec illuminatio à Sole immediatè,ſed interuentu lucis ſolaris; nec productio habitus ab intellectu immediatè pendet, ſed mediãte actu vitali; forma etiam ignis pendet à materia immediatè in eſſendo, & tamen materia non concurrit immediatè ad actiones formæ ignis.

Reſpondeo tertiò Axioma ſic intelligi;operatio vniuſcuiuſque rei præſupponit illius exiſtentiam actualem;vel ſic;operátiones diuerſæ diuerſas arguunt eſſentias; nimirum quando operationes proueniunt à natura ſpecifica ratione alicuius proprietatis eſſentialis;quomodo ridere prouenit à natura ſpecifica hominis;qua de re videri poteſt R. P.Gratianus meus in Philoſophia, ac Theologia Magiſter in Axiomatibus philoſophicis literâ O.

Porrò, ratio negationis conſequentiæ primi argumenti in obiectione propoſiti eſt;quia cùm neque Angelus,neque vlla creatura habeat virtutem ad ſe producendum, aut conſeruandum effectiuè directè; nequidem Deo ſimul concurrente, iuxta communem Aduerſariorum etiam noſtrorum ſententiam;Cúmque nulla poſſit aſſignari cauſa ſecunda quæ conſeruet in eſſe Angelũ; oportet ſanè eum pendere ab immediato influxu conſeruatiuo Dei: At verò idem Angelus, & aliæ etiam creaturæ acceptam habent à Deo virtutem ad producendas aliquas actiones, aut effectus realiter à ſe diuerſos.

Ad probationem antecedentis admittimus;Deum annihilare poſſe Angelum, ſi velit, ſubtractione Concurſus ſui conſeruatiui, quia fatemur Angelum conſeruari à Deo immediatè. At ſi Angelus, aut res aliqua conſeruaretur ab alia cauſa ſecunda Deo non concurrente proximè; quod putamus non eſſe impoſſibile diuinitùs;nihilominùs tamen Deus annihilare poſſet rem illam,aut Angelum, impediendo continuationem Concurſus conſeruatiui ab illa cauſa ſecunda prodeuntis; ídque per immiſſionem qualitatis

incompatibilis cum illa actione conſeruatiua, aut alio modo, tametſi fortè nobis occulto.

IV. Decimoquintò; In omni operatione producitur aliquid ex nihilo; quia id quod producitur, anteà nihil erat; At impoſſibile eſt creaturam aliquid producere ex nihilo, niſi Deo ſimul cum illa proximè cooperante: Ergo &c.

Reſpondeo; Negando in omni operatione produci aliquid ex nihilo ſimpliciter; forma enim quæ educitur ex ſubiecto, quamuis anteà non extiterit niſi in potentia materiæ & ſubiecti; non fit tamen ex nihilo ſimpliciter, ſed ſolùm ex nihilo ſui; non autem ex nihilo ſui, & ſubiecti ſimul. Non poteſt quidem creatura ſola producere aliquid ex nihilo ſui, & ſubiecti ſimul de potentia ordinaria, Deo non cooperante immediatè, & identicè, vt ſic loquar; poteſt tamen aliquid producere ex nihilo ſui abſque Concurſu Dei identificato, & ſimultaneo; id eſt, educere ex ſubiecto aliquã formam quæ anteà nihil eſſet actu, ſed ſolùm in potentia.

V. Decimoſextò; Tribuendum eſt Deo, inquiunt, perfectiſſimum dominium, & ſumma poteſtas quæ animo concipi poteſt in creaturas omnes: Creaturis autem ſumma ſubiectio, & dependentia: atqui multò erit perfectius dominium Dei, & poteſtas; maiórque creaturæ ſubiectio, & dependentia; ſi hæc nihil ſine immediato illius influxu phyſico poſſit operari: Ergo ſtatuendum eſt ipſam in omnibus diuinæ opis egere, præſertim cùm ipſum operari, & producere ſit res valdè mirabilis; adeò vt aliqui Doctores negarint creaturam poſſe aliquid producere, putantes Deum omnia operari ad præſentiam creaturæ.

Reſpondeo; Nos non debere eſſe fatuos adulatores Dei, qui non indiget noſtris laudibus falſis, quemadmodum monent Sancti, neque debemus exiſtimare maiorem perfectionem aliquam fore in Deo, ſi poſſit omne opus noſtrum propriè, ac per ſe operari, cùm potiùs repugnet eum ita operari maximam partem operum noſtrorum, ſcilicet omnes actus prauos quos permittit vt perpetremus.

Et quidem tametſi operari, ac producere ſit res valdè mirabilis; nihilominus tamen potuit Deus virtutem operandi communicare creaturis, ita vt ipſæ ſolæ producere aliquid poſſint; neque propterea

pterea verendum eſt ne non ſatis cauſalitati, dominio, ac prouidentiæ Dei ſubiectæ ſint; quin potiùs in communicatione huius tantæ virtutis facta Creaturis à Deo, elucet infinita Dei virtus, atque potentia; quam Aduerſarij dum maximè amplificare ſatagût, eidem multum detrahunt; ac præſertim puriſſimæ illius Sanctitati; ipſe autem, vt dixi, mendaciis noſtris non indiget.

Cæterùm; quomodo actus noſtri ſubiiciantur Deo, tametſi non concurrenti proximè, & immediatè ad eorum productionem; dicetur in ſolutione ſequentis argumenti, & iam ex parte dictum eſt, dum ſermo nobis eſſet de Concurſu Dei ad actus prauos cap. 10. huius 4. partis.

Decimoſeptimò; Si actio cauſæ ſecundæ immediatè non penderet à Deo, non poſſet Deus actionem entis creati impedire, niſi vel immittendo formam contrariam actioni, quod de pleriſque actionibus contrario carentibus dici non poteſt, vel deſtruendo cauſam & principium actionis operatiuum, quod cùm non congruat pleniſſimo illi dominio quod Deus habet in rem creatam, tametſi non deſtructam, neceſſariò fatendum eſt actionem creaturæ pendere ab immediato influxu Dei; & hoc exigere imperfectam vim agendi creaturæ innatam eſſentialiter ſubordinatam Deo, cui facillimum eſt omnes creaturarum actiones impedire abſque vlla vi, aut earum læſione, ſolius ſui Concurſus generalis inſenſibili denegatione; quâ etiam Concurſus ſubtractione factum eſt, vt actio ignis Babylonici in pueros non ſæuiret, ſed in regios miniſtros; & vt Dominus Ieſus ſubtraheret ſe aſpectui Iudæorum &c. Ergo Deus immediatè ſolet concurrere cum creaturis; & ſi quandoque nolit concurrere, creaturæ manent inertes, otioſæ, & ab omni actu interdictæ. VI.

Reſpondeo; Deus impedire poſſet actionem cauſæ ſecundæ, deſtruendo illam, aut virtutem agendi quam habet. Quòd ſi hoc tibi non videtur ſatis eſſe vt Deus dicatur dominium habere in actiones cauſæ ſecundæ; adhuc poteſt impedire illam, tametſi non deſtructam, vel primò immittendo illi qualitatem incompoſſibilem cum actione, & ſtupefactiuam virtutis agendi; cuius rei habemus exempla in rebus naturalibus; ſic enim docent Philoſophi Remoram piſcem, producere in naui cui adhæreſcit qualitatem VII.

incompatibilem cum motu locali, aut cum impreſſione impetus; ſic etiam dicunt magnetem impediri ab attractione ferri, ſi alliis perfricetur: & omnino per ſe ſatis apparet credibile poſſe Deum imprimere cuilibet cauſæ ſecundæ qualitates hebetantes, aut quaſi ſtupefacientes virtutem agendi illarum; atque adeò incompoſſibiles cum actione alioqui ab illis emanatura; quemadmodum etiam imprimere eiſdem poteſt habitus, & qualitates vrgentes, atque inclinantes potentiam ad agendum. Vel ſecundo, impedire fortitan poſſet actionem eiuſdem cauſæ ſecundæ, non conferendo illi virtutem quâ ſe determinare poſſet ad ſingularitatem; & indiuiduationem actionis; tunc enim quia perinde eſſet cauſæ creatæ efficere quamcunque actionem ex infinitis quæ intra ſingulas ſpecies cõtinentur; & quia non poſſet determinare ſeipſam, nullam omnino efficeret. Vel tertiò, poſſet impedire voluntatem ne ageret, diuertendo animum ad res alias, & obiecta alia proponendo. Vel quartò, impedire poſſet actionem, apponendo, & augendo reſiſtentiam in paſſo, ſeu ſubiecto; ſi tamen ſermo ſit de actionibus quæ tranſeunt in paſſum capax reſiſtentiæ. Vel quintò, ſi dicamus creaturas in operando pendere à permiſſione diuina, vt à conditione neceſſariò requiſita, quemadmodum ignis ad comburendum pendet ab approximatione, poterit Deus impedire ne agant, nihil agendo in ipſis cauſis, neque etiam in paſſo, ſed ſolùm nolendo permittere vt cauſæ operentur: Vel denique aliis multis modis, tametſi fortè nobis occultis, quanquam illi quos attulimus abundè ſufficiunt ad explicandum perfectiſſimum Dei dominium in actus noſtros. Quemadmodum enim actus vitalis non poteſt fieri à Deo ſolo, iuxta Aduerſariorum ſententiam; ſed à Deo, & potentia vitali fieri debet: & ſicut actio quæ fit à Deo & Creatura ſimul concurrentibus, non poſſet eadem numero fieri à ſolo Deo, non modò eodem tempore, ſed neque etiam ſucceſſiuè; & tamen hoc non impedit quominus Deus dicatur habere perfectiſſimum dominium in eiuſmodi actiones; neque dicendum eſt perfectiùs adhuc fore dominium, proptereàque Deo tribuendum, ſi Deus poſſet eas adhuc illo altero modo producere, nimirum vt ſolus eas produceret: Ita ſimiliter non aduerſatur perfectiſſimo Dei dominio, etiamſi actio aliqua noſtra non pendeat à Deo eo

modo quem imaginantur Aduerſarij, ſcilicet proximè, immediatè & identificè; nimirum quia ratio, & natura noſtrorum actuum liberorum; & eorum qui ſunt illiciti, non patitur vt pendeant à Deo niſi illo modo quem nos aſſerimus; neque eſt neceſſe vt poſſint impediri à Deo ſubtractione ſolâ Concurſus ſui proximi, & immediati; ſed abundè ſufficit quòd aliis quibuſdam modis poſſint impediri; ob eandem ſcilicet rationem.

Decimo octauò; ſi aliqui effectus poſſent fieri à cauſis ſecundis abſque immediata cooperatione Dei; maximè id haberet locum in actibus vitalibus; vt in viſione, intellectione, volitione, & cæteris; hi enim videri poſſunt ſufficienter pendere à potentiis à quibus eliciuntur, & in quibus recipiuntur; Atqui id dici non poteſt, quia cùm in huiuſmodi actibus ſita ſit perfectio naturæ intelligentis, poſſet hæc naturalem ſuam perfectionem, & finem conſequi, Deo ad id non concurrente niſi remotè, quod eſt abſurdum. VIII.

Reſpondeo; fatemur actus vitales, ſicut & alios non vitales produci poſſe à potentiis ſufficienter in actu primo completis abſque eo quòd Deus immediatè, & proximè illos efficiat, neque vllum eſt inconueniens quòd perfectio naturalis hominis, vel Angeli ſic producatur; quia non deſinet actio illa eſſe à Deo, aliquo tali modo qui ſufficiat vt Deus dicatur cauſa vniuerſalis, & prima, tametſi remota, ac mediata huiuſcemodi actionis.

Decimononò, Si aliqua actio fieri poſſet à creatura, Deo non concurrente proximè, & immediatè Concurſu identificato, & ſimultaneo, maximè id dicendum eſſet de actione peccati: Sed hoc dici non poteſt de actione peccati: Ergo multo minùs de quacunque alia: Maior patet; Probatur minor; Quia illud quod non eſt cauſa actus, non eſt cauſa effectus producti per actum; ſed per actionem peccati aliqui effectus in eſſe producuntur; ſiquidem homines ex adulteriis generantur: Si ergo talium actionum Deus non eſſet cauſa, per cōſequens nec hominū; qui his actionibus generātur; quod eſt incōueniens: Nam inde ſequeretur ſic genitos nō poſſe vocare Deum patrem, ſed duntaxat auum, aut proauum. IX.

Reſpondeo; Benè reſpondet Durandus, in adulterio quo quis generatur, aliquid produci ab homine Deo non concurrente immediatè, & proximè, & aliquid à ſolo Deo, illud eſt voluntas



Digitized by Google

committendi adulterium,& actus exterior hominis quo non producitur immediatè alter homo; ſed per motum localem femina commiſcentur; ac deinde introductis diſpoſitionibus vltimis per operationem agentium naturalium, Deus ipſe ſolus, proximè, & immediatè animam creat;& fortaſſe etiam corpori diſpoſito eandem vnit: quo fit vt rectiſſimè dicatur Pater hominis ex adulterio geniti.

X. Vigeſimò; ſententia illa videri poſſet irreligioſa, & ferè Deo indigna, quæ illi denegat influxum,& cauſalitatem vniuerſalem in omnes creaturarum effectus, præſertim cùm multi exiſtimarint corpora ipſa cæleſtia influxu ſuo res omnes inferiores actualiter conſeruare quandiu in ſuo eſſe permanent; ita vt ceſſante cæleſti influxu ſtatim deſinerent; Ex quo etiam intulerunt eadem corpora cæleſtia debere ſemper actuali influxu immediatè concurrere ad omnes operationes rerum inferiorum: vnde quia voluerunt cælum operari per motum, conſequenter aſſeruerunt, ceſſante cæli motu, atque adeo cæleſti Concurſu, ſtatim naturaliter, ceſſaturam omnium cauſarum inferiorum operationem;& nullam ex his cauſis quidquam amplius operaturam: imò refertur quædam ſententia, quòd ſi vel vna quæuis ſtella auferretur à cælo, vel influxum ſuum ſubtraheret, illico totus hic mundus inferior rueret: Igitur multò magis exiſtimare debemus in hoc conſiſtere eſſentialem ſubordinationem cauſarum ſecundarum ad primam, quod illæ nihil omnino poſſint operari, niſi Deo actualiter concurrente influxu identificato, immediato, ac ſimultaneo.

Reſpondeo; Admittendo exemplum cæleſtium corporum, quorum influxũ in hæc inferiora frequentiſſimè Patres adduxerunt ad explicandum modum quo Deus nobiſcum influit ad omnes actus noſtros: Sed reuerà, potius nobis fauent, quàm Aduerſariis: Quemadmodum enim cæli dicuntur cauſæ vniuerſales; quia aliquo modo circa omnes res inferiores operantur,& aliquod illis beneficium influxus ſui communicant; non tamen actiones omnes effectúſque ſublunares ab actuali, indiſtincto, proximo, & immediato influxu cæli producuntur, aut conſeruantur, ſed ſolùm aliqui certi effectus ex peculiari ratione ſua requirunt ſemper actualem influxum cæli, tanquam propriæ & peculiaris ſuæ cauſæ; vt lumen,

men,& fortè ſpecies impreſſæ viſibiles(ſi dantur)à cælis immiſſæ;& ſi quæ ſunt aliæ ſimiles qualitates: Cæteri verò effectus vt, exempli causâ,homines, leones,aut alij huiuſmodi, non producuntur à cælis per ſe,& directè,ac immediatè concurrentibus eâdem actione quâ à parentibus ſuis generantur, ſed cauſæ cæleſtes influere dicuntur per idoneas qualitates diſponendo, & præparando materiam, ob magnam dependentiam rerum inferiorum à cauſis cæleſtibus; quo fit vt illi quoque effectus qui immediatè à ſolis cauſis inferioribus producuntur; ſaltem remotè, ac mediatè ipſis etiam cælis tribuantur; iuxta illud Ariſtotelis ſecundo phyſicorum textu 26. *Sol & homo generant hominem*,

Similiter ergo, Deus qui eſt prima cauſa vniuerſalis omnium, quoſdam effectus immediatè, & proximè ſolus producit; ad alios autem non eodem modo concurrit, ſed mediantibus cauſis ſecundis; ita tamen vt omnes effectus, exceptis tamen actibus prauis,cauſalitati ipſius tribuantur: quòd ſi quis contendat ipſum etiam actum prauum, quatenus eſt ens aliquod phyſicum, eſſe aliquo pacto à Deo, non renitimur; modò tamen Deus ad eum immediatè, & proximè, propriè, ac per ſe non concurrat, ſed tantùm permiſſiuè,remotè & mediatè præbendo vires, atque indifferentiam agendi arbitrio creato, non eâ quidem intentione vt iiſdem viribus abuteretur ad actus prauos;ſed potiùs ex aduerſo vt ſe inbonis actibus exerceret.

## CAPVT XX.

### *In quo diluuntur cætera argumenta Auctorum Concurſus proximi, & identificati.*

Vigeſimoprimò inſurgunt contra nos Aduerſarij; quia ſi creatura naturali virtute poteſt operari ſola,& Deo non concurrente quidpiam à ſe diſtinctum; valde probabile erit quod poſſit per potentiam Dei abſolutam producere ſeipſam ſola, aut ſaltem conſeruare I.

conſeruare: At tunc eâ ſuppoſitione factâ Deus non poterit eam annihilare, quia ipſa ſeipſam conſeruabit, & reſiſtet Deo volenti illam deſtruere, & ſic habebit in ſe firmum, ſolidúmque fundamentum exiſtentiæ ſuæ; erítque ſibi ſufficiens ad eſſendum, ac veluti Deus; poterítque in ſe gloriari quaſi non vltrà indigens Deo: quæ omnia cùm ſint impoſſibilia, oſtendunt impoſſibile eſſe ipſum etiam antecedens ex quo ſequuntur:

Reſpondeo, omnino eſſe certum, quòd creatura non poſſit ſeipſam primò producere etiam Deo concurrente: Tum quia inter producens, & productum intercedit relatio, atque adeo diſtinctio realis: Tum quia vt aliquid primò producatur; debet non exiſtere; vt verò producat, debet exiſtere: Atqui non poteſt idem ſimul ac ſemel exiſtere, & nõ exiſtere: Tũ quia idẽ nõ poteſt eſſe priùs, & poſteriùs ſeipſo ſecundũ eandẽ exiſtendi rationẽ: Tũ deniq; quia SS. Patres ac Theologi omnes hoc argumẽto probarũt Verbũ diuinũ realiter diſtingui à Patre, quia Verbũ à Patre proceſſit: quæ profectò nulla eſſet collectio ſeu conſequẽtia, ſi idẽ poſſet ſeipſũ producere.

Quod autem attinet ad conſeruationem, etiam valde probabile eſt inter ipſos etiam aduerſarios, quòd idem non poſſit effectiuè immediato influxu conſeruare ſeipſum, etiam Deo per abſolutam potentiam ſimul concurrente, ſed eſto id fieri poſſit per miraculum Deo ſimul operante, de quo non vacat hîc diſputare, neque enim poſſunt omnia eodem loco diſcuti, ac demonſtrari; multò probabilius eſt quòd creatura id non poſſit ſola; veruntamen ſi diſputandi gratiâ ſupponamus ens creatum tantam accepiſſe à Deo virtutem, vt ſemetipſum effectiuè conſeruare poſſit, adhuc dico Deum poſſe creaturam illam dicto citiùs annihilare; nimirum auferendo ab ea virtutem illam per quam priùs ſeipſam conſeruabat, tunc enim eâ ablatâ non poterit amplius ſe conſeruare, ac propterea, ſi neque à Deo neque ab alia quapiam cauſa ſecunda conſeruetur, in nihilum procul dubio recidet: quia cùm non habeat exiſtentiam ex vi eſſentiæ ſuæ, ſed alterius, putà Dei beneficio, illam mediatè, vel immediatè producentis, & conſeruantis; Deo non ampliùs illam conſeruante, neque proximè, neque remotè, neceſſe eſt vt amittat exiſtentiam; & ſic non poteſt eſſe ſibi ipſi ad eſſendum ſufficiens; ſed ſi de exiſtentia ſua gloriatur, in Domino glorietur

Digitized by Google

glorietur; Neque enim gloriari poteſt de virtute illa ſemetipſam conſeruandi quam à Deo accepit, quaſi non acceperit.

Quinimò probabilius eſt poſſe inſuper Deum non ablatâ nec deſtructâ quoad entitatem, ſeu quoad actum primum virtute illâ per quam creatura ſeipſam conſeruabat, poſſe, inquam, Deum imprimere eidem creaturæ qualitatem aliam incompoſſibilem cum actu conſeruandi ſeipſam, & prohibentem ne virtus illa ſuiipſius conſeruatiua in actum ſecundum exeat.

Vigeſimoſecundo, argumentantur Patres diſcalceati in ſuo curſu philoſophico Complutenſi: Fundamentum dependentiæ actualis creaturarum à Deo tanquam à cauſa non eſt aliud, quàm quia Deus eſt ens per eſſentiam; creaturæ autem entia per participationem, ſed ſine reſpectu ad cauſas ſecundas neceſſarias interpoſitas in cauſando inter Deum, & prædictas Creaturas, Deus eſt ens per eſſentiam, & creaturæ iſtæ immediatè, & per ſe entia per participationem: Ergo ſine huiuſmodi reſpectu & mediatione, hæ creaturæ habent per ſeipſas, & omnino immediatè dependentiam à Deo tanquam à cauſa, & conſequenter quæuis actio creata illarum, quæ etiam eſt ens per participationem, pendebit à Deo tanquam à vera, & actuali cauſa. II.

Confirmatur & explicatur, quoniam Deus conſideratus quatenus noſtro intelligendi modo præſupponebatur decreto quo inſtituit vt hę creaturæ haberent vim productiuam ſuorum effectuum, habebat tale eſſe, vt quoduis ens ab illis creaturis producibile haberet dependentiam neceſſariam ab ipſo tanquam à cauſa immediata: At per huiuſmodi decretum non eſt mutatus modus eſſendi in Deo: Ergo etiamſi illud ponatur, nihilominus omne ens à creaturis illis factibile habebit neceſſariam, & per ſe dependentiam ab illo, non vtcunque; ſed ita vt interpoſitio harum cauſarum ſecundarum non tollat hanc immediatam dependentiam effectus à Deo.

Maior certa eſt; Quia Deus ſecundùm illam rationem æqualiter reſpiciebat omne illud ens factibile, vt cauſa ſimpliciter, & neceſſariò requiſita ad illius productionem, & non magis reſpiciebat vnum effectum vt cauſa immediata, quàm alium, aliàs neceſſitaretur Deus ad inſtituendum ordinem harum cauſarum ſecundarum

reſpectu aliquorum effectuum, ſuppoſito quòd vellet eis com municare eſſe. Minor verò patet, quoniam ex vi decreti liberi nihil pertinens ad naturalem modum eſſendi Dei poteſt immutari.

III. Reſpondeo; dependentiam Creaturæ à Deo, vel ſumi primò, pro ipſa creatura dependente, quæ eſſentialiter eſt ens ab alio dependens, ſcilicet à Deo: Vel ſecundò pro ipſa depēdentia actuali, quæ eſt actio per quam à Deo creatura producitur: Vel tertiò, pro relatione quadam reali conſurgente in creatura ex eo quòd Deus eam produxit. Dependentia primo modo ſumpta, nihil eſt aliud quàm indigentia illa opis alienæ, id eſt, entis à ſe, ad habendum eſſe; quę eſt exigentia, & neceſſitas alicuius diuini influxus, quicunque ille ſit, mediatus, aut immediatus, modò ſufficiat ad dandum eſſe creaturæ; & hoc eſt de eſſentia ipſius creaturæ, proindéque immediatè exiſtens in illa, ſeu potiùs identificatum cum illa, atque adeò inſeparabile ab ea, & immutabile, vt dictum eſt in argumento ſeptimo Auctorum Concurſus immediati, & vocari ſolet à multis *dependentia aptitudinalis*.

Dependentia ſecundo modo ſumpta, eſt ipſe influxus Dei producentis, aut conſeruantis creaturam; qui quidem eſt entitas modaliter diſtincta à creatura producta, aut conſeruata, potéſtque variari circa eandem creaturam in entitate ſua inuariatam, adeò vt ſit influxus modò creatiuus, modò eductiuus, & vel mediatus, vel immediatus, prout Deo placuerit creaturam illam vel producere ex ſubiecto, vel ex nihilo, vel interuentu cauſæ ſecundæ effectiuè influentis, vel nullâ mediante causâ ſecundâ, vt exempli causâ, in ſententia diſtinguente quantitatem à re quanta: Quando Deus conſeruat quantitatem in ſubiecto, dependentia illa eſt *eductiua*; poſtmodum autem factâ conſecratione, eadem quantitas à Deo pendet, actione ſeu dependentiâ *veluti creatiuâ*, id eſt, nullo concurrente ſubiecto.

Dependentia tertio modo ſumpta pro relatione, ſimiliter variari poteſt manente creaturâ omnino inuariatâ in ſua entitate; nimirum prout variata fuerit dependentia actualis ſecundo modo ſumpta, id eſt, actio Dei Creaturam producentis, hoc aut illo modo: Nam quantitas, exempli causâ, dum à ſolo Deo per actionem creatiuam producitur, relationem habet ad Deum prout creantem;

tem, dum verò per actionem eductiuam à Deo pendet, relationem habet ad Deum vt educentem: Et lumen ſi produceretur à Deo ſolo, referretur ad eum vt ad cauſam totalem & adæquatam ſui eſſe: ſi verò produceretur à Deo, & à Sole concurrentibus ſimul, referretur ad Deum veluti ad cauſam ſuam inadæquatam, & quodammodo partialem.

Itaque creatura dependens, exempli causâ, lumen aut quantitas, quæ eſt ſubiectum relationis, ac dependentiæ, manet inuariata quoad propriam entitatem, & ea quæ ſunt illi eſſentialia; ſed quia variatur dependentia actualis, quæ eſt ratio fundandi relationem dependentiæ; proptereà ipſa relatio variari poteſt: Atque ob id ſi conſideremus creaturam ſecundùm ea quæ ſunt illi eſſentialia, nõ conſiderato modo productionis per quam à Deo pendet, erit ens poſtulans & exigens influxum aliquem Dei; & exigentia illa dependentiæ, vel dependentia ipſa *aptitudinalis*, vt vocant, immediatè atque eſſentialiter competit creaturæ: Sed quia non exigit influxum Dei certum, ac determinatum, ſed vel hunc, vel illum, id eſt, aliquem ex multis per quos ipſa poteſt à Deo produci, & pendere; opus eſt decreto Dei determinantis vt creatura illa ab ipſo producibilis, vel producatur ab eo ſolo, vel ab eo interuentu creaturæ, vel contrà ab alia creatura Deo non influente proximè, ſed ſolùm remotè, ſcilicet dando, & conſeruando virtutem agendi cauſæ, & propenſionem ad agendum.

Et ſic neque creatura in ſua fundamentali entitate, neque ipſe Deus aliter ſe habebunt ob decretum illud Dei; ſed ſolùm mutatio erit in actione productiua, & in relatione, quæ in vnoquoque ſubiecto variari ſolet variatâ ratione fundandi; ex quo euidenter patet creaturam manere ſemper ens per participationem, ſiue dependeat à Deo per dependentiam immediatam, ſiue per mediatam ſolùm ac remotam: Cæterùm id intelligo de creaturis illis quæ hoc & illo modo produci poſſunt: Nam ſunt nonnullæ, quæ à ſolo Deo produci queunt, & non ab vlla creatura, vt, exempli causâ, actio adæquata ipſius Dei; aliæ quæ à ſola Creatura, & non etiam à Deo immediatè concurrente, vt actio adæquata creaturæ & actus praui, in quibus quemadmodum non variatur dependentia productiua, quæ eſt ratio fundandi relationem; ita neque



Digitized by Google

relatio dependentiæ variari poteſt.

IV. Vigeſimotertiò; Si Deus non eſt cauſa effectiua totalis, & immediata actus volendi, ſequitur quòd Deus ab æterno neſcit certitudinaliter futura contingentia: ſed hoc eſt impoſſibile, & falſum: Ergo &c. Probatur conſequentia; quia tunc ſic eſt in poteſtate voluntatis ponere iſtum actum, quàm eum non ponere; & Deus ſuper hoc nullam habet poteſtatem vt ponatur, vel non ponatur; & ita determinare non poteſt quòd talis actus ponetur; vel fruſtrà determinaret: & per conſequens non poteſt determinatè ſcire vtrùm ponetur, vel non ponetur; quia impoſſibile eſt quòd aliter ſciat hoc determinatè, niſi ex determinatione ſuæ voluntatis quâ determinat hoc efficaciter fore: Ergo &c. Ita Baſſolis in 2. diſt. 37. & ferè Scotus ibidem cùm in ſcripto Oxonienſi, tum etiam in ſcripto Pariſienſi.

Reſpondetur; Nego ſequelam maioris, ad cuius confirmationẽ Reſpondeo, voluntatem creatam cùm ſit cauſa ſufficiens, & completè potens ad operandum actum ſuum proportionatum abſque immediato Concurſu Dei, ſiue prædeterminante, ſiue identificato, ac ſimultaneo, facilè præuideri à Deo vt operaturam in qualibet occaſione, vel vt omiſſuram actum; quia reuerà operabitur aliquem actum, aut liberè ſuſpendet omnem, ſi non impediatur; & hunc euentum Deus ignorare non poteſt, prout oſtẽdimus in prima parte huius opuſculi dum de Scientia Media; quod autem dicitur Deum impedire non poſſe huiuſmodi voluntatem ne operetur; & falſum eſt, & iam ſuperiori capite refutatum: Qualiter verò Deus in noſtra ſententia præſcius ſit contingentium abſolutè futurorum, facillimè à nobis explicatum eſt, dum diximus voluntatem abſolutam ponendi hominem in ea rerum periſtaſi, aut conditione, in qua præuiſus erat veluti conditionatè operaturus, ſi in ea poneretur; ſufficere vt effectus cognoſcatur tanquam abſolutè futurus: Neque enim negari poteſt quin Deus hunc veluti ſyllogiſmum virtualem cognoſcat: Iſte homo omnibus ad operandum neceſſariis ſufficienter inſtructus, caſu quo inuitetur ad ambulandum, aut ad pœnitendum conſentiet; ſed inuitabitur: Ergo conſentiet: Maiorem intuetur per Scientiam Conditionatam; Minorem videt in decreto quo ſtatuit efficere, aut permittere vt iſte

homo

homo inuitetur, hoc eſt, vt conditio impleatur: Concluſio autem eſt euidens, quæ proinde latere Deum non poteſt.

Cæterùm, ad id quod obiicitur, Scotum exiſtimaſſe Deum non intueri futura conditionata; neque etiam futura abſoluta, niſi in decreto conditionato, aut abſoluto concurrendi immediatè ad ea: Reſpondeo; Scotum non negaſſe quin Deus etiam immediatè cognoſcat huiuſmodi futura, eorumque veritatem intuitiuè videat in ſeipſa, tamen quia exiſtimauit probabile eſſe Deum concurrere immediatè ad ſingulos actus noſtros, præſuppoſitâ illâ ſententiâ, benè intulit Deum in decreto concurrendi ad illos actus certiſſimè cognoſcere illos eſſe futuros: Verùm cùm in Reportatis doceat ſententiam quam nos amplectimur ſimiliter eſſe probabilem; in quam etiam propenſiùs eum inclinaſſe diximus ſuprà; ſequitur eum non fuiſſe in ea ſententia, vt exiſtimarit vnicum medium quo Deus futuros noſtros actus cognoſcit, eſſe decretum illud concurrendi immediatè, & identificè ad illos, quandoquidem probabile eſſe vidit, nullum extare in Deo tale decretum.

Vigeſimoquartò; Argumentatur aliqui apud Baſſolium ibidem; V.
Si Deus eſſet cauſa actionis noſtræ eo ipſo quòd eſt cauſa voluntatis noſtræ, non minùs eſſet cauſa actionis non exiſtentis quàm exiſtentis; quia ſiue voluntas operetur, ſiue non operetur, Deus æqualiter eſt cauſa efficiens, & conſeruans voluntatis: Ergo vt Deus poſſit verè appellari cauſa noſtræ actionis, oportet eum producere illam proximè, & immediatè, & non ſolùm remotè.

Reſpondeo, leuius eſſe argumẽtum quàm vt reſponſionem mereatur: quemadmodum enim à Philoſopho grauia, & leuia non dicuntur moueri à generante quando ipſa quieſcunt, ſed ſolùm quando mouentur: ita Deus non dicitur cauſa noſtræ actionis quando nos ab omni operatione quieſcimus, ſed ſolùm tunc cùm alicui motui ſeu operationi vacamus.

Vigeſimoquintò; Communis multorum Philoſophorum ſententia eſt, in eo potiſſimùm diſtingui cauſas eſſentialiter ſubordinatas à ſubordinatis accidentaliter; quòd cauſarum eſſentialiter ſubordinatarum inferior operari non poteſt, quin ſuperior eandem actionem ſimul atque indiuiſim producat, cuius contrarium cernitur in ſubordinatis accidentariò: At omnis cauſa ſecunda ſubor- VI.

dinatur eſſentialiter cauſæ primæ.

Reſpondeo; in diſcriminandis cauſis accidentariò ſubordinatis, à ſubordinatis eſſentialiter, vnumquemque abundaſſe in proprio ſenſu: Ego hac parte adhæreo ſententiæ P. Theophili diſt. 5. quæſt. 1. art. 4. num. 30. paulò ante finem dicentis, illationem neceſſariæ cooperationis (videlicet immediatæ) ex ſubordinatione eſſentiali, non videri firmam; *quia* inquit, *qui admitteret ſolam præſuppoſitionem entis à ſe, negato eius influxu immediato in omnes effectus, vt fecit Durandus, conuinci vix poſſet niſi ex Dei dominio, & aliis rationibus Diuinam exiſtentiam præſupponentibus*. hæc ille, cui nos addimus, eos qui negant Concurſum Dei proximum, & immediatum ad omnes & ſingulos actus noſtros ſiue turpes, ſiue honeſtos eſſe neceſſarium; neque ex dominio Dei, neque vllis aliis rationibus conuinci poſſe, quippe qui in vera & facili ſunt ſententia, quemadmodum ex hactenus dictis in vtramque partem manifeſtum eſſe poteſt.

Et ſic patet reſponſio ad omnia & ſingula contrariæ partis argumenta quorum meminiſſe potuimus.

## CONCLVSIO OPVSCVLI.

SVpereſt, vt ex dictis eliciamus aſſertionem directè reſpondentem titulo quem præſenti opuſculo præfiximus, in hunc modum.

Cùm grauiſſimæ illæ difficultates, quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte, & Modernos Scientiæ Mediæ Aſſertores ex altera, circa diuinam ſanctitatem; creaturæ libertatem; prouidentiæ firmitatem; ſcientiæ Dei certitudinem; aliáſque affines materias, exortæ fuerint ob putatam & præſuppoſitam ab vtriſque identitatem Concurſuum Dei & Creaturæ; identitáſque iſta introducta fuerit ob exiſtimatam (ex qua neceſſariò ſequeretur) proximitatem, immediationémque diuini cum creatura operante influxus, prout oſtenſum eſt à nobis primâ parte huius opuſculi.

Cúmque ſecunda parte eiuſdem opuſculi manifeſtè probatum à nobis fuerit, Deum non ſe coniungere Concurſu proximo, immediato & identificato ad eandem numero actionem, bonam,

ac

Digitized by Google

ac malam nobiſcum indiuiſim producendam, iuxta eum modum quem Aſſertores Moderni Scientiæ Mediæ tenuerunt: Tum quia modus iſte inintelligibilis eſt, impoſſibilis, ac repugnans, vtpote qui Scientiæ Mediæ, ſiue conditionatæ aſſignet obiectum impoſſibile ac repugnans: Tum quia libertati humanæ præiudicat non minùs quam prædeterminatio phyſica, cùm de neceſſitate includat decretum Dei poſitiuum, abſolutum, & efficax concurrendi certo ac peculiari Concurſu ad actiones hominum liberas, ita vt vnus determinatus Concurſus ad vnum actum, non ſolùm non poſſit inſeruire ad eliciendum oppoſitum, verùm etiam ita voluntatem abripiat vt nequidem ipſa poſſit ſuſpendere actum ad quem datur huiuſmodi determinatus Concurſus: Tum denique quia ſuppoſito tali proximo, immediato, & identificato Concurſu Dei ad omnes hominis operationes etiam intrinſecè prauas, nullo modo ſanctitas & innocentia Dei ſaluari poteſt, qui auctor vel ſaltem complex peccati rationabiliter diceretur, quandoquidem eundem actum realem & phyſicum, ſeu ſubſtratum malitiæ cum eadem intenſione, & omnibus circunſtantiis cum homine peccatore de facto produceret.

Cúmque ſimiliter in tertia parte oſtenſum fuerit diuinam innocentiam violari & hominis libertatem admiſſo eodem Concurſu immediato & identificato iuxta modum dicendi Prædeterminantium.

Sequitur ſoluendas eſſe; ſeu potius anteuertendas difficultates illas, inficiatâ, vt par eſt, neceſſitate diuini Concurſus proximi, immediati, & identificati ad quoſlibet actus noſtros ordinis naturalis præſertim prauos, & conſequenter admiſſo tantùm Concurſu remoto, mediato atque ab operatione noſtra realiter condiſtincto: inficiatâ etiam neceſſitate, aut commoditate Scientiæ Mediæ, ſeu conditionatæ, non abſolutè & ſimpliciter, ſed prout à Modernis Aſſertoribus exponitur, dum putant per eam dirigi poſſe ac debere Deum ad decernendum, prouidendúmque nobis Concurſum ſuum proximum, identificatum, & ſimultaneum; retentâ autem ſcientiâ perfectiſſimâ quorumlibet futurorum conditionatorũ, quam benè appellari Scientiã Mediam aut Conditionatam & ad alios pleroſque vſus Theologicos opportunam eſſe admittimus,

modo

modo à nobis explicato, inficiatis inſuper Prædeterminationibus phyſicis, reformatóque, & reiecto illo principio philoſophico, cui veluti fundamento falſo ac ruinoſo non niſi falſæ opiniones ſuperædificari potuerunt: vt mirandum non ſit ſi præſtantiſſimi Theologi eidem principio incumbentes, ac nondum ſatis detectâ illius falſitate, in eas compulſi fuerunt anguſtias, vt alterutram ex duabus ſententiis omnino oppoſitis, & quaſi aduerſariis factionibus ſequi cogerentur; quam tamen vtramque, exiſtimatione & credulitate illius principij deceptam fuiſſe, ſufficienter, vt nobis quidem videtur, per varios præcedentes articulos diſtinctè, ac ſigillatim oſtendere conati ſumus.

Neque eſt quòd quis nobis obiiciat id quod vulgò dicitur: *Mala quæ benè ſtant non ſunt loco mouenda.* Sed propoſitio quâ aſſeritur neceſſitas Concurſus proximi, & immediati, per ſe, ac proprij ad omnia opera noſtra, bona ac mala, tam neceſſaria, quàm libera; tametſi videretur non eſſe omnino certa, imò nec vera; tamen benè ſtat, & tam Catholici quàm Hæretici pacificè in illa conueniunt: Ergo intuitu pacis erat relinquenda; præſertim cùm periculum eſſe poſſit, ne propoſitionem illam abiiciendo, prætextu finiendæ diſcordiæ Prædeterminantium, & Aſſertorum Scientiæ Mediæ, nouæ potius ferantur lites: Ergo ad vitandum ſcandali & diſſenſionis periculum propoſitio illa erat relinquenda, vtpote quæ numerari poterat inter alia multa, quæ, quòd ſint benè conſtituta, moueri loco non debent.

Reſpondeo enim: iſta obiectio quatenus fatetur propoſitionem illam quâ aſſeritur neceſſitas Concurſus proximi & identificati ad ſingulos actus noſtros eſſe malam; à nobis eſt; & nos partem illam obiectionis admittimus; quatenus autem dicit obiectio propoſitionem illam eſſe reponendam inter mala quæ, quia benè ſtant, non ſunt loco mouenda, eam ſanè omnino pernegandam eſſe ducimus: Neque enim propoſitio illa benè ſtare, aut benè conſtituta eſſe dici poteſt, quæ Theologorum ingenia in re maximi momenti tandiu grauiſſimè diuexauit, hodiéque etiamnum diſcruciat, quemadmodum diximus primâ parte, dum per varia capita oſtendimus eam eſſe radicem, & ſcaturiginem diſſenſionum ferè omnium quæ ſunt inter Prædeterminantes ex vna parte & Modernos

Aſſertores

Aſſertores Scientiæ Mediæ ex altera;& quæ occaſionem hæreticis dedit, affirmandi Deum non relinquere in hominis poteſtate vt vias ſuas malas faciat; & proditionem Iudæ, Dauidis adulterium, Manlij ſeuetitatem eſſe proprium opus Dei: & ex quâ innumera alia ſequuntur incommoda, quæ toto præſente opuſculo perſecuti ſumus.

Neque obſtat quòd periculum ſit ne quæſtio iſta magnâ deinceps animorum contentione tractetur: quia hoc nullum inconueniens eſt,aut certè multò minus quàm ea quæ ex oppoſita ſententia profecta ſunt; quin potius inde fortaſſe fiet,vt ex mutuo argumentorum conflictu veritas ſplendidiùs emicet & maxima animorum tranquillitas, ac ſolatium conſequatur.

Cæterùm per ea quæ ſupra diximus tam aduersùs Aſſertores Scientiæ Mediæ, & Prædeterminantes ſeorſim,quam coniunctim aduersùs eos omnes ſimul ſub communi nomine Auctorum Concurſus proximi,& identificati;ſatis apparet plurimùm ſanè vtilitatis Prædeterminantes Theologis omnibus, atque adeo toti Eccleſiæ Dei attuliſſe;dum fortiter obſtiterunt,ne Scientia Media exiſtimata fuerit vniuerſum negotium abſoluiſſe conciliationis libertatis noſtræ,& Diuinæ innocentiæ ac ſanctitatis; aliaſque difficultates affines explicati per eam poſſe,cum prætenſa indiſpenſabili neceſſitate diuini Concurſus proximi,& identificati ad quaſlibet actiones,tametſi illicitas, atque ex obiecto turpes: Aſſertores quoque Scientiæ Mediæ maximam omninò promereri laudem,quòd euidenter oſtenderint Prædeterminationes phyſicas in rigore illo ſecundùm quem à nonnullis defenſoribus ſuis explicari ſolent, nequaquam eſſe tolerandas: & Scientiam Conditionatam omnino eſſe neceſſariam intellectui diuino infinitè perſpicaci;pręſertimque eſſe vtiliſſimam ad prudenter ſancienda decreta prouidentiæ ac ſapientiæ Dei.

Denique apparet, ni fallor, ſatis euidenter, vtramque turmam ſeu factionem Auctorum Concurſus proximi & identificati, ab vtraque fuiſſe ſuperatam, & viciſſim vtrique cedere aliquid debuiſſe; & ambas ſimul ſumptas, dum mutuo ſeſe impugnantes vtriuſque vim eneruarunt, ſententiam noſtram reddidiſſe prorſus veriſimillimam, ſi non etiam (quod nos quidem perſuaſi ſumus)

Mmm omnino

omnino certam; ſaluâ tamen dilectione, & honorificentiâ eorum quos in præſente opuſculo referre, atque impugnare neceſſarium fuit; ac præſertim ſaluo ſanctæ ſedis Apoſtolicæ iudicio, quæ circa hoc hactenus nihil definiuit, neque expreſſum dogma fidei condidit.

Atque hæc ſunt quæ de hac tanta quæſtione, ſub cenſurâ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, de penuria, & exiguitate noſtra proferre potuimus: in quibus, ſi nos aliquid boni dixiſſe contigerit, gratiæ Deo erunt habendæ: ſin minus, temeritatem accuſo meam, qui fortè materiam ſumpſerim non meis viribus æquam.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX
## RERVM NOTABILIVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

*Prior numerus Partem, ſecundus Caput, tertius Numerum, quartus Paginam indicat.*

### ACTIO.


ACTIO non eſt propriè effectus agentis part 1. cap. 2. n. 4. pag. 19.

Actio non poteſt eſſe ſine termino. ibid. n. 5. p. 20

Actio differt à termino modaliter. ibid. n. 6. p. 21

Actio creaturæ procedit à Deo mediante volũtate ex D. Tho. par. 4 c. 4. n. 2. pag. 256

Actio creaturæ debet eſſe à Deo, aliquo tali modo qui ſufficiat vt ipſe dicatur verè primum agens part. 4. c. 4. n. 4. pag. 259

Potentiæ conſeruatio quantùm ad eſſe inducit actionem, ex Alenſ. ibid. c. 5. n. 5. p. 267

Actio creaturæ à Deo procedit, tanquam à virtute habilitante ipſam voluntatem, ex Armac. part 4. c. 6. n. 3. p. 280

Actio eſſet intéſior ſi Deus illam produceret cũ creatura, quàm ſi à ſola creatura fieret, ex Armac. ibid.

Actionis cauſa diſcernitur à non cauſa, quãdo remotâ vnâ cauſâ, effectus nihilominus fit æqualis, ex Armac. ibid.

Actio reducitur in Deum, ſed remotè, quemadmodum motus grauium reducitur in motum cœleſtem ex Pomp. ibid. n. 4. p. 283

Actiones malitiæ ſunt magis noſtræ,




Digitized by Google

ſtræ, quàm virtutes, & quare ex Pompon. ibid.

Actio ita eſt addicta vni agenti adæquato, vt eo variato etiam actio varietur part. 1. c. 2. n. 7. pag. 11. & part. 4. c. 10. n. 14. pag. 347. & cap. 14 n. 7. pag. 389

Actio debet eſſe libera vt ſit culpabilis part. 4. c. 12. n. 4. pag. 358

Actio quæ poteſt fieri ſine peccato ab eo à quo petitur, poteſt licitè peti, quáquam ille à quo petitur peccet. ibid. n. 5. p. 359

An poſſit eadem Actio eſſe bona & mala in ordine ad plures cauſas, explicatur. ibid.

Actio à Creatura ſola procedens, non erit eadem ſi Deus ſuperueniat vt coagat & quare par. 4. cap. 14. n. 7. pag. 389

Actio à creatura ſola liberè procedens, non erit libera ſi Deus ſuperueniat vt coagat. ibid.

Actio Creaturæ quomodo poſſet à Deo impediri non admiſſo Concurſu immediato. Vide verbo Creatura miraculosè conſeruata.

### *Actus.*

Dantur aliqui Actus qui ſunt intrinſecè praui. par. 1. cap 8. n. 5. p. 85. & par. 4. c. 12. n. 8. p. 365

Actus prauus inquantùm eſt ens reale attribuitur Deo ſed ſolùm quatenus fecit voluntates noſtras ex mente Anſelmi, vbi indicatur Concurſus remotus in actu prauo, etiam pro materiali. pag. 4. c. 2. n. 11 p. 235

Actus eſt à Deo, quia Deus eſt cauſa voluntatis à qua fit actus ex Pompon. ibid. c. 6. n. 4. p. 283

Actus virtutis & vitij immediatè fiunt à voluntate ex Pompon. ibid. p. 282

Actus intrinſecè malus nullo fine honeſtari poteſt; explicatur & afferuntur incóuenientia. par. 4 c. 10. n. 10 p. 339

Idem Actus hominis modò poteſt eſſe malus, modò honeſtus & inculpabilis. ibid. n. 13. pag. 344

Actus prauus tribueretur Verbo ſi in natura ſibi hypoſtaticè vnita etiam materialiter & inuoluntariè reperiretur. par. 4. c. 11. n. 1. p. 350

Actus externus reſpectu voluntatis quis ſit. par. 4. c. 14. n. 4. p. 385

Actus internus & Actus externus quomodo differant quoad libertatem. ibid.

Idem numero Actus internus nō poteſt de neceſſario euadere liber. ibid. n. 5 p. 386

Actus ſupernaturales quomodo producantur ſi Concurſus immediatus non eſt neceſſarius. Vide Qualitas ſupernaturalis.

*Agens, Agere.*

Agens particulare nihil poteſt conſtituere in genere entium niſi ſit præmotum à Deo, ſaltem remotè. par. 4. c.17. n.9 p.424

Agens naturâ ſuâ poteſt producere actiones ſyncategorematicè infinitas. ibid. cap. 18. n. 4. p. 432

Agentia non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate. par. 4. c. 15. n.8. p.397

Agentia naturalia eliciunt actus ſuos abſque immediato Dei Concurſu ex Auguſt. ibid. n.2. p.395

Agere immediatè & proximè quid ſit.p.4 c.9.n.4. p.317

Agere contra conſcientiam nunquam eſt licitum.ibid.c 12.n.4. p359

In omni actu peccaminoſo peccator ſemper agit contra conſcientiam. ibid.

*Angelus.*

Angelus voluntariè volũtati perverſæ coagens peccaret, & eſſet actor peccati, ita Deus,ex Armac.p.4.c.6.n.3. p.281

Angeli non pollent Scientiâ Mediâ.p.2.c.5.n.2. p.142

Comprehendunt tamen vires & diſpoſitionem noſtrę voluntatis. ibid. p.143

Eſſe Angelorum pendet ab immediato influxu Dei conſervatiuo.par.4. c.19.n.3. p.439

*Appetitus.*

Appetitus ſenſitiuus ſpectat ad integritatem naturæ humanę, ideò non debuit deeſſe Chriſto & B. Virgini.par.4.c.11.n.5. p.354

BONITAS, BONVM.

Bonitas finis non ſufficit vt liceat ea facere quæ ſunt intrinſecè mala.par.4.c.10.n.5. p.333

Mala non ſunt facienda vt eueniant bona. ibid.

Bonum eſt ex integra cauſa,malum autem ex ſingulis defectibus.ibid.n.7. p.335

Summum Bonum illud eſt quod omnia appetunt, & propter quod omnia operantur. par.4. c.3.n.6. p.246

CAVSA.

Cauſa Cauſæ, eſt Cauſa Cauſati. par.1. cap.8.num. 19. pag.91

Item par.3.c.4.n.2 p.216

Et part. 4. c.6. n. 5. pag.284
In Cauſa efficiente quæ debeant conſiderari part.1.c.2. n.3.p.17
Virtus cauſandi in efficiente & propēſio ad agendum quid ſit. ibid. & 18.
Cauſalitas in efficiente quid ſit. ibid.n. 4. pag.18
Cauſa efficiens conſtituitur actu cauſa per Cauſalitatem. ibid.
Cauſa efficiens proxima plus influit in ſuum actũ, quàm ſubſiſtentia in eum qui producitur à natura per huiuſmodi ſubſiſtentiam terminata. part. 4.cap.11.n.2. p.351
Cauſa finalis eſt cauſa mediorũ, & rurſus media ſunt ipſius cauſa, & quomodo. part 3. c.3. n.5. pag.213
Plures Cauſæ partiales ſimul ſũptæ conſtituunt vnum agens totale à quo vnica tantùm actio egreditur. part. 1. cap. 2. n. 8. p.24
Cauſæ quomodo poſſint ſibi inuicem eſſe Cauſæ explicatur. part.2.cap.9.n.2. p.163
Cauſæ naturales & liberæ quomodo differant in agendo ex D. Thom. part. 4. cap. 3. n. 5. pag. 245.
Virtus agendi in efficiente quomodo diſtinguatur ab inclinatione ad agendum.n.6. ibid.
Cauſa per ſe quæ ſit ex mente Concilij Tridentini. part. 4 cap.9. n.10. p.324

### *Cenſuræ.*

Cenſuris Theologiæ Auctorum opiniones vexare non leuiter faciendum. part. 4.cap. 7. n. 1. & n. 10. pag.287.pag.299

### *Chriſtus.*

Chriſti operationes non fuiſſent liberæ,ſi Deus concurriſſet ad eas Concurſu identificato. part.4.cap.14.n.3. p.384
In Chriſto duæ naturæ arguuntur ex duplici operatione. ibid. c. 14.n.3. ibid.
Ex impeccabilitate Chriſti arguitur quòd Deus non concurrat ad actus intrinſecè prauos.par. 4.c.11.n. 1. & 2. pag.350
Vide Verbo ſubſiſtentia Verbi.

### *Concilium.*

Concilij Nycæni auctoritas quòd Deus ſit factor omnium viſibilium, & inuiſibilium allata pro Concurſu immediato explicatur.part.4.c.7.n.3. p.289
Concilij verba aduerſus Pelagiũ debēt intelligi de auxilio ſpeciali gratiæ, & non de Concurſu immediato, alioqui nihil

hil probarent pro Catholica veritate. ibid. n. 4. p. 291

Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. voluit excludere à Deo omnem cauſalitatem per ſe, ac propriam reſpectu actionis prauæ ſumptæ etiam pro materiali, part. 4. c. 9. n. 2. etiam ex mente Suaris. p. 315

Euaſiones Suaris & aliorum contra determinationem Concilij exponuntur & ſoluuntur ibid. n. 4. & ſeqq. p. 317

Concilium Trident. excluſit Cõcurſum identificatum & determinatum ad vnum actum. ibid. num. 4. pag. 318. & hoc videtur probare ipſemet Suarez.

Concilium Tridentinum videtur dèfinire Deum non operari opera praua immediatè, & proximè. ibid. etiam ex mente Suaris pag. 319

Concilium Trident. damnauit omnes propoſitiones in dicto canone contentas, etiam diuiſim ſumptas, ſicut eas diuiſim aſſerebant hæretici. ibid. n. 7. pag 320

Concilium non damnauit eos qui aſſererent mala opera fieri à nobis Deo ſuadente quia id non dicebant hæretici, ſed quod ipſe propriè ac per ſe operabatur in nobis mala opera. ibid. num. 5. p. 319

Vtrum ex mente Concilij Deus propriè & per ſe operetur in nobis bona opera, eſt quæſtio de nomine, quæ ſoluitur ex varia interpretatione terminorum vt ibidem n. 8. p. 322

Concilium non damnauit eos qui aſſererent Deum operari opera mala per ſe & propriè, ita vt ſolus ea operetur, nobis ſolùm paſſiuè concurrentibus, quia de eo non diſputabant hæretici n. 9. p. 323

Concilium Trident. videtur definiiſſe quòd Concurſus indiſtinctus tollat libertatem par. 4. c. 13 n. 9. p. 381

Concilij verba in dicto canone contenta & intentio Patrum explicantur toto cap. 9. p. 314. Vide verbo hæretica propoſitio.

### *Concurſus.*

Concurſuum Dei, & Creaturæ coniunctio immediata, fuit radix controuerſiarum quæ ſunt inter Prædeterminantes & Aſſertores Scientiæ Mediæ part. 1. c. 1. n. 1. & ſeqq. pag. 3

Multi aſſertores Scientiæ Mediæ exiſtimant quæſtionem de Concurſu Dei pertinere ad controuerſias quæ ſunt inter eos

eos & Prædeterminantes ibid. num.6. pag.9
Coniunctio Concurſuum Dei & creatæ voluntatis quomodo fiat ſecundum Prædeterminantes.ibid.num.4. pag.5
Quomodo ſecundùm Aſſertores Scientiæ Mediæ. ibid. p.6
Quomodo ſecundùm veram ſententiam. ibid. pag.7
Concurſus Dei remotus ſufficit vt actio noſtra dicatur à prima Cauſa proficiſci. part. 1. cap.2. num. 2. pag.17
Quid ſit Concurſus remotus. ib. cap.8.n.9. pag.90
Concurſus in actu primo & ſecundo quid ſit in efficiente part.1.cap.2.n.4.& 5. p. 18
Quid ſit in Deo.ibid. n. 10. p.27 item part. 2. c.13.n.3. p. 188. & part.4.c.13.n.3. p. 372
Quæſtio de Concurſu immediato vel mediato eſt maximi momenti.par.1.c.9. n.3. p.95
Quæſtiones dependentes ex illa de Concurſu proponuntur. ib. num.4. pag.96
Concurſus immediati neceſſitas & efficacia,cum humani arbitrij libertate conciliatur ex mente Aſſert. Scientiæ Mediæ .par.2. cap. 1. n. 2. & ſeqq. p ag.104
Variæ eorum opiniones.ibid.c.2. num.1. p.111
Quæſtio de Concurſu Dei proximo vel remoto explicatur.par. 4.cap. 5. p.263
Concurſum Dei immediatum & indiſtinctũ ad actus prauos negauit D.Aug.& admiſit remotum p.4.c.2.n. 4. & ſeqq.p.226
*Auctoritates eius & aliorum auctorum infra nominatorum citantur ſuis locis eorum nomine indicato Vide verbo Deus.*
Eundem Concurſum negauit D. Hieronimus.ibid.n. 10.pag.334
Item D. Greg. Nazian. p.235
Item D.Gregor.Nyſſenus. ibid.
Item D. Proſper. ibid.
Eundem Concurſum negauit D. Anſelmus & indicauit remotum.ibid.n.11.p. 235.& Alenſis. ibid. cap. 5. n. 5. p.266
Sententia Scoti problematica de Concurſu, ſed potius fauet remoto. p.270
Cardinalis Aureolus expreſsè admittit ſolùm remotum. part.4.c.5.n.8. p.271
Item Cardinalis Sarnanus. ibid. & num. 15. p.275
Item etiam Scotellus n. 9. p. 273. Pelbartus n.10.p.274.Bonetus n.11.ib.Palanterius n. 12.p.275. Bocherius num. 14. pag. 276. Ioſephus Angles & alij Theologi numer. 15. ibid. & cap. 6. numer. 6. in fin. pag. 286.


Concur

Concurſum Dei immediatum negauit æquiualenter Ariſtoteles part.4.cap.6.n.1. p.277
Item Plato ibid. p.278
Sententia Durandi eundem Concurſum expreſsè negantis profertur cap.6.n.2. ibid.
Item etiam Richardi Epiſcopi Armacani n.3.explicatur. p.279
Pomponacij n.4. p.281
Viguerij n.5.p.284. Raynerij n.6.p.285.qui omnes tenueruntConcurſum ſolùm remotum Dei eſſe neceſſarium ad operationes creaturæ.
Inter alios maximè D. Thomas vt cap.3.& 4. part. 4. per tot. 239. & 249
Vide verbo Præmotio.
Concurſus Dei non eſt iuxta D. Thom. eadem actio Creaturæ ſed aliquid diſtinctū & antecedens ibid.cap.4.n.1.& 2. p.250
Concurſus Dei eſt diſtinctus ab actione creaturæ, ſicut Concurſus Cœli vel Solis vna cum homine hominem generantis ex D.Thom.ibid.n.2. p.254
Qui nunquam in ſuis operibus meminit Concurſus immediati num.3. p.258
Concurſus Dei poteſt à creatura determinari vel in bonam vel in malam partem ad libitum,ſicut Concurſus cœli poteſt determinari ad pullulationem roſæ vel lilij, ex mente Patrum, vbi indicatur Concurſus remotus par.4.cap.4.n.2. p.255
Concurſus Dei immediatus ad nihil eſt vtilis ſi actus propter illam cooperationem non ſit magis intenſus vel fortior ex Armac.part 4.cap.6.n.3. p.280
Concurſus Dei immediatus non poteſt probari ex Scripturis ex eodem ibid. p.281
Sententia affirmans Concurſum immediatum horrorem minuit peccatorum par. 4. cap. 7.n. 9. pag.296.
Pias aures offendit. ibid.
Dedit occaſionem hæreticis negandi libertatem ibid. p.297
Sententia affirmans Concurſum immediatum vnde tam multos recentiores habuerit ſectatores num.11. p.300
Sententia affirmans Concurſum immediatum iiſdem rationibus vtitur ad probandum Deum concurrere immediatè ad actus bonos & malos par.4.cap.10.n.1. p.330
